IEREMIAE
VATICINIA ET THRENI

LATINE VERTIT

ET

ANNOTATIONE PERPETUA

ILLUSTRAVIT

ERN. FRID. CAR. ROSENMÜLLER,

THEOL. DOCT. ET LITT. OO. IN ACAD. LIPS. P. P. O.

VOLUMEN PRIMUM.

LIPSIAE

SUMTIBUS IOH. AMBROS. BARTHII

MDCCCXXVI.

ERN. FRID. CAR. ROSENMÜLLERI,

THEOL. DOCT. ET LITT. OO. IN ACAD. LIPS. P. O.

SCHOLIA

IN

VETUS TESTAMENTUM.

PARTIS OCTAVAE,

IEREMIAE VATICINIA ET THRENOS

CONTINENTIS,

VOLUMEN PRIMUM.

LIPSIAE

SUMTIBUS IOH. AMBROS. BARTHII

MDCCCXXVI.

PROLEGOMENA

IN

IEREMIAM.

IN

IEREMIAE VATICINIA

PROOEMIUM.

I.

Ieremiae ortus et vita.

Ieremias [1]) vates se ipse (I, 1.) dicit filium Chilkiae, sacerdotis, eorum ex numero, qui Anathotis habitarunt. Patrem Chilkiam plures et Hebraei et Christiani putant Pontificem fuisse Maximum illum, qui decimo octavo Iosiae, regis, anno, legis Mosaicae exemplar in templo in-

1) Nomen יִרְמְיָהוּ, sive, ut Dan. IX, 2. scribitur, יִרְמְיָה, quod Graeci interpretes Ἰερεμίας efferunt, vix dubium esse potest coiisse ex ירמה יָהּ *projicit Jah s. Jehovah* scil. hostes, vel, ut GESENIUS in *Lex. min.* sub h. v. vult, *jaculatur* v. c. fulmina. Sed prius illud praeferimus. Formatur nomen eodem modo quo יִבְנִיָּה *exstruit Jah*, quod viri nomen est 1 Chron. IX, 8., aut יִפְדְּיָה *redimet Jah*, 1 Chron. VIII, 25. Alias minus probandas nominis יִרְמְיָהוּ interpretationes recensuit refutavitque Jo. GOTTL. CARPZOV in *Introduct. ad libros canonicos V. T.* P. III. p. [illegible]29. Viros nonnullos alios in V. T. memoratos, qui illud nomen gesserunt, enumerat Jo. SIMONIS in *Onomast. V. T.* p. 535.

inveniſſe memoratur 2 Reg. XXII, 3. 8. et 2 Chr. XXXIV, 9 ſqq. [2]). Cui ſententiae tamen obſtat cum quod Chilkias, Ieremiae pater, non הַכֹּהֵן הַגָּדוֹל *Sacerdos ſummus*, ut Chilkias ille, qui exemplar legis reperit, appellatur, ſed ſimpliciter מִן־הַכֹּהֲנִים, unus *de ſacerdotum* ordine et grege, atque communi eorum cenſu comprehenditur, tum quod Anathothaeos ſacerdotes, ex quorum numero Ieremias cum patre erant, non de Eleazaris familia, penes quam inde a Salomonis tempore Pontificalis dignitas erat, ſed de Ithamaris familia oriundos fuiſſe, inde colligatur, quod Abjathar, ultimus de Ithamaris familia Pontifex, a Salomone officio motus ad haereditarios ſuos fundos Anathotum ire jubebatur 1 Reg. 11, 26. [3]). Anathoth, ubi vatis pater degit, et filius procul dubio natus fuit, oppidum fuit in terra tribus Benjamin (I, 1. XXXII, 8.), tertio, ut Hieronymus dicit [4]), ab Hiero-

2) Ea jam fuit Clementis Alexandrini ſententia in *Stromat.* L. I. p. 241. ed. Sylburg. Illius Chilkiae filium Ieremiam et exiſtimat Joſephus Kimchi; ſed filium vaticinari coepiſſe anno decimo tertio Ioſiae, quo tempore rex cum populo nondum reverſi fuerint ad cultum Jovae, quod anno demum decimo octavo factum.

3) Eichhorn tamen conjicit (*Iſag. in V. T.* T. III. p. 117. edit. tert. not.), habitaſſe Anathotis et ſacerdotes ex Abjatharis familia. Chaldaeus verba מִן־הַכֹּהֲנִים ita expoſuit: מִן רֵישֵׁי מַטְּרַת כַּהֲנַיָּא מִן אֲמַרְכְּלַיָּא דַּהֲווֹ בִּירוּשְׁלֵם *e principibus cuſtodiae ſacerdotum, ex praepoſitis qui erant Hieroſolymae.*

4) In *Commentar. ad Ierem. I.: Qui habitabant contra ſeptentrionem Jeruſalem in tertio milliario*

rofolymitana urbe lapide, feptentrionem verfus. Jofephus [5]) vero viginti ftadia diftare ait. Recenfetur Jof. XXI, 18. inter oppida, quae facerdotibus in distributione terrae obligerant. Memorat hoc oppidum et Jefaias X, 31. inter ea loca, quae Affyrii Hierofolymam aggreffuri fint transituri et imminentem illi ab hoftibus devaftationem deplorans *miferum* vocat. Anathot familiae Ieremiae fedem fuiffe et inde patet, quod vatis patruus, Sallum, ibi praedium habuit, cujus filius Chanamel fui agri redemtionem Ieremiae obtulit, XXXII, 6 fqq. Quo pertinet, quod XXXVII, 12. Ieremias dicitur in animo habuiffe, *commigrare Hierofolymis ad terram Benjaminis, ut portionem inde*, forfan ex patriis fundis fibi debitam jure haereditario, *acciperet.* Sacerdotium obire *potuiffe* Ieremiam, utpote facerdotali ftirpe oriundum, haud merito quisquam in dubium vocaverit, *obiiffe* vero, et facrificiis in templo operam dediffe, nullo argumento demonftrari poteft. Potiores fane partes ipfi in prophetico munere fuerunt, cui admodum juvenis admovebatur, quod cum ex eo, quod

et viculo Anathoth. Idem ad Cap. XI.: *In viculo Anathoth, qui ab Ierofolymis tribus distat millibus.* Et ad Cap. XXXI.: *A turre Anathot, quae hodie vocatur Ieremiae, tribus a Jerufalem millibus feparata.*

5) *Antiqq.* L. X. Cap. 7. §. 3. Δόξαν δὲ αὐτῷ που εἰς τὴν πατρίδα παραγενέσθαι, λεγομένην Ἀναθὼθ, σταδίους δὲ ἀπέχουσαν Ἱεροσολύμων εἴκοσι κ. τ. λ. Cf. Relandi *Palaeft.* p. 561.

quod munus ſibi imponendum ob juvenilem aetatem deprecaretur (I, 6.) [6], tum ex temporis, quo officio ſuo praefuit, ſpatio ſatis diuturno [7]) colligere licet. Initio aliquot annos Anathothis videtur prophetaſſe, donec inſidiae civium vitae ſuae ſtructae (XI, 21. 22. coll. XII, 5. 6.), ipſum, ut ſaluti ſuae conſuleret, Hieroſolymam concedere

6) *Ah! Domine, Jova, eh! loqui neſcio, quippe qui ſim* נַעַר, quo nomine non eum tantum, qui puerilis ſit aetatis, verum et adultiorem, *adoleſcentem* et *juvenem*, deſignari conſtat. Ita נַעַר dicitur Samuel (1 Sam. III, 1.), qui jam primis miniſteriis in tabernaculo ſacro adhibebatur, quae in annum aetatis XXV incidebant, Num. VIII, 24. Et Salomo regni gubernacula capeſſens נַעַר קָטֹן ſe dicit 1 Reg. III, 7.

7) Ipſe I, 2. 3. inde a *decimo tertio Joſiae anno*, ac deinceps *tempore Jojakimi, ad undecimum usque Zedekiae annum* prophetico munere ſe functum eſſe dicit. „Ubi tamen obſervandum, *Jojakimi* tempora anteceſſoris ac fratris *Joachaſi*, itemque ſucceſſoris ac filii *Jechoniae* regnum, utpote brevius (utrumque enim trimeſtre tantum fuit) ſimul complecti, coll. XXII, 11. XII, 24 ſqq.). Comparatis igitur XVIII *annis Joſiae*, poſt decimum tertium reſiduis (unum namque et triginta regnavit, 2 Reg. XXII, 1.), *trimeſtri Joachaſi*, 2 Reg. XXIII, 31., *undecim annis Jojakimi*, 2 Reg. XXIII, 36., iterumque *trimeſtri Jechoniae*, 2 Reg. XXIV, 8. et *undecim annis Zedekiae* Vs. 18., efficitur ſumma *quadraginta annorum cum ſex menſibus*, quos inde ab initio muneris ſui ad deſtructam usque a Chaldaeis rempublicam Judaicam exegit. Sed et ultra undecimum Zedekiae annum vitam ac prophetias protulit, ſcilicet in Judaea primum, XL, 1 ſqq., ac deinde in Aegypto, XLIII, 8 ſqq.; quamdiu tamen hic fuerit, nequit determinari.“ C. B. Michaelis Diſſert. *de Jeremia et vaticinio ejus*, §. IV.

dere cogerent, qua in urbe ipſum maximam vitae partem exegiſſe, ex ſuis vaticiniis liquet. Incidit vero in difficillima et triſtiſſima reipublicae Judaicae ad interitum vergentis tempora. Etſi enim Joſias, rex laude digniſſimus, omni cogitatione curaque in id incumberet, ut deſtructis et ſublatis deorum ſimulacris omnis ſuperſtitionis veſtigia et monumenta prorſus everteret, et cultum Jovae reſtitueret; tamen quam propere populus in inveteratam ſuperſtitionem relapſus fuerit, intelligitur inde, quod Ieremias jam altero poſt Templum inſtauratum anno Judaeorum idololatriam graviter arguit, vid. II, 11. III, 4. 5. 10. VII, 17. 18. VIII, 5. 6. Joſias vero, quum Nechoni, Aegypti regi, per Judaeam cum exercitu tranſituro, ſeſe opponeret, proelio in campis prope Megiddonem commiſſo, graviter vulneratus et ex acie abductus Megiddone mortuus eſt, 2 Reg. XXIII, 29. 30. 2 Chron. XXXV, 20 ſqq. Ab eo inde tempore graviora indies infortunia in rempublicam Judaicam ingruere coeperunt. Primo Joachaſum, alias Schallumum, feroci ingenio hominem, quod populo juvante, patris victore inconſulto, majori fratri, Jojakimo, regnum praeripuiſſet, Necho poſt trimeſtrem uſurpationem regni in Aegyptum deportavit, ubi mortuus eſt, 2 Reg. XXIII, 30—36. Jer. XXII, 10. 11. 12. Ezech. XIX, 3. 4. 2 Chr. XXXVI, 1—4. Jam vero Aegypti rex, poſtquam Judaeos maximo tributo mulctaſſet, Elja-

ki-

kimum, qui et Jojakimus dicitur, Jofiae filium natu majorem, regem illis dedit. Is vero Nechoni foedere junctus, fracto a Chaldaeis Aegyptio exercitu (Jer. XLVI, 2.), tandem octavo regni anno ab iisdem obfeffus eoque adactus eft, ut in clientela Nebucadnezaris effet, ac tributa penderet. Quum vero tertio poft anno, undecimo regni fui, Aegyptiorum auxilio fretus, rebellaffet (2 Reg. XXIV, 1.), Nebucadnezar gentes Judaeis vicinas fibi parentes aut foedere junctas in Jojakimum concitavit, ut una cum cohortibus Chaldaeorum, quae iis in locis commorabantur, incurfiones in Judaeam facerent, regemque vexarent, 2 Reg. XXIV, 1. 2. Quas inter turbas quum ille de vita deceffiffet (2 Reg. XXIV, 16.), in ejus cadaver defaeviiffe hoftes, colligi poteft ex iis, quae Ierem. XXII, 18. 19. XXXVI, 30. leguntur [8]). Jojakimo fucceffit filius

8) Jojakimum a Nebucadnezare captivum abductum in via mortuum effe, ejusque cadaver aliquo projectum fepultura caruiffe, colligunt fere inde quod 2 Chr. XXXVI, 6. narratur, Chaldaeorum regem *vinxiffe illum catenis ut eum Babelem abduceret*, quocum jungunt quae Jeremias XXII, 18. 19. XXXVI, 30. ei minatur de cadavere fuo probrofe extra muros projiciendo. Sed de his nihil habetur 2 Reg. XXIV, 6., qui liber et vetuftior eft Chronicorum libro et fide dignior. Ibi enim fimpliciter dicitur, *obdormiiffe Jojakimum cum majoribus fuis* וַיִּשְׁכַּב יְהוֹיָקִים עִם־אֲבֹתָיו *ejusque loco regnaffe ejus filium.* Vix dubium, Chronicorum auctorem illud de fuo addidiffe, ut legentibus perfuaderet, malum regem dignum fuis fideribus fupplicium nactum effe. Cf. C. P. W. Gramberg, *die Chronik nach ihrem gefchichtlichen Cha-*

lius ejus Jechonja, qui et Jojakim, item Chonja (Ierem. XXII, 24.) dicitur, patre nec melior nec felicior. Per tres enim tantum menſes imperium tenuit. Nam quum invito, uti videtur, et inconſulto Nebucadnezare regnum per favorem populi invaſiſſet, mox exercitus Babylonicus adfuit, et urbem Hieroſolymitanam obſidione cinxit. Poſtquam autem et ipſe Nebucadnezar advenifſet, Jechonias rex cum matre, ſervis, ducibus, eunuchis egreſſus ſpontanea deditione poteſtati ejus ſe permiſit, 2 Reg. XXIV, 12. Rex Babylonius tamen, forſan metuens, ne Jechonja patris perfidiam imitaretur, eum in Babylonem abductum in carcerem conjecit, ex quo anno trigeſimo ſeptimo, poſtquam abductus eſſet, ab Evilmerodacho liberatus et ad honores evectus fuit, 2 Reg. XXV, 27. Ierem. LII, 31. In Jojachini locum Nebucadnezar patruum illius, Matthaniam, ſubſtituit eumque, nomine mutato, Zedekiam vocavit, 2 Reg. XXIV, 17. Ierem. XXXVII, 1. Hic regum qui ipſum praeceſſerunt malis nihil ſapientior redditus, verorum vatum monita nihil curavit, nec de fide Nebucadnezari ſervanda ſollicitus fuit. Ad eam quidem poſt annum imperii quartum denuo ſe obſtrinxit; mox tamen a vicinis regibus ſollicitatus et a principibus ſuis confirmatus, ſpretis Ie-

rakter und ihrer Glaubwürdigkeit neu geprüft (Halle, 1824.) p. 211. Poterat autem fieri, ut regis et ſuis exoſi cadaver poſt mortem ignominioſè haberetur, quo ſpectarit Ieremias locis laudatis.

Ieremiae monitis, adverſus Nebucadnezarem iterum rebellavit (Jer. XXXVII, 2.), infelici et ſibi exitiabili ſucceſſu: quippe menſe quarto anni undecimi Zedekiae Babylonii Hieroſolymam poſt XVIII menſium obſidionem expugnarunt (2 Reg. XXV, 1 ſqq.), fruſtra ab Aegyptiis tentato auxilio (Ierem. XXXVII, 8 ſqq.), fame interim ac peſte intra urbem horrendum in modum graſſata. Capta urbe Zedekias rex, omnesque viri militares noctu aufugerunt. Verum Chaldaeorum copiae in campeſtribus Jerichuntis eum aſſequutae captum Riblam ad Nebucadnezarem deduxerunt. Hinc, trucidatis prius in conſpectu ipſius filiis ſuis et proceribus, et ipſemet occoecatus, et catenis deinde vinctus, Babylonem eſt deportatus, ubi in ſqualore carceris vitam finire coactus eſt, 2 Reg. XXV, 2. 3. 4. Ierem. XXXIX, 3 ſqq. Menſe ſequenti Nebuſaradan, ſatellitum praefectus, a Nebucadnezare miſſus, Hieroſolymam ingreſſus eſt, comparatisque per biduum rebus, die decimo Templum, regisque palatium cum reliquis aedificiis concremavit, 2 Reg. XXV, 8. Ierem. XXXIX, 8. LII, 13.

Talia quum eſſent tempora, per quae Ieremias prophetam egit inter populum nefandis ſuperſtitionibus deditiſſimum et moribus corruptiſſimum, nemini facile mirum videri poteſt, multa et gravia paſſum eſſe vatem, ſanae religionis promovendae et ſtabiliendae ſummopere intentum, atque incredibili patriae et populi ſui in-

incenſum amore. Concionibus ſuis, quibus omnium ordinum homines ob enormia, quae inter eos regnarent flagitia, ita corripuit, ut iis ſimul graviſſima ab irato Deo ſupplicia totiusque reipublicae interitum denunciaret, in ſe concitavit non tantum regum principumque tyrannidem, verum et totius populi odium. Praeſertim multa ei a Zedekia rege ejusque proceribus perpetienda erant. Nam a Paſchure, ſacerdotum antiſtite, ob denuntiatum in atrio templi urbis excidium percuſſus et in carcerem conjectus miſerrimeque afflictus eſt, XX, 1. 2. Sub initium obſidionis, quum Ieremias Zedekiae regi praenunciaſſet Hieroſolymam a rege Babylonio capiendam et comburendam, regem vero Babelem abducendum ibique moriturum eſſe, atrio cuſtodiae, quae erat in domo regis, incluſus eſt, XXXII. XXXIII., mox tamen dimiſſus videtur, XXXVII, 4. Quum Judaei ſuppetias regis Aegyptii ſperantes, urbem dedere nollent, vates eis oſtendit, ſpem hancce vanam eſſe, ſi vitae et ſaluti conſulere vellent, nil ſupereſſe aliud, quam ut ad exemplum Jechoniae imperio regis Babyloniae ſe ſubmitterent. Quamvis autem Aegyptii regis, Pharaonis Hophrae, copiis Aegypto egreſſis, ut Zedekiae ſuccurrerent, Chaldaei ut iis occurrerent, obſidionem ſolverent; mox tamen, fugato Pharaonis exercitu, ad obſidionem Hieroſolymae redierunt. Tum Ieremias a Zedekia conſultus, ei ut ſe Babylonio regi

regi ſponte ſubmitteret, reſponſum dat; ſimul tamen a rege impetrat, ut e fovea carceris, qui erat in domo Jonathanis, in quam conjectus fuerat, quod in ſuſpicionem veniſſet, ſe ad Chaldaeos transire voluiſſe, in atrium cuſtodiae transferretur, XXXVII, 11 ſqq. Quum autem nihilominus pergeret, eventum obſidionis praedicere; principum quorundam virorum conſiliis adductus rex Zedekias, ut in foveam Malchiae conjiceretur permiſit, ut ibi periret, unde tamen opera Ebedmelechi eductus, et denuo a rege de eventu obſidionis conſultus, eadem quae antea reſpondit, regique ut ſe Chaldaeis dederet, ſuaſit, quum hac ratione ſaluti ſuo conſulere poſſit, XXXVIII. Capta urbe, Ieremias juſſu Nebucadnezaris a Nebuſaradane e carcere liberatus donisque affectus eſt, optione ipſi facta, velletne in patria manere, an Babelem migrare, XXXIX, 11—18. XL, 1—5. Vati vero pro ſummo, quo ardebat, patriae amore, potius viſum, tenuibus illis, quae poſt abductam majorem et potiorem populi partem in terra remanſerant, reliquiis, quibus Gedalias magiſtratus praefectus eſſet, ſeſe adjungere, XL, 6. Gedalia autem ab Ismaele interfecto Ieremias in Aegyptum a Judaeis per vim abſtractus (XLIII, 6.) et ibi popularium odium ac calumnias haud minus, quam in Judaea, in ſe concitavit, XLIV, 15 ſqq. Quem exitum vero taudem habuerit, haud conſtat. Nam quod Patres nonnulli tradunt,

dunt, eum in Aegypto a ſuis lapidatum eſſe [9]), nullo idoneo teſtimonio nititur.

Aequales ex prophetis Jeremias habuit Joſiae tempore *Zephaniam* (coll. Zeph. I, 1.), Jojakimi tempore *Habacucum* [10]), ſub Zedekia vero et conſequutis temporibus *Danielem* et *Ezechielem*, quorum uterque in Babylonia vaticinatus eſt, vid. Dan. I, 1. Ezech. I, 2.

II.

Libri Argumentum et Partes.

Ieremiae liber maximam quidem partem conciones continet et vaticinia, quibus vates gentem ſuam ad imminentis a Babyloniis clades praeparaturus in malorum iſtorum cauſas inquirit et idolorum cultum, perfidiam, avaritiam, luxum, cultus Jovani contemtum, graviſſime perſtringit, et digna hisce flagitiis ſupplicia, fame, peſte, gladio, urbisque totiusque reipublicae excidio ingratae patriae immittenda denunciat, raro tantum ſuos ſpe erigens temporum feliciorum aliquando futurorum (Cap. XXX. XXXI. XXXIII.); immiſta tamen ſunt haud pauca hiſtorica, quibus vel prophetae ipſius fata enarrantur, vel quae ad ſtatum rerum communium il-

9) Epiphanius *de vita et obitu Prophetar.* in *Opp.* T. II. p. 239. Ἐν Τάφναις Αἰγύπτου λιθοβοληθεὶς ὑπὸ τοῦ λαοῦ ἐτελεύτησε. Plura vid. in J. G. Carpzovii *Introduct. in libros V. T.* P. II. p. 137 ſqq.

10) Vid. *Prooemium in Habacucum.* P. VII. Vol. 3. p. 340.

illorum temporum, atque ad reipublicae regnique vices ſpectant, deſcribuntur. *Duae* conſtitui poſſunt libri partes *generales*, quarum *prior Vaticinia* continet *Judaeos ſpectantia*, *primo* quidem ea, quae a Joſiae anno XIII. ad excidium usque urbis, Cap. I—XXXIX., itemque Cap. XLV. coll. I, 1. 2. 3., *tum* vero ea, quae poſt urbis excidium ad Judaeorum reliquias partim in Judaea, partim in Aegypto, edita ſunt, adſperſis eorundem temporum hiſtoriis, Cap. XL—XLIV, collata nova hujus partis epigraphe, XL, 1.; *ſecunda* vero *Vaticinia contra alias gentes*, veluti Aegyptios, Philiſthaeos, Moabitas, Ammonitas, Idumaeos, Damascenos, Kedarenos, Elamitas et Babylonios, Cap. XLVI—LI., collata hujus partis inſcriptione generali, XLVI, 1. Toti operi Cap. LII. additur epilogus hiſtoricus, quo urbis excidium et quae illud ſunt conſequuta, enarrantur.

III.

Vaticiniorum Ieremiae proprietates et ſtylus.

Ieremiae conciones luctuoſam temporum ſuorum conditionem triſtemque tunc populi ſui ſtatum referunt. Animum produnt acerbiſſimo dolore commotum perturbatumque, ſenſuque malorum, quae miſerae patriae vel imminerent, vel jam ingruerent, paene oppreſſum. In ſententiis plerumque laxior eſt et ſolutior, et genus dicendi quo utitur, pedeſtre ut plurimum eſt atque

que remiſſius, multumque abeſt, ut aſſurgat ad ſublimitatem admirabilemque orationis nitorem, quo eminet Jeſaias; imo habet aliquam negligentiae [11]) et redundantiae ſpeciem. Ubi tamen erant, quae ipſius animum vehementius afficerent, ſe altius extulit haud raro, magnumque patefacit dictionis poeticae, ejusdemque elatioris impetum, quem tunc maxime oſtendit, quando mala hoſtibus ſuae gentis praenunciabat (Cap. XLVI — LI.), in quorum contemplatione nihil erat, quod leniores ſenſus excitaret; niſi forſan cauſa, cur haec carmina altius aſſurgunt, inde ſit repetenda, quod in iis plura ex antiquioribus

11) Ita I, 16. X, 5. XXXIII, 9. et XXXV, 2. pro אִתָּם *cum iis* dicit אוֹתָם, quod proprie eſſet *eos;* XX, 11. pro אִתִּי *mecum* eſt אוֹתִי, et XIX, 10. אוֹתָךְ pro אִתָּךְ. Sic minus accurate ſcripſit et Ieremiae aequalis, Ezechiel, vid. e. c. XIV, 4. XXXVII, 26. Hieronymus *Prologum* ad Jeremiam a ſe Latine verſum hisce verbis orditur: *Jeremias propheta ſermone quidem apud Hebraeos Iſaja et Oſee et quibusdam aliis prophetis videtur eſſe ruſticior, ſed ſenſibus par eſt, quippe qui eodem ſpiritu prophetaverit. Porro ſimplicitas eloquii de loco ei in quo natus eſt accidit. Fuit enim Anathotites, qui eſt usque hodie viculus* rel. Abarbenel quoque in Praefatione ad ſuum in hunc prophetam Commentarium obſervat, Ieremiam ſtylo uti minus accurato et eleganti, id quod probat ex frequenti ellipſi, Particularumque אל et על, item Generis, Numeri, Temporis ac Perſonarum enallage, crebro denique uſu metatheſeos per ὕστερον πρότερον, cujusmodi ab ordinario loquendi uſu aberrationes concedit quidem in ceterorum quoque prophetarum ſcriptio, ſed rarius, reperiri.

bus vaticiniis ſunt deprompta [12]). Ceterum in Ieremiae oraculis frequentiores, quam in reliquorum vatum ſcriptis, occurrunt voces et formae, quae Aramaeis ſunt propriae [13]).

IV.

Quae nunc exſtant Jeremiae vaticinia ſintne eadem quae dictante vate excepit, literisque mandavit Baruchus?

Legimus Cap. XXXVI. Jeremiam quarto Jojakimi anno juſſum a Jova, ut quae ejus mandato edidiſſet oracula in librum conſcriberet, publice poſtea in Templo Judaeis praelegendum, ad ſe arceſſiſſe Baruchum, Nerajae filium, ſcribam, cui dictarit calamo excipienda quaecunque inde ab eo tempore, quo vatem agere coepit, usque ad quartum Jojakimi annum tam in Judaeos, quam in alias gentes pronunciaſſet; disciſſo vero et in ignem conjecto a Jojakimo rege volumine illo vatem adornaſſe novum co-

12) Quae quidem eſt Eichhornii ſententia l. l. p. 125. Cf. quae nos in Argumento Cap. XV. XVI. Jeſajae diximus Vol. I. p. 527. edit. ſec.

13) Quo pertinet Jod quieſcens adfixum ſecundae perſonae femininae Praeteriti, veluti לִמַּדְתִּי *docuiſti*, II, 33. XIII, 21., קָרָאתִי *vocaſti*, III, 4., דִּבַּרְתִּי III, 5., הָלַכְתִּי *abiiſti*, XXXI, 21. Item Pronomen femininum אַתִּי IV, 30., et Suffixum femininum כִי in רָעָתֵכִי *malitia tua*, XI, 15. Forma Aramaica eſt תֵזְלִי pro תֵּאזְלִי *abit*, II, 36., הָגְלָה pro הָגְלְתָה *captiva abducta eſt*, XIII, 19. Vox Aramaica eſt כֵּפִים *petrae*, IV, 29. Verſus integer Chaldaico ſermone expreſſus legitur X, 11.

codicem, cui eadem, quae priori, oracula a Barucho denuo inſcribi et novis augeri curaſſet (XXXVI, 31. 32. Cf. XXV, 1. 3. XLV, 1.). Incertum eſt, recitaritne vates memoriter quaecunque recordaretur ex iis oraculis, quae per XXIII annorum ſpatium edidit, an vero, quae eſt BERTHOLDTI ſententia [14]), praelegerit Barucho e volumine ſua ipſius manu ſcripto, in quo vaticinia, ut ſingula ediderat, literis mandarit. Verba quidem hebraica Vs. 18. utrumque admittunt [15]). Alterutrum horum vero ſumas, hoc certum eſt, illo, quod Baruchus dictante Ieremia

14) *Einleitung* in die Schriften des alten und neuen Teſtaments. Vol. IV. p. 1421.

15) Rogatus Baruchus XXXVI, 18. qua ratione quas praelegiſſet Jeremiae prophetias literis mandaſſet, ſic reſpondit: מִפִּיו יִקְרָא אֵלַי אֵת כָּל־הַדְּבָרִים הָאֵלֶּה וַאֲנִי כֹּתֵב עַל־הַסֵּפֶר *ex ore ſuo* Jeremias *recitavit* ſ. *legit mihi omnes hos ſermones, et ego inſcripſi eos libro.* Verbum קָרָא *praelegendi* ſignificatu uſurpatur hujus ipſius Capitis Vs. 14.: הַמְּגִלָּה אֲשֶׁר קָרָאתָ בָּהּ *volumen e quo praelegiſti.* Vid. et Exod. XXIV, 7. Deut. XVII, 19. SCHNURRERUS quidem in *Obſervatt. ad Vaticinia Ieremiae* (in *Commentatt. theologg.* a Velthuſenio et Kuinoelio editt. Vol. IV. p. 76.) ad verba antea allata XXXVI, 18. haec notat: „Quod autem Jeremias dictando rem omnem abſolvit, haud obſcurum indicium eſt, ex memoria nunc omnia ipſi haurienda fuiſſe et quaſi repetenda: etenim ſcriptum quidquam ſi penes ſe habuiſſet, non erat, cur dictaret Barucho, ſed poterat illi quod ſcriptum eſſet tradere exſcribendum.“ Verum potuit Jeremias Barucho quae literis eſſent mandanda praelegendo ideo dictare, ut caveret, ne forte Baruchus alia a manu vatis rudioribus literis exarata ſiniſtre legens falſo ſcriberet, alia per errorem oculi omitteret.

mia exaravit, volumiue, vaticinia alio plane, quam quo hodie comparent, ordine dispoſita fuiſſe. Nam qui nunc exſtat Ieremiae liber in parte priori (Cap. I—XXXV.) plura exhibet vaticinia, quae Zedekiae demum tempore ſunt edita (Cap. XXI. XXIV. XXVIII. XXIX. XXX, 2. XXXII. XXXIII. XXXIV.), quae ſane ei volumini, quod Baruchus quarto Jojakimi anno ſcripſit, ineſſe non poterant. Contra haud pauca, quae illud continere debuerat, utpote quarto Jojakimi anno jam edita [16]), in eo quem nos poſſidemus Ieremiae libro partem ejus poſteriorem occupant.

V.

Quae Jeremiae libro continentur vaticinia non ſunt ſecundum temporis, quo ſunt edita, ordinem diſpoſita.

Ieremiae librum pervolventi mox in oculos incurrere neceſſe eſt, mire turbatum eſſe vaticiniorum ordinem, nec eorum ſeriem regum ſucceſſioni temporumque ordini reſpondere. Argumento ſunt omnia fere quae anni, quo ſint edita, notam praefixam habent oracula, quod quae anteceſſerant, in ultimum paene locum, aut dudum poſt medium ſint rejecta, rurſusque poſtremo pronunciata ſub Zedekia, regum ultimo, priori loco poſita compareant. Sic Cap. XXI.

16) Cap. XLVI, 1—12. XLVIII. XLIX. L. LI.

XXI. ad Zedekiam et ea tempora ſpectat, quibus obſideri urbs a Chaldaeis coepiſſet, Cap. XXV. ad annum Jojakimi quartum, Cap. XXVI. rurſus ad initia regni Jojakimi, Cap. XXVIII. ad initium regni Zedekiae, Cap. XXXII. ad decimum Zedekiae annum, Cap. XXXV. denuo ad Jojakimi regnum, et ſic porro [17]). Cujus perturbati ordinis cauſam alii repetunt inde, quod ſparſa permiſtaque, quibus vaticinia inſcripta fuiſſent, folia, multo poſt a compilatore quodam, inſuper habita temporum ratione, tumultuaria opera fuerint collecta; alii inde, quod quum rite prius inter ſe diſpoſita fuiſſent vaticinia, caſu deinde, vel librariorum incuria ad hunc modum eſſent confuſa. Vitringa [18]) ſparſim editas ſchedisque ſingulis inſcriptas Ieremiae prophetias poſt ejus demum exceſſum a Barucho collectas turbatoque annorum numero in unum volumen coaluiſſe

17) En tibi eorum Partis primae (Cap. I — XXXIX.) vaticiniorum, quae temporis, quo ſint edita, notas praefixas habent, *σύνοψιν*:

Sub Joſia	Sub Jojakimo	Sub Zedekia
Cap. III, 6.	Cap. XXV.	Cap. XXI.
	— XXVI.	— XXIV.
	— XXXV.	— XXVII.
	— XXXVI.	— XXVIII.
		— XXIX.
		— XXXII.
		— XXXIII.
		— XXXIV.
		— XXXVII.
		— XXXVIII.

18) *Prolegomm. in Jeſaj.* p. 12. 13.

luiſſe cenſet [19]). Eichhornius [20]) vatem quarto demum Jojakimi anno vaticinia, quae usque ad hoc tempus edidit, literis mandari curaſſe ſtatuit, nec tamen temporis, quo edita eſſent, ordine ſervato, quod ea memoriter dictaſſet. Illa ſingulis ſchedis, ut Eichhornii fert opinio [21]), a Barucho inſcripta vaticinia temporis ſucceſſu novis adaucta poſt dirutam urbem conſcribi in unum volumen curaſſe, quod exſulibus Babyloniam miſerit. Quas vero ſecum retinuiſſet chartas vatem in Aegyptum delatum exiſtimat Eichhornius retractaſſe, et alia vaticinia, neo tum tamen ſecundum temporis ordinem diſpoſita, limaſſe et interpolaſſe, alia auxiſſe et amplificaſſe, aliis ſubinde adjeciſſe, quae ad ea clariora reddenda et melius intelligenda facerent, quaedam, et plane nova addidiſſe, atque haec omnia ſerie continua in unum volumen perſcribi curaſſe, quod ſyntagma, a Judaeis Palaeſtinenſibus poſtea inter ſuos libros ſacros relatum, id ipſum eſſe, quod nos hodie legimus. Bertholdtus [22]) cauſam, cur ordo vaticiniorum Ieremiae temporum rationibus non eſt accommodatus, repetit inde, quod plura minora ſyntag-

19) Quae ipſa et Huetii eſt ſententia in *Demonſtrat. Evangel.* Propoſit. IV. de Jeremiae prophet. §. 3. p. 438. edit. Lips.

20) *Einleit. in das A. T.* T. III. p. 133 ſqq. edit. tert.

21) Cui tamen refragatur, quod XXXVI, 4. 6. 8. 10. 14. Baruchus quae ipſi dictaſſet Jeremias, *volumini*, מְגִלַּת־סֵפֶר, inſcripſiſſe dicitur.

22) *Einleit.* P. IV. p. 1457 ſqq.

tagmata, quae prius ſingula exſtitiſſent, varie retractata et mutata, in noſtro Ieremiae libro invicem conjuncta et alia aliis inſerta fuerint. Ratio vero, qua id factum fuiſſe ſibi imaginatur, quam hic referre longum eſt, ita eſt artificioſa et implicata, ut vel ideo parum ſit veriſimilis, ut taceamus, nec, illa admiſſa, apparere, cur plura vaticinia eum, quem nunc obtinent locum, occupent. Nos quidem veram rationem ordinis, quo haec vaticinia hodie comparent, conjecturâ quemquam aſſequi poſſe, vehementer dubitamus. Id quidem minus obſcurum eſt, paſſim plures non uno tempore habitos ſermones junctos eſſe ob argumenti ſimilitudinem [23]). Omnes vero vatis conciones ita diſpoſitas eſſe, ut quae vicini ſint argumenti ſint conjunctae, demonſtrari vix poterit.

VI.

De ratione Verſionis Alexandrinae vaticiniorum Jeremiae.

Graeca Alexandrina hujus libri interpretatio textum Hebraeum non per omnia accurate reddit. Primum enim vaticinia inde a Cap. XXV, 15. usque ad libri finem in illa ordine plane alio, quam in Hebraeo, ſunt diſpoſita: nam vaticinia contra gentes, quae in textu Hebraico extremum locum, Cap. XLVI—LI. occupant, in

23) Veluti Cap. XXX. XXXI. XXXIII. L.

in verſione Alexandrina poſt XXV, 14., et alio etiam ordine leguntur. Quaenam Graecae interterpretationis Capita reſpondeant Capitibus Hebraici contextus, ſequens Diagramma oſtendet:

Textus Hebr.	*Text. Graec.*
Cap. XXV, 15—38.	Cap. XXXII.
— XXVI.	— XXXIII.
— XXVII, 1—19.	— XXXIV.
— — — 19—22.	Deſunt, ſed ſupplevit Grabius.
— XXVIII.	— XXXV.
— XXIX.	— XXXVI.
— XXX.	— XXXVII.
— XXXI.	— XXXVIII.
— XXXII.	— XXXIX.
— XXXIII, 1—14.	— XL.
— — — 15—26.	Deſunt, Grab. ſuppl.
— XXXIV.	— XLI.
— XXXV.	— XLII.
— XXXVI.	— XLIII.
— XXXVII.	— XLIV.
— XXXVIII.	— XLV.
— XXXIX, 1—3.	— XLVI.
— — — 4—14.	Deſunt, Grab. ſuppl.
— — — 15—fin.	— XLVI.
— XL.	— XLVII.
— XLI.	— XLVIII.
— XLII.	— XLIX.
— XLIII.	— L.
— XLIV.	— LI, 1—31.
— XLV.	— LI, 31—fin.
— XLVI.	— XXVI.
— XLVII.	— XXIX, 1—7.
— XLVIII, 1—44.	— XXXI.

De-

Cap. XLVIII, 45. 46. 47.	Defunt, Grab. fuppl.
— XLIX, 1—5.	Cap. XXX, 1—5.
— — — 7—22.	— XXIX, 7—fin.
— — — 23—27.	— XXX poft Vs. 33.
— — — 28—34.	— XXX poft Vs. 5.
— — — 35—fin.	— XXV, 13—fin.
— L.	— XXVII.
— LI.	— XXVIII.
— LII.	— LII.

Praeterea defiderantur in hac verfione non modo multae fingulae voces [24]), verum et integri Verfus [25]), et loca quoque longiora [26]). Contra fubinde Graeca interpretatio exhibet quae in textu Hebraeo non exftant [27]). Quae quidem discrepantiae Graecae interpretationis ab eo in quo nunc noftri codices omnes confentiunt, textu Hebraeo, jam ab Origene commemoratae [28]), et in antiquis Latinis verfionibus e Graeca factis ab Hieronymo repertae, tam funt frequentes et ejusmodi, ut neque librariorum ofcitantiae [29]), nec

24) Vid. I, 11. II, 17. III, 1. 9. 10. V, 13. 15. VII, 13. 21. VIII, 4. 10. 13. 17. IX, 12. 16. 22. 25. XI, 22. XV, 11. 15. XVI, 1. 5. 6.

25) Veluti VII, 1. 2. XXXIV (Hebr. XXVII), 12. 13. 14. 19—22. XXXVI (Hebr. XXIX), 13—21.

26) Ut XL (Hebr. XXXIII), 14—26. XLVI (Hebr. XXXIX), 4—13.

27) Vid. II, 28. 30. 31. III, 7. 17. 18. IV, 2. 26. 29. V, 1. 17. 18. VII, 4. 10. XXXV (Hebr. XXVIII.), 10. XXXVI (Hebr. XXIX.), 1. 8.

28) Epift. ad African. Opp. T. I. p. 26. ed. de la Rue.

29) Quae eft Hieronymi opinio in Praefat. ad Commentar. in Jerem.: *Hieremiae ordinem librariorum errore confufum, multaque quae defunt ex hebraeis fontibus digerere, ordinare, deducere et*

nec interpretis aut negligentiae [30]) aut consilio [31]) deberi credibile sit. Textum Hebraeum, quo vetus Graecus interpres est usus, in pluribus locis aliter, quam noster, comparatum et dispositum fuisse necesse est [32]). Videtur jam tum, cum Ieremiae liber primum in Graecum sermonem est translatus, duplex potissimum textus illius διόρθωσις, seu, quam dicunt, *recensio* in co-

complere (censui), *ut novum ex veteri, verumque pro corrupto atque falsato prophetam teneas.* Et in Prologo ad Jeremiam ex hebraeo a se conversum: *Ordinem visionum, qui apud Graecos et Latinos omnino confusus est, ad pristinam fidem conneximus.*

30) Nonnulla loca vel ab interprete vel a librario Hebraeo codicis ejus, quo usus est Graecus interpres, ob ὁμοιωτέλευτα praetermissa fuisse, existimat Jahn in *Append. Hermeneut.* Fasc. II. p. 115. Ita XXXIX, 4—13. ab interprete vel a librario Hebraeo omissum esse putat quod Vs. 3. aeque ac Vs. 13. terminatur iisdem verbis מֶלֶךְ בָּבֶל, ob quod idem ὁμοιωτέλευτον et XXVII, 12—14. omissum credit Versum 13, atque ob aliud affine similiter desinens בָּבֶלָה XXIX, 16—20. excidisse statuit. Fatetur tamen ipse, desiderari in Graeca interpretatione plura alia, in quibus nulla sunt ὁμοιωτέλευτα.

31) Consulto Graecum interpretem omisisse plura loca quae bis occurrunt, sententia fuit G. L. Spohnii (*Jeremias vates e versione Judaeor. Alexandrinor. etc.* P. I. Praefat. p. 14 sqq.). Sed ex plus quam quadraginta locis, quae in Jeremiae libro bis leguntur, Spohnius nonnisi sex septemve afferre potuit, quae alterutro loco in Graeca versione desunt; cetera et in ea repetita leguntur; vid. *Jahn* l. l. p. 113 sqq. Pluribus Spohnii sententiam refellit Eichhorn *Einleit.* P. III. p. 174. edit. tert.

32) Quod pluribus ostendit Eichhorn l. l. p. 151 sqq.

codicibus extitiſſe [33]), altera magis germana, inter Palaeſtinenſes Judaeos propagata, quam noſtri codices Hebraei exhibent, altera negligentius procurata, mutila et paſſim interpolata, qua Judaei Aegypti utebantur, e qua Graeca Alexandrina interpretatio eſt confecta [34]). Duplicis illius vaticiniorum Ieremiae recenſionis origo, deficientibus documentis et teſtimoniis, hiſtorice declarari nequit; conjecturis autem eum defectum ſarcire velle, vanam et nullius fructus operam judicamus [35]).

VII.

33) Simile quid deprehenditur in libris Danielis, Eſtherae, Judithae atque Tobiae.

34) Cf. Eichhorn l. l. p. 137. §. 540.

35) Eichhorn l. l. p. 156 ſqq. textum noſtrum Hebraeum arbitratur eſſe editionem ſecundam pleniorem, quam Jeremias ipſe in gratiam exſulum Hebraeorum in Babylonia degentium procuraverit (vid. ſupra p. 20.), verſionem vero Alexandrinam manaſſe ex editione prima et minus plena. J. D. Michaelis in Annotatt. ad teutonicam ſuam Evangelii Matthaei verſionem Cap. XXVII, 9. p. 284 ſqq. illam editionem, e qua Graeca interpretatio fluxit, genuinam, et ab intruſis ſcholiis puram eſſe cenſet, noſtrum vero textum Hebraicum depravatum fuiſſe variis additamentis autumat, quibus deputat locum XXXIII, 14—26. Jahn denique in *Append. Hermeneut.* Fasc. II. p. 120. conjicit, nonnullos, qui plura Jeremiae effata ab ipſo publice pronunciata audiiſſent, et literis mandaſſent, demum obtento vaticiniorum codice aliqua notata ſua jam commodo, jam incommodo loco inſeruiſſe, quaepiam fortaſſe, fallente memoria, etiam mutaſſe; hinc deſcendere nonnulla in codice noſtro Hebraico alienis locis obtruſa ſegmenta, quae quia nonniſi longiori temporis intervallo in omnes codices immigrarint, in codice interpretis Alexandrini nondum omnia exſtiterint.

VII.

De auctoritate canonica hujus libri, atque de loco, quem inter libros propheticos V. T. obtinet.

Ieremiam ſua vaticinia divino inſtinctu afflatum edidiſſe, adeoque jure merito inter libros ſacros illa locum obtinere, Hebraeis omni tempore perſuaſum fuit. Jovam per Jeremiam et ſeptuaginta annorum exilium, et iis abſolutis, reipublicae Hebraeorum inſtaurationem praedixiſſe, dicitur 2 Chron. XXXVI, 20. 21. Eſr. I, 1. Jesus, Siracides, quem CLXXX annos ante Chr. nat. ſcripſiſſe veriſimile eſt, XLIX, 7. 8. Ieremiam ait Urbis interitum praenunciaſſe, eundemque, qui ab utero vates eſſet conſecratus, a ſuis male eſſe habitum. In eo qui Danielis nomine circumfertur libro, circa annum CLXX ante Chr. nat., uti credibile eſt, ſcripto, Cap. IX, 2., Daniel perhibetur advertiſſe in literis annorum numerum, per quos duraturam eſſe Hieroſolymae calamitatem Jova Ieremiae vati praedixerit. Philo, Judaeus Alexandrinus, Jeſu Chriſto aequalis, Ieremiam vocat *prophetam, divino plenum ſpiritu, qui Dei nomine oraculum* illud ediderit, quod Cap. III, 4. legimus [36]). Alio loco appellat eum *ſocium chori pro-*

36) *De Cherubim* T. I. p. 148. edit. Mang. Ἱερεμίας, ὁ προφήτης, ἅ τε τὰ πολλὰ ἐνθουσιῶν, χρησμόν τινα ἐξεῖπεν ἐκ προσώπου τοῦ θεοῦ κ. τ. λ.

prophetici, qui numine afflatus ſit loquutus[37]. Quae Cap. II, 3. habentur ea *Patrem omnium* ait *per os propheticum loquutum eſſe*[38]. Flavius Josephus Ieremiam vocat *vatem, qui mala urbi eventura ante denunciaverit; literisque mandarit et nunc factum excidium et migrationem in Babylonem*[39]. Quin et Chriſtus ipſe dictis ſuis ex Ieremiae vaticiniis lucem foeneratur, eorumque auctoritatem calculo ſuo comprobat, veluti in admonitione illa Matth. XI, 29. ex Ierem. VI, 16., in exprobranda domus ſuae profanatione Matth. XXI, 13. Marc. XI, 17. Luc. XIX, 46. Joa. II, 16. ex Ierem. VII, 11., in illuſtranda *καρδιογνωσία* ſua Apoc. II, 23. ex Ier. XVII, 10. Apoſtoli denique ſaepius ſuis dictis auctoritatem et firmamentum adjungunt Ieremiae effatis[40].

In Bibliis Hebraeis, qualia nunc manibus verſamus noſtris, vaticiniorum Ieremiae librum in-

37) *De Confus. linguar.* T. I. p. 411. ed. Mang. *Τοῦ προφητικοῦ θιασώτης χοροῦ, ὃς καταπνευσθεὶς ἐνθουσιῶν ἀνεφθέγξατο.*

38) *De Profugis* T. I. p. 575. *Λεκτέον δ' ἤδη καὶ περὶ τῆς ἀνωτάτω καὶ ἀρίστης πηγῆς, ἣν ὁ πατὴρ τῶν ὅλων διὰ προφητικῶν ἐθέσπισε στομάτων.*

39) *Antiqq* L. X. Cap. 5. §. 1. *Ἱερεμίας ὁ προφήτης καὶ τά μέλλοντα τῇ πόλει δεινὰ προεκήρυξε, ἐν γράμμασι καταλιπὼν καὶ τὴν νῦν ἐφ' ἡμῶν γενομένην ἅλωσιν, τήν τε Βαβυλωνίαν αἵρεσιν.*

40) Veluti Paulus Rom. IX, 21. ex Jer. XVIII, 6., 1 Cor. I, 31. ex Jer. IX, 24., 2 Cor. VI, 16. ex Jer. XXXI, 1. Auctor epiſtolae ad Hebraeos X, 15. Jeremiae effata XXXI, 31 ſqq. laudat hisce uſus verbis: *μαρτυρεῖ δὲ ἡμῖν καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον.*

inter prophetas, quos vocant *majores*, locum conſtat tenere ſecundum, medium Jeſajam inter et Ezechielem. Qui quidem ordo ſeſe commendat eo, quod Jeremias Jeſaja poſterior vixit et vaticinatus eſt, et obſervatur idem ille in codicibus Graecae Alexandrinae verſionis [41]), niſi quod in iis volumen prophetarum minorum majoribus praecedat. Et praeterea Melito, Sardianus Epiſcopus, qui circa tempora Marci Aurelii floruit, et Origenes, ipſo poſterior, quorum antiquiſſimas canonicorum librorum antiqui foederis recenſiones nobis ſervavit Eusebius [42]), eodem modo inſtituunt. Olim vero in codicibus Babylonicis et Palaeſtinenſibus Ieremiam inter prophetas majores primum obtinuiſſe locum, Jeſajam tertium, tradunt doctores Talmudici [43]), et fidem faciunt codices nonnulli V. T. manu ſcripti, qui adhuc exſtant [44]), in quibus iſte prophetarum ordo comparet, teſtaturque Buxtorfius [45]), in Maſora manu ſcripta bibliothecae Pala-

41) Vid. Prolegomena ad LXX Interpretes edit. Grab. §. V. 1.

42) *Hiſt. Eccl.* Lib. IV. Cap. 26. et Lib. VI. Cap. 25.

43) In Tract. *Baba bathra* fol. 14. b. תנו רבנן סדרן של נביאים יהושע ושופטים שמואל ומלכים ירמיה ויחזקאל ישעיה ושנים עשר *Tradunt doctores noſtri: ordo Prophetarum ita ſe habet: Joſua, Judices, Samuelis et Regum libri, Jeremias, Ezechiel, Jeſajas et duodecim Prophetarum volumen.*

44) Ut, praeter duos codices Erfurtenſes, a Kennicotto No. 601. 602. ſignatos, codd. 4. 249. 250. 330. 355., et e codd. de-Roſſii 20. 380. 440. 663.

45) *Tiberias* ſ. *Comment. Maſoreth.* Cap. 11. p. 26. b.

latinae tres Prophetas majores eadem ſerie digeſtos reperiri. Rationem, cur Jeſajae, qui ordine temporis praeceſſit Ieremiam et Ezechielem, primus non detur locus, Talmudici afferunt hanc [46]), quod quum libri Regum finiantur in deſcribenda deſolatione Templi et Urbis, Ieremiae autem prophetia tota in eodem verſetur argumento, Ezechielis vero libri prima quoque agant de deſolatione, ultima vero terminentur in eximiorum bonorum promiſſis, quod idem eſt argumentum totius prophetiae Jeſajae, recte ſe facere opinati ſint, ſi affinis argumenti libros inter ſe conjungerent, ſive, ut ipſa habent verba, *ſi deſolationem cum deſolatione, et conſolationem cum conſolatione copularent.* Sed futilem eſſe hanc rationem recte contendit Aʙᴀʀʙᴇɴᴇʟ [47]), ipſe homo Judaeus et traditionum ſuae gentis ſatis ceteroquin reverens. Primum, *quid neceſſe eſt,* ait, *vaſtitatem cum vaſtitate, et conſolationem cum conſolatione connectere?* quum paſſim in libris propheticis oracula conſolatorii et interminatorii argumenti inter ſe permiſceantur, et altera alteris proxime jungantur. Deinde neque illud ita ſe habet, quod jaciunt Talmudici, Ieremiam totum in interminatorio, et Jeſajam totum in

46) Loco laud. poſt pauca interjecta: מכדי ישעה קרים מירמיה ויחזקיאל ליקדמה לישעיה ברישא כיון דמלכים סופיה חורבנא וירמיה כוליה חורבנא ויחזקאל רישיה חורבנא וסיפיה נחמתא וישעיה כוליה נחמתא סמכינן חורבנא לחורבנא ונחמתא לנחמתא:

47) In Praefat. ad Commentar. in Jeſajam.

in conſolatorio verſari argumento. Jeſajas enim, quod Abarbenel exerte hic affirmat, tam de prioris, quam de poſterioris Templi vaſtatione vaticinatur, et in ipſo Ieremia luculenta oracula, quibus populus Hebraeus in ſpem meliorum temporum erigitur, neutiquam deſiderantur. Aliam magis probabilem rationem, cur veteres Ieremiam praemiſerunt ceteris prophetis, attuliſſe ſibi viſus eſt VITRINGA [48]); illos, quod ſibi perſuaſum haberent, libros Regum compoſitos eſſe digeſtosque a Ieremia [49]), eis proxime adjunxiſſe ejusdem prophetae fatidicum librum, ne qui ab eodem auctore proficiſcuntur libri divellerentur. Accedere, quod poſtrema pars hiſtoriae illius, quae in libris Regum conſcripta eſt, contineat notabile implementum vaticiniorum Ieremiae et Ezechielis, atque adeo vel ſola haec ratio movere potuerit Legis peritos antiqui temporis, ut illorum prophetias libris Regum proxime ſubjicerent, et ob argumenti affinitatem inter ſe conjungerent. Qua de cauſa et factum fuerit ut extimam laciniam librorum Regum attexuerint libro Ieremiae, ut praecipuorum ejus vaticiniorum de excidio Templi et Urbis implementum lecturo ſimul ob oculos verſaretur, atque adeo prophetiae et hiſtoriae illius cognatio om-

48) In *Prolegomm. Comment. in Jeſaj.* p. 20 ſqq.

49) *Baba bathra* fol. 15. a. ירמיה כתב ספרו וספר מלכים וקינות. *Jeremias ſcripſit librum ſuum* vaticiniorum, *et librum Regum et Threnos.*

omnibus demonſtraretur; niſi forſan id ab illis profectum ſit auctoribus, qui prophetiam Ieremiae poſtea a libris Regum divellerunt. Quod Eichhornius conjicit [50]), libro Jeſajano ultimum inter prophetas majores locum olim aſſignatum fuiſſe ideo, quod illi plura immiſta ſint, ab aliis vatibus profecta, adeo ut pro anthologia potius prophetica habendus ſit, quae commode ſubjecta fuerit iis libris, qui vaticiniis eorum prophetarum, quorum prae ſe ferunt nomina, nihil alieni admixtum habent, an ſatis ſit veriſimile, judicent alii.

50) *Einleit. in das A. T.* P. III. p. 95. edit. tert.

ELEN-

ELENCHUS

INTERPRETUM IEREMIAE*).

I.

Hebraei.

De Salomone Jarchio, Isaaci Fil., vulgo Rasche dicto, et Davide Kimchio, Josephi Fil., quorum Commentarii in Ieremiae Vaticinia in Bibliis Rabbinicis et Buxtorfianis et Amſtelodamenſibus leguntur, nec non de Isaaco Abarbenele, et R. Sa-

*) Omiſſi ſunt in hoc Elencho ii Jeremiae interpretes, qui vel omnes V. T. libros, vel Prophetas cunctos verterunt et Commentariis explanarunt. Eos recenſuimus in *Notitia Interpretum* Commentario noſtro in Jeſajam praemiſſa p. VIII. ſqq. Annotationes ad Jeremiam in Bibliis Halenſibus (l. l. p. XIII.), bonae frugis pleniſſimas, concinnavit C. B. Michaelis, Joannis Davidis Mich. pater. Addendi vero illis jam ſunt G. M. L. de Wette, cujus translatio teutonica vaticiniorum Jeremiae legitur in *den Schriften des A. T. neu überſetzt von* J. C. W. Augusti et W. M. L. de Wette. Vol. IV. Heidelberg. 1810. in octon., et J. G. Eichhorn in *den bibliſchen Propheten* a ſe in ſermonem vernaculum translatis et explanatis, tribus Voluminibus, Gotting. 1816—1819. in octon. Ieremiae vaticinia continentur Volumine ſecundo.

Salomone Ben Melech, vide *Elenchos Interpretum* Iobo et Ezechieli a nobis editis praemiſſos.

R. Meiri, R. Isaaci Aramae Fil. (mortui ao. 1556. aerae Theſſalonici) אורים ותומים Commentarium complectens in Ieſajam et Ieremiam editum eſt Venetiis 1608. in quaternis, repetitum in Bibliis Rabbinicis Amſtelaedamenſibus a. 1724. forma maxima editis.

קריה נאמנה כולל נביאים וכתובים ספר ירמיה מתורגם אשכנזית ומבואר מראש הספר עד פרשה י"א מאת הבחור השלם דוד אָטטענזאָסער ומפרשה י"א עד סוף הספר מאת החכם הגדול שמו נודע בשערים שלום הכהן נר"ו. גם הצגתי בו פירוש הנשר הגדול רש"י זצ"ל ובכל מקום שכתב בפירושו מלה בלע"ז בצדו באר היטיב פירושו בל"א. ונלוה אליו פירוש מכלל יופי שכל דבריו כנופך ספיר ויהלום מבאר בקצרה כל סתור ונעלם. בפיורדא בבית ובדפוס התורני כהר"ר איצק יצ"ו. בן המנוח התורני כהר"ך דוד צירנדארף ז"ל בשנת התק"ע לב"ע.

Urbs fidelis (Jeſ. I, 21.), *complectens Prophetas et Hagiographa. Liber Ieremiae, Germanice verſus et* (Commentario Hebraico) *explanatus ab initio libri usque ad Cap. XI. a* viro *electo et integerrimo* David Ottenzoser, *et inde a Cap. XI. usque ad finem libri, a* viro *ſapientiſſimo et celeberrimo* Schalom Hacсohen, *cuſtodiat eum* Deus *miſericors et liberet eum! Exhibui quoque in hoc* libro *Commentarium aquilae magnae,* R. Salomonis Jarchi, (*memoria juſti ad benedictionem!*). *Et ubicunque in ſuo Commentario uſus eſt*

voce peregrinae linguae, appoſita eſt ejus explicatio in lingua Germanica. Illi junctus eſt Commentarius inſcriptus Michlal Jophi (i. e. perfecta pulchritudo Pſ. L, 2.), *qui totus eſt inſtar carbunculi, ſapphiri et adamantis, exponitque ſuccincte omne abſconditum et occultum. Fürthae, in domo et typographia legisperiti (gloria magiſtri noſtri!)* Izak *(cuſtodiat eum rupes ejus et redemtor ejus!) Filii beati legisque periti Davidis Zirndorf, anno* 5570 *ab orbe condito* (i. e. 1810 a. Chr.) In octonis. Ottenzoſero, oculorum infirmitate impedito, quo minus coeptum opus continuaret, typographi precibus motus quod ille exorſus eſt pertexuit Schalom Haccohen, Hamburgenſis, ut ipſe in Praefatione dicit, in qua et Iſagogen in vaticinia Ieremiae dedit. In conſcribendo Commentario ait ſe ita verſatum eſſe, ut ex prioribus Commentariis, quae ſibi ad ſenſum illuſtrandum maxime idonea viſa eſſent, eligeret, in locis difficilioribus varias interpretum ſententias commemoraret, et, ubi interpretes Hebraei ſibi non ſatis fecerint, et exterorum eruditorum ſententias adferret, ſecundum illud Sapientis effatum: *ſuſcipe verum ab eo qui illud dicit; et: nonnunquam reperitur margarita in arena* *).

II.

*) אולם במקום שלא נח דעתי בכל מפרשי העברים הבאתי גם דעות חכמי עמים כמאמר החכם: קבל האמת ממי שאמרו. ופעמים נמצא מרגניתא בחול:

II.

Patres Ecclesiastici.

Origenes, natus a. 185. mort. a. 254., ſcholae Alexandrinae praefectus, XLV in Ieremiam Homilias literis mandavit, quarum *octo* e codice Vaticano Graece et Latine edidit Mich. Ghislerius in T. II. Commentarii ſui, XIX Graece edidit Balthaſar Corderius e Scorialenſis Bibliothecae codice, a. 1648., quas genuino auctori ſuo vindicavit Huetius *Origenianor.* L. III. Sect. III. §. 9. et ſuae Commentariorum Origenis editioni inſeruit ſuo loco *Opp.* T. I. p. 53., T. III. p. 125. ed. *de la Rue.* Origenem conſtat de ſenſu grammatico et hiſtorico parum ſollicitum fuiſſe, imo vilem eum habuiſſe et tantum non ſpreviſſe. Vid. Patris *Hiſtoriam interpretat. libror. ſacror. in eccleſ. Chriſt.* T. III. (Lips. 1807.) p. 1 ſeqq.

Eusebii Hieronymi, Stridonenſis, Presbyteri (mort. a. 420.) *Commentariorum in Ieremiam* Libri *ſex,* quibus nonniſi priora XXXII Capita interpretatus eſt, leguntur in *Opp.* Hieronymi edit. Martianaei T. III., Vallarſii T. IV. Vid. de eruditiſſimo hoc interprete Patris *Hiſt. interpret.* T. III. p. 329 ſqq., et cf. *Elenchum* noſtrum *Interpretum Ezechielis* p. V., et *Notit. Interprett. Jeſajae* p. VII.

Ephremi, Niſibeno-Syri, Theologi, Edeſſeni (clar. circa annum 370.), Commentarius in Ieremiam, ſermone Syriaco conſcriptus, legitur in

Ejus Operum Syriace et Latine a *Petro Benedicto*, Romae 1740. fol. editorum, *Tomo ſecundo.*

Theodoreti, Epiſcopi Cyrenſis (clar. circa annum 420.), Commentarius in Ieremiam exſtat in Operum ejus T. II. edit. Sirmond., et in T. II. P. II. edit. Hal.

De Catena e Graecis Latinisque Patribus, et, quod Graecos attinet, e codice Vaticano conſerta a *Michaele Ghislerio* in ſuo Commentario in Ieremiae vaticinia vide infra p. 38.

III.

Interpretationes Vaticiniorum Ieremiae inde a Seculo XVI A° Christianis editae.

Ulrici Zwinglii *Complanatio Ieremiae prophetae*, Tiguri 1531. fol., et in ejus Operum Tomo III. p. 305.

Jo. Oecolampadii *in Ieremiam prophetam Commentariorum libri tres, et in Ieremiae Threnos Enarrationes*, Argentorati 1533. in quatern.

Jo. Bugenhagii *Adnotationes in Ieremiam et Threnos*, Vitemb. 1546. in quatern.

Franc. Zichemii *Enarrationes in prophetam Ieremiam*, Colon. 1559. in octon.

Hector. Pinti *Commentarius in Ieſajam, Ieremiam et Threnos*, Lugduni 1561. fol., repetit. ibid. 1584. 1590., et Salmanticae 1581.

Jo.

Jo. Calvini *Praelectiones in Ieremiam et Threnos* (a Jo. Budaeo et Carolo Jonvillier, auditoribus ejus, collectae et editae), Genevae 1563. fol., repet. 1576 et 1589., et in ejus Opp. T. IV. Amſtelod. 1667. Gallice, Genevae 1565. Fol.

Victorini Strigelii *Conciones Ieremiae prophetae ad ebraicam veritatem recognitae et argumentis atque ſcholiis illuſtratae,* Lips. 1566. in octon. Cujus et prodierunt *Adnotationes in partem Ieremiae,* item duae orationes, altera *de curriculo vitae Ieremiae,* altera *de patriarcha Joſepho,* Lipſiae 1564. in octon.

Andr. Capellae (Hispani, Carthuſiani Ord. Prior., poſt Epiſcopi Urgelenſis) *Commentaria in Ieremiam prophetam, quibus Latina vulgata editio exponitur, et cum Ebraica origine, Septuaginta ſeniorum interpretatione paraphraſique Chaldaica confertur,* Tarraconae 1586. in quatern.

Petri Figueiro *Paraphraſes in prophetias Ieremiae,* Lugduni 1596. in octon. Inſunt etiam ejus Operibus, quae prodierunt Lugduni 1616 duobus tomis. fol.

Hugonis Brougthoni *Commentarius in Ieremiae prophetiam et Lamentationes,* Genevae 1606. in quatern.

Amandi Polani *Commentarius in Ieremiam*

miam et exegesis in Threnos, Basileae 1608. in octon.

Christophori Castri, Ocaniensis, e Societate Jesu Theologi, et in Complutensi Collegio ejusdem Societatis sacrar. literar. Professoris, *Commentariorum in Ieremiae prophetias, Lamentationes et Baruch* libri sex. Lutet. Paris 1609. fol., repet. Mogunt. 1616. fol.

Casp. Sanctii *Commentarius in Ieremiam prophetiam et Threnos*, Lugduni 1618. fol.

Michaelis Ghislerii, Romani, ex Clericis regularibus, *in Ieremiam prophetam Commentarii; item in Baruch; et breves D. Jo. Chrysostomi in Ieremiam explanationes, et octo Origenis Homiliae: quae omnia nunc primum in lucem emittuntur.* Lugduni 1623. tribus voluminibus, fol. Singulos Versus e Latina vulgata versione sequitur 1) Paraphrasis Literae; 2) Expositio prima, juxta sensum literae; 3) Expositio secunda, juxta sensum mysticum; 4) Expositio tertia, juxta sensum moralem. Pluribus Versibus hoc modo illustratis subjicitur *Appendix expositionum ex antiquis Patribus collecta*, praemissa Paraphrasi Chaldaica latine translata. Quae e Patribus Graecis tum jam editis excerpta sunt, Latine tantum versa adducuntur, Quibus omnibus subjicitur alia Catena nunc primum Graece e Graeco Vaticano codice edita.

ta, a Leone Allatio, Chio, Latine reddita, et a Joanne Matthaeo Cariophylo, Cretensi, exactius recognita.

Jo. Hulsemanni, Theologi Lipsiensis, *in Ieremiam et Threnos Commentarius posthumus, analysi accurata, cum logico-rhetorica, tum grammatica textum prophetae, collatis variorum interpretum sententiis e fonte hebraeo luculenter exponens, una cum aphorismis theoreticis et practicis praemissa Dissertatione de prophetia in genere recensente D. Abrah. Calovio.* Rudolstadii 1663. in quatern., repetit. cum Praefatione *Valentini Alberti.* Lips. 1696. in quat., quae posterior editio priore est auctior. Exhibet opus hoc non justum diligenterque elaboratum commentarium, sed annotationes breviores, quas Hulsemannus in scholis suis auditoribus tradidit.

Joa. Forsteri *Commentarius in prophetam Ieremiam, in quo non tantum accurata analysis textus et perspicua totius contextus exegesis, sed etiam varius singulorum Capitum et omnium in iisdem prophetiarum usus exhibentur,* Vitemb. 1672., repetit. ibid. 1699. in quatern.

Sebast. Schmidii *Commentarius in librum prophetiarum Ieremiae, in quo textus exquisitiori analysi resolvitur, annotationibus ad sin-*

ſingulos Verſus illuſtratur, ſingulis etiam deinde iſtis certi loci communes ſubjiciuntur, Argentorati 1685. in quat., repetit. Francofurti ad Moen. 1697. et 1706. duob. tomis in quat.

Jac. Altingii *Commentarius in Ieremiam prophetam*, in *Opp.* T. I. p. 631. Amſtelod. 1687. fol.

Elberti Noordbeek (Eccleſiaſtis Worcumenſis) *bekoopte Uitlegginge van de prophetie Ieremie, waarin de prophetien in here ordre ontledet, en de ſpreekwyſen kortelyk geoopent worden*, Franeker 1701. in quatern.

Will. Lowth's *Commentary upon the prophecy and lamentations of Ieremiah*, London 1718. in quatern.

Joh. Friedr. Burscher's *Verſuch einer kurzen Erläuterung des Propheten Ieremiae, nach der eignen Uebereinſtimmung der heiligen Bücher, mit Chr. Aug. Cruſius Vorrede.* Lips. 1756. in octon.

Herm. Venema *Commentarius ad librum prophetiarum Ieremiae, quo conciones rite distinguuntur, ſcopus, nexus et ſeries ſermonis accurate inveſtigatur, perpetua paraphraſi exponitur et ſelectis obſervatis voces et phraſes illuſtrantur, ac implementi demonſtratione, ubi opus fuerit, confirmantur*, Leovardiae 1765., duobus Tomis in quatern.

Chr.

Christ. Gottfr. Struensee's *Neue Uebersetzung der Weiſſagung Ieremiae nach dem hebräiſchen Text, mit Zuziehung der griechiſchen Verſionen,* Halberſtadt 1777. in octon.

Jeremiah and Lamentations. A new translation with Notes, critical, philological and explanatory. By Benjam. Blayney, Oxford. 1784. in quatern.

Jo. Dav. Michaelis *Obſervationes philologicae et criticae in Ieremiae vaticinia et Threnos. Edidit multisque animadverſionibus auxit* Joa. Frid. Schleusner, Gotting. 1743. in quatern.

Christ. Frid. Schnurerri Obſervationes ad vaticinia Ieremiae, Part. I—IV. Tübing. 1793 —1794. in quatern. Repetitae in *Commentatt. Theologg.* a Velthuſenio, Kuinoelio et Ruperto editis. Vol. II—V.

Ant. Frid. Guil. Leiste *Obſervationes in vaticiniorum Ieremiae aliquot locos,* Gotting. 1794. in octon. Ab auctore recognitae et multis augmentis locupletatae in *Sylloge Commentatt. Theologg.* edit. a D. J. Pott et G. A. Ruperti. Vol. II. Helmſt. 1801. in octon.

Jeremias vates e verſione Judaeorum Alexandrinorum ac reliquorum interpretum Graecorum, emendatus notisque criticis illuſtratus a Gottl. Leber. Spohn. Vol. I. Lips. 1794. Vol. II.

II. post obitum Patris edidit Frid. Aug. Guil. Spohn. Lips. 1824. in octon.

C. G. Hensler's (Theologi antehac Chilonensis) *Bemerkungen über Stellen in Jeremias Weissagungen*, Leipz. 1805. in octon.

J. F. Gaab's (Theologi Tubingensis) *Erklärung schwerer Stellen in den Weissagungen Jeremias*, Tübingen 1824. in octon.

IEREMIAE

VATICINIA.

PARS PRIMA.

VATICINIA QUAE ANTE EXCIDIUM URBIS SUNT EDITA.

Cap. I—XXXIX.

LIBRI INSCRIPTIO.

Cap. I, 1. 2. 3.

Conciones Jeremiae, Chilkiae filii, ex Ana- 1.
thotensibus sacerdotibus, in Benjamitide, quo- 2.
cum verba fecit Jova temporibus Josiae, Amo-
nis filii, Judaeae regis, anno ejus regni deci-
mo tertio, item tempore Jojakimi, Josiae 3.
filii, Judaeae regis, usque ad peractum an-
num undecimum Zedekiae, Josiae filii, Ju-
daeae regis, donec in captivitatem acti sunt
Hierosolymitani, mense quinto.

NOTAE.

Versus primus generalem totius libri inscriptionem exhibet, Versus secundus et tertius vero ad primam duntaxat libri partem pertinent, quae conciones ante rempublicam eversam habitas continet, Cap. I—XXXIX. Ei libri parti, quae complectitur oracula a Jeremia post urbem

bem excifam prolata, intexta narratione eorum, quae ipfi ab illo inde tempore acciderunt, praefigitur initio Capitis XL nova epigraphe. Quod hic liber infcribitur דִּבְרֵי יִרְמְיָהוּ, ut Amofi liber דִּבְרֵי עָמוֹס, nec quemadmodum alii libri prophetici, חֲזוֹן *vifio*, aut דְּבַר יְהוָה *verbum Jovae*, aut מַשָּׂא *effatum*, Kimchi et Abarbenel caufam afferunt hanc, quod hoc Jeremiae, uti et Amofi, volumine, praeter prophetias, quas ipfi loquuti funt, et ea, quae ipfis acciderunt (דְּבָרִים) continentur. Argutiae! Nam et liber Coheleth, qui nihil de fcriptoria rebus privatis immixtum habet, דִּבְרֵי קֹהֶלֶת *verba concionatoris* infcribitur. Nec igitur erat, cur Dathius verba דִּבְרֵי יִרְמְיָהוּ verteret *Hiftoria Jeremiae*. Recte vero Abarbenel obfervat, quod in enumeratione regum Judae, quibus regnantibus Jeremias vaticinia edidit, non memoratur Joachafus, qui ante Jojakimum regnavit, rationem effe hanc, quod Joachafus tres duntaxat menfes regnavit, qui fub annis Jojakimi comprehenduntur, quemadmodum nec Jechonjae, qui Jojakimo fucceffit, mentio fit, quod is quoque non nifi tribus menfibus regnum adminiftravit. Vs. 3. וַיְהִי C. B. Michaelis in Notis ad Biblia Halenfia explicat: „idemque *etiam fuit* propheta.“ Sed recte Filius, Joannes Davides, monet, repetenda effe e Vs 2. verba דְּבַר־יְהוָה, ut fit: *et porro factum eft ad eum verbum Jovae in diebus Jojakimi*, rel. Reliqua, quae ad illuftrandam infcriptionem faciunt, occupavimus in Prooemio.

I.

I.

Ieremias Vates inauguratur.

Cap. I, 4—19.

ARGUMENTUM.

Ieremiae Deus ſignificat, ſe eum, antequam natus eſſet, vatem deſtinaſſe (Vs. 4. 5.). Deprecanti munus ſibi oblatum, cui ſe imparem ſentiat (Vs. 6.), Deus animum addit (Vs. 7. 8.), tactoque ejus ore prophetam confecrat (Vs. 9.). Inauguratum prophetam Deus inſtruit muneris partibus (Vs. 10.), eumque, ne dubitaret eventura eſſe, quae ſit praedicturus, confirmat imagine virgae amygdalinae (Vs. 11. 12.), ad vigilem Dei curam in promiſſionibus et minis ſuis implendis ſignificandam. Tum quo in argumento potiſſimum verſari debeant prophetae vaticinia oſtendit imago ollae ferventis ad aquilonem converſae (Vs. 13—16.), ad excidium corruptiſſimo populo Judaico a Chaldaeis imminens ſignificandum. Denique adhortatur prophetam ad munus ſtrenue et intrepide obeundum, promittitque ei incolumitatem, quicquid in ipſum machinentur potentiſſimi adverſarii (Vs. 17—19.).

Jova ad me verba fecit in hunc mo- 4.
dum: Ego te priusquam in alvo formaſ- 5.
ſem, noveram, et priusquam ex utero exiiſ-

ſes,

ſes, conſecraveram, vatem gentibus deſtinans.
6. At ego, ah! Domine Jova, inquam, en lo-
7. qui neſcio, quippe qui ſim puer. Et Jova
me alloquens, ne dixeris, inquit, te eſſe
puerum; nam quo te cunque ego miſero,
ibis, et quicquid tibi mandavero, eloqueris.
8. Ne illos timeto: adſum enim tibi, tui de-
9. fendendi gratia, inquit Jova. Tum pro-
miſſa manu ſua Jova mihi tetigit os, et me
ſic alloquutus eſt: en! mea dicta tibi in
10. os trado. Adſpice: praeficio te hodierno
die gentibus et regnis, ad exſtirpandum,
diruendum, perdendum et evertendum, ad
exſtruendum et plantandum.
11. Tum mecum verba faciens Jova, quod vi-
des, inquit, Jeremia? Cui ego, baculum
12. amygdalinum video, inquam. Et Jova, recte
vides, inquit: nam ego meum dictum ex-
13. ſequi vigilabo. Iterum me alloquens Jova,
quid vides? inquit. Cui ego: ollam ebullien-
tem video, cujus anterior pars aquilonem
14. verſus ſpectat. Et Jova, ab aquilone, in-
quit, malum aperitur in omnes hujus terrae
15. incolas. Nam ego omnes nationes regna-
que ad aquilonem convocabo, inquit Jova,
venientque et ſuum quisque ſolium colloca-
bunt ante portas Hieroſolymae, et contra
muros ejus circumquaque, atque contra om-
16. nes urbes Judaeae. Poenasque ab eis re-
petam tot illorum ſcelerum, qui me relicto
diis

diis ſuffiverint aliis, ſuarumque manuum
opera adoraverint. Tu vero accinctus la- 17.
tera ſurge, et eis eloquere, quicquid tibi
mandavero, neve illos pertimeſce, ne ego te
coram illis exſcindam.

Ego vero te hodie conſtituo inſtar urbis 18.
munitae ferreaeque columnae, et muri
ahenei contra totam hanc regionem, in Ju-
daeae reges atque principes, in illius ſacer-
dotes et incolas. Pugnabunt contra te, ſed 19.
tibi non praevalebunt, quoniam tibi ego ad-
ſum, inquit Jova, tui defendendi gratia.

NOTAE.

4. Pro אֵלַי *ad me*, in codice De-Roſſii numero 1092. ſignato (Hispanico, initio Sec. XIII. ſcripto) a prima manu legitur אֵלָיו *ad eum*, conſentiente Graeco Alexandrino in codice Vaticano (*πρὸς αὐτὸν*), Mosquenſi a Matthaeo literâ D ſignato, Theodoreto in codice Bavarico, et Origene T. III. p. 127. אֵלָיו praeferendum videtur Schleusnero ad J. D. Michaelis *Obſervatt. in Ieremiam* a ſe editas. Sed cum recepto אֵלַי conſentiunt LXX. e lectione codicis Alexandrini, Syro-Hexaplaris, verſionis Arabicae, et editionis Aldinae ac Complutenſis. Sine argumento idoneo Hubigantius et De-Roſſi *πρός με*, habent pro correctione, et *πρὸς αὐτὸν* veram *τῶν* LXX, ſcripturam.

5. בְּטֶרֶם אֶצָּרְךָ בַבֶּטֶן יְדַעְתִּיךָ *Priusquam te formaſſem in utero, novi te*, i. e. agnovi et ſelegi te idoneum mihi miniſtrum futurum. Inducit Deum loquentem, et ut ſermo plus habeat ponderis, et ut oſtendat, ſe non temere ingeſſiſſe prophetam, ſed talem a Deo fuiſſe de-

ſtinatum antequam natus eſſet. Ad אצורך Maſorethae ad marginem notarunt, ו׳ יתירה *Vav redundare*, adeoque eſſe אֶצָּרְךָ legendum, quod eſt prima Futuri Kal verbi יָצַר *finxit, formavit*, prima radicali *Jod* ſecundae ſeſe aſſimilante, et per Dageſch forte compenſata; vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 390. Sed quae in textu exſtant Conſonantes hisce animandae ſunt Vocalibus: אֲצוּרְךָ, a Verbo צוּר, haud diverſae a יָצַר ſignificationis, ut recte animadvertit A. Schultens in *Animadverſſ. philologg.* ad h. l. in *Operr. minorr.* p. 293. „Arabibus," inquit, „Verbum صَوَّرَ, צור, hac *formandi* per creationem ſignificatione familiariſſimum eſt, et ſaepiſſime in Alcorano uſu venit. Ita Sur. LXIV, 3. وَصَوَّرَكُمْ فَأَحْسَنَ صُوَرَكُمْ *et formavit vos* Deus, *et pulchras fecit formas veſtras.* Et Sur. III, 4. locus eſt noſtro plane ſimilis: هُوَ ٱلَّذِي يُصَوِّرُكُمْ فِي ٱلْأَرْحَامِ *ille eſt qui formavit vos in utero.*" Chaldaeus: עַד לָא בְרֵיתָךְ בִּמְעַיִן אַתְקֵנְתָּךְ *antequam crearem te, inde ab utero te diſpoſui.* הִקְדַּשְׁתִּיךָ *Sanctificavi te*, ſegregavi, ſepoſui te, quaſi in rem ſanctam, ut eſſes ad propheticum munus inter reliquos mortales ſeparatus. Ita et Paulus, Apoſtolus, Rom. I, 1. vocat ſe *ἀφωρισμένον εἰς εὐαγγέλιον Θεοῦ.* Et Gal. I, 15. dicit: *Ὅτε δὲ εὐδόκησεν ὁ Θεὸς, ὁ ἀφορίσας με ἐκ κοιλίας μητρός μου.* Chaldaeus: עַד לָא אֲתֵיתָא לְעָלְמָא זַמֵּנְתָּךְ *antequam in mundum venires deſtinavi te.* Verba נְתַתִּיךָ; יְדַעְתִּיךָ, קִדַּשְׁתִּיךָ J. D. Michaelis recte obſervat non eſſe re temporibusque diſtinguenda, ſed eſſe *ἐπεξήγησιν* ſeu *ἐξεργασίαν.* נָבִיא לַגּוֹיִם נְתַתִּיךָ *Prophetam* non ſolum Judaeis, verum et *gentibus* aliis *conſtitui te.* Cf. infra Vs. 10. XXV, 15 ſqq. XLVI—LI. Chaldaeus: נְבִי מַשְׁקֵי כַּס דְּלְוָט לְעַמְמַיָּא מַנִּיתָךְ *prophetam qui propinet gentibus poculum exſecrationis conſtitui te.* Ad quam in-

interpretationem cf. infra XXV, 15. Jeſaj. LI, 17. Pſ. LXXV, 9.

6. Munus ſe detrectaſſe refert, tum ut ſe a temeritatis ſuſpicione purgaret, tum ut reverentiam ſibi conciliaret. Pro אֲהָהּ, Interjectione plangentis, quam Chaldaeus interpretatur קַבֵּל בָּעוּתִי *ſuſcipe preces meas*, in verſione Graeca Alexandrina legitur *ὁ ὢν* (*δέσποτα Κύριε*). Sed interpretem ſcripſiſſe *ὦ*, quod degenerarit in *ὢν*, cui ſequenti tempore Articulus *ὁ* additus ſit, ſatis veriſimiliter conjecit Spohnius. הִנֵּה לֹא־יָדַעְתִּי דַּבֵּר *En! neſcio loqui*, ſcilicet graviter et ſevere, uti prophetam decet. Chaldaeus: הָא לֵית אֲנָא יָדַע לְאִתְנַבָּאָה *en! ego neſcio vatem agere.* Addit rationem: כִּי־נַעַר אָנֹכִי *nam puer ego* ſum, i. e. juvenis nulla auctoritate praeditus. Interdum quidem vox נַעַר de provectioribus dicitur, ut Exod. XXXIII, 11. de Joſua Moſi miniſtrante, et ſine reſpectu aetatis, ut 1 Sam. XXV, 5. Eſth. II, 2. Hic autem nihil eſt, quod ita accipere cogat. Videtur Jeremias tum viginti circiter annorum juvenis fuiſſe, ejus igitur aetatis, ut experientiam nondum habuerit, cum regibus, principibus ex quibusvis hominibus agendi. Chaldaeus: וּמִשֵּׁרוּיוּתִי עָקָא וְגָלוּ אֲנָא מִתְנַבֵּי עַל עַמָּא הָדֵין *et a principio meo anguſtiam et captivitatem vaticinor contra hunc populum.*

7. עַל־כָּל־אֲשֶׁר אֶשְׁלָחֲךָ תֵּלֵךְ *Ad omnem*, quemcunque, *te mittam, ibis;* nam cum regibus et principibus acturus erat. עַל hic pro אֶל *ad* poſitum, ut 1 Sam. II, 11. Pſ. XIII, 6. Jeſaj. LIII, 1. Alii *ſuper* vertunt, hoc ſenſu: ſuper quodcunque negotium te mittam, ibis.

8. אַל־תִּירָא מִפְּנֵיהֶם *Ne timeas a facie eorum*, i. e. ab illis. Reſpiciunt haec occultam rationem tergiverſationis prophetae, timiditatem ejus, quam Deus luculento promiſſo auxilii ipſi praeſtandi tollit. כִּי־אִתְּךָ אֲנִי לְהַצִּלֶךָ *Nam tecum ego ero ad eripiendum te.* להצלך, inquit J. D. Michaelis, „auctor punctorum ad radicem נָצַל retulit; at poſſet Verbum ſine Jod ſcriptum melius ad

 צָלַל

צָלַל referri, לְהַצִּלֶךָ *ad obumbrandum*, ſ. *obtegendum te.* Nullum tamen ex veteribus id facere video. In permultis codicibus Kennicottianis plene להצילך ſcriptum reperitur, ut infra Vs. 19." Verum recte ad vocem iſtam notavit Kimchi: „Non promittit illaeſum manſurum; nam multis injuriis exagitatum adeoque percuſſum vatem legimus, ſed ſe eum e manibus adverſariorum erepturum pollicetur, ne ab eis interficeretur; vid. infra XXXVI, 26."

9. וַיִּשְׁלַח יְהוָה אֶת־יָדוֹ וַיַּגַּע עַל־פִּי *Emiſitque Jova manum ſuam tetigitque os meum*, quo tactu oſtendit os illud dicatum ſibi eſſe. Symbolica haec fuit prophetae inauguratio. Quemadmodum pruna ardens de altari attigit os Jeſajae, VI, 7. et Ezechieli liber datus eſt comedendus, II, 8. 9. 10., ita Jeremiae os tetigit manus divina. Chaldaeus: וּשְׁלַח יְיָ יַת פִּתְגָּמֵי נְבוּאָתֵיהּ וְסַדַּר בְּפוּמִי *miſitque Jova verba prophetiae ſuae diſpoſuitque in ore meo.*

10. הִפְקַדְתִּיךָ הַיּוֹם הַזֶּה וגו׳ *Praefeci te hodie populis et regnis ad evellendum, demoliendum, perdendum et diſſipandum, ad aedificandum et plantandum*, i. e. conſtitui te qui populis et regnis vel excidium et ruinam, vel inſtaurationem annuncies. Prophetae dicuntur id facere, quod futurum praenunciant. Ita infra XV, 1. *Projice iſtos homines*, i. e. projiciendos vaticinare. Ezech. XIII, 19. *Ad occidendum animas*, i. e. ad praenunciandum morituras eſſe. Ezech. XLIII, 3. *Quando veni ad perdendam civitatem*, i. e. ad praenunciandum perdendam. Hoſ. VI, 5. Deus legitur *caedere per prophetas.* Cf. not. ad. Jeſaj. VI, 10. et Glassii *Philol.* S. p. 261. ed. Dath. Nec exteris inuſitatus eſt hic loquendi modus. Ita Virgilius *Aen.* VI, 65 ſqq.

— — Tuque, o ſanctiſſima vates,
Praeſcia venturi, da, non indebita poſco
Regna meis fatis, Latio conſidere Teucros.

Ad

Ad quae Heynius haec notat: „Solent in vaticiniis notiones hae inter se permutari, ut, cum diversa sint *praedicere* et *praedicta efficere*, vates tamen sibi arrogent, aut ut vatibus tribuatur alterum hoc. Itaque a vatibus postulatum legimus, ut meliora et laetiora praedicant, ac si ipsi rerum eventa disponant." Ceterum in hoc, quo versamur, Jeremiae loco priora duo verba, quae ad excidium pertinent, לִנְתוֹשׁ וְלִנְתוֹץ, praeterquam quod paronomasiam, seu adliterationem involvant, Orientalibus adamatam, metaphoram continent duplicem, alteram ab arbore, quae eradicatur, alteram ab aedificio, quod funditus evertitur, desumtam; priorem נָתַשׁ, posteriorem נָתַץ indicat, quod Verbum proprie adhibetur in aedificiis dirutis, Ezech. XXVI, 12. Quae utraque metaphora quoque residet in duobus verbis, quae ad instaurationem exprimendam adhibentur, לִבְנוֹת וְלִנְטוֹעַ, *ad aedificandum et plantandum.* Ea verba Chaldaeus ad solos Judaeos spectare existimavit. Ita enim illa reddidit: וְעַל־בֵּית יִשְׂרָאֵל לְמִבְנֵי וּלְקַיָּמָא *et super domo Israelis* te praefeci *ad aedificandum et erigendum.* Sed recte Kimchi observat, et aliis gentibus vatem, quamvis raro, instaurationem promittere, ut Ammonitis XLIX, 6., et Elamitis eod. Cap. Vs. 39.

11. מַקֵּל שָׁקֵד אֲנִי רֹאֶה *Virgam amygdalae video.* Virga cogitanda est saltem foliis, si non floribus, vestita, alioqui non vidisset cujusnam arboris esset; de tali ramo Ezech. VII, 10. 11. dicitur מַטֶּה *virga.* De nomine שָׁקֵד *amygdalam* notante vid. Celsii *Hierobot.* P. I. p. 297. seqq. Nomen habere vulgo dicitur a *vigilando*, i. e. maturandi celeritate, vel quod prae aliis arboribus quasi festinet, ut suos flores prima emittat. *Floret*, inquit Plinius *Hist. nat.* LXVI. Cap. 25., *omnium prima amygdala mense Januario, Martio vero poma maturat.* Sed verbum שָׁקַד nusquam *festinandi*, sed ubique *vigilandi* notionem habet; vid. e. c. Esr. VIII, 29. שִׁקְדוּ וְשִׁמְרוּ *vigilate et custodite.* Prov. VIII, 3. 4. *Beatus ille qui*

qui mihi obtemperat לִשְׁקֹד עַל־דַּלְתֹתַי *vigilando ad fores meas per singulos dies.* Cf. et Jesaj. XXIX, 20. Recte igitur Aquila et Symmachus vocis שָׁקֵד etymon exprimentes, quod spectasse vatem vix dubium est, reddiderunt, referente Hieronymo, *virgam vigilantem*, i. e. ramum ejus arboris, quae a *vigilando* nuncupatur, quippe quae omnium prima e somno hyberno evigilat; *ego* enim inquit Jova Vs. seqq., *invigilabo verbo meo.* Chaldaeus מַקֵּל *virgâ* ictus, quibus populum per regem Babylonium percussurus erat Deus, שָׁקֵד vero *festinationem* signari opinatus est. Ita enim haec verba exposuit: מֶלֶךְ דִּמוֹחֵי לְאַבְאָשָׁא *regem qui festinat ad malum inferendum* video. Sed genuinam et simplicem explicationem imaginis hoc Versu propositae dabit Deus ipse Vs. seqq. Gaabius (*Erklärung schwerer Stellen in den Weissagungen Jeremias* p. 2.) מַקֵּל h. l. non *ramum*, sed *baculum viatorium* (ῥάβδον, Marc. VI, 8.) significare existimat, ut Jova hoc dicat: hic baculus amygdalinus signo sit tibi, me surgere et abire ad opus meum a te annunciandum strenue et expedite peragendum. Quod haud longe abludit ab ea quae Vs. proximo sequitur imaginis explicatione.

12. הֵיטַבְתָּ לִרְאוֹת *Bene fecisti videndo*, i. e. recte vidisti, LXX. καλῶς ἑώρακας, ut Jesaj. XXIII, 16. הֵיטִיבִי נַגֵּן *benefac pulsando*, i. e. eleganter et suaviter pulsa. Vid. et Deut. V, 25., et cf. de Verbis ad exprimenda Adverbia adhibitis Gesenii *Lehrgeb.* p. 823. Addit Deus quid significet illud quod prophetae oculis sese obtulit: כִּי־שֹׁקֵד אֲנִי עַל־דְּבָרִי לַעֲשֹׂתוֹ *nam invigilo ego verbo meo ad illud perficiendum*, i. e. intentus ero implendis iis quae meo jussu praenuntiabis, q. d. ne timeas, vaticinia a te proferenda exitu suo caritura esse, quo irrisui hominibus fores; nam ego summopere curabo, ne sint irrita verba mea a te prolata. Verbum שָׁקַד hic vigilem ac indefessam in opere exsequendo industriam denotat, ut Dan. IX, 14. וַיִּשְׁקֹד יְהוָה עַל־הָרָעָה *et vigilavit Jova super malum, ut adduceret illud super nos*, i. e. ala-

crem

crem se praestitit ad malum quod iis inferre decreverat adducendum.

13. Minus recte Kimchi altero quod vati objicitur viso eandem quam priori rem significari dicit. Priori illo enim Deus, ut vidimus, prophetae animum confirmare voluit ad munus ipsi impositum intrepide aggrediendum; hoc altero vero argumentum, in quo sua vaticinia potissimum versari debeant, indicatur. Vidit vero vates סִיר נָפוּחַ *ollam exsufflatum*, i. e. igne subjecto et exsufflato ita fervefactam, ut aqua in ea ebulliret. Cf. Iob. XLI, 12. כְּדוּד נָפוּחַ וְאַגְמֹן *sicut ahenum exsufflatum et ferroris.* Hac imagine saeva bella e septentrione ingruentia significari ostendent Vss. 14. 15. Olla tumide effervescens et Arabibus figura est belli gravissimi magno fervore animorumque ira gesti. Ita poeta vetus in *Excerptis ex Hamasa* ab A. Schultens ad calcem Grammaticae Erpenianae a se a. 1748., editae p. 453. dicit: تَغْلِي مُرَاجِلُنَا *ebulliunt ollae nostrae*, ad quae verba Scholiastes: مراجل كناية عن الحروب *ollae figuram sustinent bellorum*, adducitque alius poetae Versum hunc:

تغوم علينا قدرهم فنديمها
فنفثاها عنّا اذا حميها غلي

Aestuat contra nos olla eorum, at eam sedamus, atque a nobis refutamus postquam efferbuerit. Vid. et A. Schultens *Origg. Hebr.* L. I. Cap. 2. §. 27. Chaldaeus verba hebraea sic exposuit: מֶלֶךְ דִּרְתַח כְּדוּד אֲנָא חָזֵי *regem qui effervescit sicut olla ego video.* Addit vates: וּפָנָיו מִפְּנֵי צָפוֹנָה, quae verba per ellipsin sunt posita pro eo quod plene esset: וּפָנָיו מִפְּנֵי הָאָרֶץ אֲשֶׁר צָפוֹנָה *et facies ejus*, i. e. pars ejus anterior prospiciebat a facie terrae quae sita est *septentrionem versus.* Sunt interpretes, ut Kimchi et Venema, qui ollam cogitent in ter-

terra Judaea positam, parte illius anteriore aquilonem versus spectante, qui igitur מִפְּנֵי pro אֶל־פְּנֵי dictum volunt, plane pro lubitu et adversante usu linguae. Quum olla ebulliens, ut vidimus, imaginem sustineat belli, sponte patet, ollam ebullientem ex aquilone in Judaeam conversam, indicare bellum, sive exercitum hostilem ex aquilone in Judaeam involuturum. Recte Chaldaeus: וְטִקוּס מַשְׁרְיָתֵיהּ דִמְדַבְּרָן דְאָתְיָן מֵאַפֵּי צִפּוּנָא *et vexilla exercitus ejus* (regis), *quae ducit et veniunt e regione aquilonis.*

14. Jam indicat Jova, quid olla vati per visum objecta significet. מִצָּפוֹן תִּפָּתַח הָרָעָה עַל כָּל־יֹשְׁבֵי הָאָרֶץ *Ex aquilone aperietur*, i. e. velut aperta porta immittetur, vel, effundetur tanquam ex olla fervente, *malum super omnes incolas hujus terrae,* Judaeae. Malo illo ex aquilone Judaeis ingruente haud dubium est denotari Chaldaeos sive Babylonios, Judaeam tum invadere paratos. Babylonia vero quum Judaeae ad orientem solem sita esset, mirum videri potest, Jeremiam Chaldaeos toties ex septentrione venturos dicere, vid. infra IV, 6. VI, 1. 22. X, 22. XXV, 9. Quod ad hunc nodum solvendum affert Kimchi, Babyloniam Judaeae aquilonem inter et ortum sitam esse, verum non est, quum Chaldaea s. Babylonia plane sit orientalis, et paene in meridiem vergens. Recte Bochartus in *Praefat. ad Phaleg.* p. 9.: „Cum venturis Babyloniis Jeremias Judaeae minatur ab aquilone malum impendere, non tam respicit situm Babylonis, quam iter, quo Babylonii in Judaeam irrupturi erant. Quippe ut vitaretur eremi vastitas, iter illis fuit per Riblam et Hamatham, i. e. Epiphaniam, quae sunt ad aquilonem Judaeae.“ Cf. infra VIII, 16. 2 Reg. XXV, 6. J. D. Michaelis rationem, cur Jeremias Chaldaeos ex aquilone venientes describit, repetit inde, quod vates spectet propriam Chaldaeorum et Nebucadnezaris patriam, quae ad Pontum Euxinum sita fuerit. Verum haec Michaelis sententia nullis idoneis argumentis nititur; vid. not.

not. noſtr. ad Habac. I, 6. p. 365. Pro תִּפָּתַח Graecus Alexandrinus interpres poſuit ἐκκαυθήσεται (τὰ κακά). Eum legiſſe תִּפַּח, a verbo נָפַח, ſuspicantur Hubigantus et Michaelis, judicantque τῷ תִּפָּתַח praeferendum, ob נָפוּחַ Vs. praeced. Sane verbo ἐκκαίεσθαι uſi ſunt Alexandrini pro hebraico יָפִיחַ Prov. VI, 19. XIV, 5. 25. XIX, 9. XXIX, 8. Neque tamen תִּפַּח pro eo quod in codicibus hebraicis exſtat recipiendum, quum hoc Verſu non de olla igni exſufflato impoſita ſit ſermo. Chaldaeus vertit: תִּשְׁרֵי בִּישְׁתָּא לְמֵיתֵי *incipiet malum venire.*

15. כִּי הִנְנִי קֹרֵא לְכָל־מִשְׁפְּחוֹת מַמְלְכוֹת צָפוֹנָה *Nam ecce! ego voco omnes nationes et regna ad ſeptentrionem,* ut ibi conveniant, et inde junctis viribus in Judaeam irruant. Alii: omnes nationes quae ſunt in terris aquilonem verſus ſitis. מִשְׁפְּחוֹת מַמְלְכוֹת צָפוֹנָה Vulgatus vertit *cognationes regnorum aquilonis,* ut Pſ. XXII, 28. כָּל־מִשְׁפְּחוֹת גּוֹיִם *omnes cognationes gentium.* Sed accentus diſtinctivus *Tbhir* nomini מִשְׁפְּחוֹת appoſitus vetat duo nomina in ſtatu regiminis juncta habere. Eſt igitur aſyndeton: *omnes nationes* (et) *regna.* מִשְׁפָּחָה haud raro *gentem, nationem* ſignificare conſtat; ſic infra VIII, 3. Amos III, 1. de populo Judaico, et Zeph. XIV, 18. de populo Aegyptio dicitur; vid. et Gen. X, 18. 19. XII, 3. — ו ante בָּאוּ et נָתְנוּ hic valet *ut.* Kimchi verba הִנְנִי קֹרֵא לָהֶם וּבָאוּ ita exponit: אשים בלבם שיבאו *animum iis faciam ut veniant.* Addit vates: וְנָתְנוּ אִישׁ כִּסְאוֹ פֶּתַח שַׁעֲרֵי יְרוּשָׁלַםִ *et ponent quisque thronum ſuum* contra ſ. ante *fores portarum Hieroſolymae,* quae verba Hieronymus recte ſic explicavit: „Nulli dubium, multas gentes, et ſingularum gentium reges Babylonio regi fuiſſe ſubjectos, qui, obſeſſa Jeruſalem, poſuerunt in circuitu, et maxime in exitibus portarum, thronum ſuum atque tentoria, ne quis eorum qui clauſi erant, poſſet erumpere.“ Sunt igitur *throni* h. l. tentoria ducum exercitus hoſtilis, nec cogitandum de praetorio caſtrenſi, nec, cum J. D. Michaele, de ſellis curulibus judicum, ut populi

eo-

eorumque duces defcribantur ut affeffores ejus judicii, quod Vs. fequ. informatur. Prorfus fupervacanea vero eft ab eodem Michaele propofita conjectura; pro כִּסְאוֹ effe כַּסּוֹ *vexillum fuum* legendum, quod duces bellici non folium portis urbis oppugnatae opponant, fed vexillum. Oblitus eft, poetam hic loqui, non hiftoricum aut rei militaris fcriptorem. Ante פֶּתַח eft vel עַל vel לִפְנֵי fubaudiendum, vel poteft פֶּתַח cum nominibus per regimen ei junctis pro Accufativo five *Cafu adverbiali* capi, qui locum, ad quem perfona aut res dirigitur, indicat; vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 685.

16. וְדִבַּרְתִּי מִשְׁפָּטַי אוֹתָם *Et loquar judicia mea cum iis*, Judaeis et fpeciatim Hierofolymitanis, i. e. exprobrabo iis tanquam judex fua malefacta, et promeritas poenas decernam, mox per Chaldaeos exfequendas. Quo fenfu haec phrafis et infra IV, 12. XXXIX, 5. LII, 9. 2 Reg. XXV, 6. legitur. מִשְׁפָּטַי Chaldaeus פּוּרְעָנוּת דִּינִי *vindictam judicii mei* reddidit. אוֹתָם pofitum pro אִתָּם, ut infra II, 35. IV, 12. et faepius; exempla plura alia dedit Noldius in *Annotatt. et Vindicc.* ad calcem Concordant. Particular. no. 593. p. 796. ed. Tymp. וַיְקַטְּרוּ לֵאלֹהִים אֲחֵרִים *Et fuffitum incenderunt diis alienis*, facrificiis oblatis cultum religiofum iis exhibuerunt, ut infra XIX, 4. — וַיִּשְׁתַּחֲוּוּ לְמַעֲשֵׂי יְדֵיהֶם *Et proftraverunt fe coram operibus manuum fuarum*; cf. not. ad Jefaj. II, 8. Pro לְמַעֲשֵׂי in aliis libris legi לְמַעֲשֵׂה in Singulari (ut in laudato Jefajae loco), refert Kimchi, et codices quam plurimos, qui item exhibent, enumerant Kennicott et De-Roffi. Repugnat tamen Mafora et edita et fcripta codicum Erfurtenfium, notante C. B. Michaele in Not. critt. ad h. l.

17. וְאַתָּה תֶּאְזֹר מָתְנֶיךָ *Tu vero accinges lumbos tuos*, i. e. alacris et promtus aggrediaris munus tibi impofitum. Phrafis et 2 Reg. IV, 29. Luc. XII, 35. Ephef. VI, 14. et faepius obvia, inde defumta, quod in Orientis ter-

terris viatores, aut quicunque aliquod operofum moliuntur, prolixiores veftes cingulo lumbis adltringunt, ut expeditior inceffus vel opera fit; vid. *das alte und neue Morgenland* T. III. No. 642. p. 223. In verbis אַל־תֵּחַת מִפְּנֵיהֶם פֶּן־אֲחִתְּךָ לִפְנֵיהֶם explicandis non plane confentiunt interpretes. Hieronymus illa fic reddidit: *Ne timeas a facie eorum, nec enim timere te faciam vultum eorum.* Quod in Commentario ita expofuit: „Noli timere a facie eorum; me enim adjutore eos timere non poteris.“ Recte quidem אַל־תֵּחַת, quod proprie fignificat *ne confringare*, vertit *ne timeas*, conftat enim Hebraeos et Arabes verba, quae *frangi* et *conteri* denotant, transferre ad ingentem metum et confternationem exprimendum, et eodem, quo hic, fenfu verbum חָתַת legitur infra XVII, 17. 18., et alias faepius. Minus accurate vero פֶּן vertit *nec*, quum ea Particula ubique fit *prohibentis*, *ne.* Attulit quidem Noldius unicum locum, quo פֶּן pro לֹא pofitum videri poffit, Prov. V, 6. Nec tamen eo loco neceffe eft ufitatum illius Particulae fignificatum relinquere, quum ille, transpofitis, ut haud raro, membris ita fit capiendus: *Vagantur orbitae ejus*, meretricis, אֹרַח חַיִּים פֶּן־תְּפַלֵּס *ne* forte *femitam vitae expendas.* Rectius Hieronymo Graecus Alexandrinus interpres: *μὴ φοβηθῇς ἀπὸ προσώπου αὐτῶν, μήποτε πτοηθῆναί σε ποιήσω ἐναντίον αὐτῶν.* Neque enim *μηδὲ πτοηθῇς* legendum effe, ut in codice Alexandrino habetur, fed ita ut fcripfimus ediditque Spohnius, patet tam e verfione Syro-Hexaplari, quae ܕܠܡܐ habet, quam inde, quod in Commentario fcribit Hieronymus, Septuaginta et ceteros (Graecos) interpretes vertere: *ne forte timere te faciam.* Quorum verborum fenfum hunc effe addit: „Noli timere a facie eorum, habeto meae confidentiam juffionis. Si enim non obtuleris quod habes, ut timere definas, derelinquam te, et tradam timori, et quodammodo videbor timere te facere, dum relinquo formidini.“ Sed

vero

vere vidit Sebaſt. Schmidius, eſſe in verbis אַל־תֵּחַת et פֶּן־אֲחִתְּךָ paronomaſiam, quae Latine ſic aliquo modo exprimi poſſet: *ne conſterneris propter eos, ne proſternam te coram illis.* In hunc ſenſum Chaldaeus: לָא תִתְמְנַע מִלְּאוֹכָחוּתְהוֹן דִּלְמָא אֲתַבְּרִינָּךְ קֳדָמֵיהוֹן *ne cohibe te ab increpatione eorum* prae timore, *ne confringam te coram iis.* Similiter Syrus: ܠܐ ܬܙܘܥ ܡܢܗܘܢ ܕܠܡܐ ܐܬܒܪܟ ܩܕܡܝܗܘܢ *ne timeas ab iis, ne conteram te coram iis.* Eodem collineat Davidis Kimchii interpretatio: „Si non timeas ab iis, ſed in me fiduciam ponas, eripiam te ex eorum manibus (cf. ſupra Vs. 8.); ſi vero ab iis tibi timeas, confringam te et proſternam te coram illis.“ Eundem ſenſum Dathius expreſſit hoc modo: *noli eos extimeſcere, quod tibi perniciosum futurum eſſet.* J. D. Michaelis פֶּן־אֲחִתְּךָ, adſcita ſignificatione Arabici خَتَّ *defluxit*, vel خَتَّ *diminuit depreſſitque fortunam hominis* vertit: *ne inferiorem te illis reddam.* Ad quam interpretationem monet Schnurrerus (in *Commentat. Theolog.* P. II. p. 69.), juſto vehementiorem omnino hoc loco videri poſſe vulgarem verbi חָתַת uſum, in *frangendo, conſternando* poſitum. Etenim, inquit, „ſi verendum erat, ne timidiuscule ageret novus propheta, erigendus erat animus perſuaſione incolumitatis, non minis ac metu frangendus.“ Quidni vero propoſitis et minis et promiſſionibus excitari poterat vates ad munus ſibi impoſitum ſtrenue obeundum? Et promiſſio quidem ſequitur Verſu proximo, cui comminatio, ſi deterreri ſe ſinat, praemittitur hoc Verſu. Schnurrerus retineri quidem poſſe ait vulgarem illum et obvium verbi חָתַת uſum, ſed ita ut addenda ſit, quam frequentiſſime omittit Jeremias, formula לֵאמֹר, ut hic prodeat ſenſus: noli extimeſcere eos et putare, conceſſurum me eſſe, ut ſit tibi pereundum. „Non obſtat,“ inquit, „quod primae perſonae verbum poſitum ſit, non ſecundae (תֵּחַתְּנִי), vel ter-

tertiae (יְחִתֵּנִי); nam in aliis quoque locis haud paucis cernitur ejusmodi perſonae commutatio. Velnti Hos. VII, 2. exſtat: *Non reputant ſecum:* כָּל־רָעָתָם זָכָרְתִּי *omnis ipſorum pravitatis memor ſum*, cum rectius dicendum erat כָּל־רָעָתֵנוּ זָכַר יְהוָֹה. Cf. Pſ. X, 13." Sed Schnurreri interpretationem merito coactam judicat Gaabius. Ipſe V. S. V. locum ſic interpretatur: *ne timeas ab iis, ne ſinam tibi timorem ab iis injici*, quemadmodum et alias ſaepe verba actionem indicantia de permiſſione dici conſtat, coll. 2 Theſſ. II, 4. Nobis tamen ſenſus a Chaldaeo expreſſus, quem attulimus, et alii quoque melioris notae interpretes adſciverunt, ſimplicior et concinnior videtur.

18. וַאֲנִי הִנֵּה נְתַתִּיךָ הַיּוֹם לְעִיר מִבְצָר *Ego vero ecce! pono te hodie in urbem munitionis*, i. e. ut nullam timendi cauſam habeas jam tibi ſpondeo, te meo praeſidio ita tutum fore, ut urbs bene munita, quam hoſtes non valent expugnare. Eaedem, quae hic, incolumitatis imagines vid. infra VI, 27. XV, 20. Similem in modum Ezechieli vati Jova animum addit III, 8. Cf. Jeſaj. L, 7. Chaldaeus: יְהַבְתָּךְ יוֹמָא דֵין תַּקִּיף כְּקִרְיָה כְּרִיכָא *reddidi te hodie fortem inſtar urbis munitae.* וּלְעַמּוּד בַּרְזֶל *Et in columnam ferream*, quae nec inflecti, nec frangi poteſt, ut Kimchi inquit. וּלְחֹמוֹת נְחֹשֶׁת *Et in muros aheneos*, qui fruſtra tentantur ariete, nec dejici poſſunt. Pro וּלְחֹמוֹת codices nonnulli exhibent וּלְחוֹמַת in Singulari, vid. De-Roſſi ad l. עַל־כָּל־הָאָרֶץ *Contra omnem hanc terram*, quod in altero Verſus hemiſtichio declarat; videlicet *contra reges Judae ejusque principes* rel. Chaldaeus עַל־כָּל־הָאָרֶץ explicat per לְאַשְׁקָאָה כָּס דִּלְוָט לְכָל יָתְבֵי אַרְעָא *ad propinandum calicem exſecrationis omnibus incolis terrae.* Cf. not. ſupra ad Vs. 5. לְמַלְכֵי יְהוּדָה Jarchi idem eſſe ait quod כְּנֶגֶד מַלְכֵי י' *contra reges Judae.*

19. וְנִלְחֲמוּ אֵלֶיךָ *Pugnabunt* quidem *contra te.* אֵלֶיךָ pro עָלֶיךָ, ut infra XV, 20. Chaldaeus: וִיהוֹן מְגִיחִין וּמְנִיחִין לְקִבְלָךְ

לְקַבָּלָךְ לְמִסְתַּר יַת פִּתְגָּמֵי נְבוּאָתָךְ *eruntque contendentes et pugnantes contra te ad celandum*, i. e. ſupprimendum *verba prophetiae tuae.* וְלֹא־יוּכְלוּ לָךְ *Nec tamen praevalebunt tibi.* Verbum יָכֹל cum ל ante nomen perſonae notat *obtinere de aliquo victoriam*, cf. Genes. XXXII, 26. 29. 1 Sam. XVII, 9. Dicit igitur, prophetam a vexationibus non quidem immunem, attamen Deo protegente adverſariis ſuperiorem futurum. Cf. quae ſupra ad fin. not. ad Vs. 8. e Kimchio attulimus.

II.

Populi Judaici coarguitur impietas et perfidia.

Cap. II. III, 1—5.

ARGUMENTUM.

Propositis Judaeorum animis beneficiis multis et maximis, quae in populum Hebraicum inde ab ortu contulisset Jova (Vs. 2—7.), ostendit vates, quam male Deo rependerint Judaei tot ac tanta in se collata beneficia, quippe qui derelicto Deo vero, tam praeclare de ipsis merito, ad commentitios Deos colendos defecerint, et apud homines exteros auxilium quaesiverint, haud deterriti exemplo Ephraimitarum (Vs. 8—14.); quare Judaeis, nisi resipuerint, easdem, quas illi experti essent, pervicaciae et impietatis poenas minatur (Vs. 15. usque ad fin.).

Versus quinque priores Capitis tertii male a Capite secundo avulsos esse, sed illis eandem concionem continuari, ostendit et arctus Versus ultimi Cap. II. cum initio Capitis III. nexus et temporis notatio Cap. III, 6., quae ibidem novae concionis initium statuendum esse docet.

Videtur hoc concio regnante Josia habita fuisse, cui tempori ea quae proxime sequitur, ejusdem argumenti et tenoris, Cap. III, 6. assignatur. Cf. Prooemium p. 19.

Jova

II, 1. Jova verba mecum fecit hunc in mo-
2. dum: Ito et proclama audiente Hieroſo-
lyma haec verba: Sic dicit Jova: remi-
niscor tibi pietatis juventutis tuae et amo-
ris ſponſaliorum tuorum, quum tu me per
deſerta, per terram ſequerere incultam.
3. Conſecratus Jovae erat Iſrael, ejusque
proventus primitiae; quicunque eos con-
ſumerent, rei erant, eosque malum ſuper-
4. venit. Audite Jovae dictum, domus Ja-
cobaea, et omnes cognationes domus
5. Iſraeliticae! Sic dicit Jova: quid iniqui
deprehenderunt in me majores veſtri, ut
a me recederent, et vana vani ſequeren-
6. tur? Neque dicerent: ubi eſt Jova, qui
nos e terra Aegypti eduxit, qui per deſerta
nos duxit, per terram ſiticuloſam horri-
damque, per terram, quam nemo per-
agrat, et in qua homo nullus habitat.
7. Perduxi autem vos in terram cultam, ut
ejus frugibus bonisque veſceremini; quo
poſtquam perveniſtis, terram meam pol-
luiſtis, meamque haereditatem abomina-
8. bilem reddidiſtis. Sacerdotes non dixe-
runt: ubi eſt Jova? et qui legem tractant
nescivere me; paſtores a me defecerunt,
et prophetae per Baalem vaticinati ſunt,
ſequuti non profutura.

9. Itaque porro vobiscum contendam, in-
quit Jova, quin et cum notis natorum
ve-

vestrorum contendam. Nam ite ad insulas 10.
Cittaeorum, et videte, et in Kedar mittite et
considerate diligenter, et videte, num hujus-
modi quid acciderit? An mutaverit gens ulla 11.
deos? quamvis dii non sint. Sed populus meus
gloriam suam cum haud profuturis permu-
tavit. Obstupescite ad hoc, o coeli! ex- 12.
horrescite vehementer attoniti! inquit Jova.
Nam duo mala commisit populus meus: me 13.
reliquerunt, aquae vivae fontem, ut sibi ci-
sternas effoderent, cisternas fractas, quae
aquam tenere non possunt. Servusne est 14.
Israel, aut verna? cur praedae factus est?
Rugiunt in eum leones, et vocem suam 15.
edunt. Terram ejus in vastitatem redege-
runt, urbes tuae vastatae sunt, ut incolis
careant. Memphitici quoque Taphnenses- 16.
que depascent tibi verticem. Nonne id 17.
tibi accidit, quod Jovam, Deum tuum, de-
relinquis, quo tempore te in viam ducere
cupit? Et nunc quid tibi itio est in Ae- 18.
gyptum, ut Nili bibas aquam? aut quid tibi
itio est in Assyriam, ut fluminis bibas aquam?
Tua te plectet improbitas, et perversitas tua 19.
te puniet; cognoscesque et videbis, quam
malum et acerbum sit, quod Jovam, Deum
tuum, derelinquis. Sed nulla mei formidine
teneris, inquit Dominus, agminum Deus.
Etenim jam olim jugum tuum fregisti, 20.
tuaque vincula abrupisti atque dicebas:
non serviam! Nam super omnibus collibus

altioribus, et ſub omnibus frondoſis arbori-
21. bus tu inclinari ſolita es ſcortando. Ego
te plantavi vitem generoſam, ſobolem pror-
ſus genuinam. Sed quomodo verſa es mihi
22. in degenerem alienamque vitem! Etiamſi
te ſmegmate laveris, et quantumvis ſaponis
tibi adhibueris, maculoſa tamen tua culpa
23. eſt coram me, inquit Dominus Deus. Po-
tesne negare, te pollutam Baalesque ſequu-
tam eſſe? Adſpice tuam in valle viam, ve-
24. lox camelus ſuas implicans vias. Onagra
deſerto adſueta, quae prae libidinis aviditate
ſpiritum ducit; ejus impetum quis inhibeat?
Quicunque eam quaerunt non defatigantur,
25. ſuo eam menſe inveniunt. Prohibe, in-
quam, tuos discalceari pedes, tuumque ſi-
tire guttur. Tu vero, fruſtra es, inquis,
minime; amo enim alienos, eosque inſequar.
26. Uti pudet furem cum deprehenditur, ita pu-
det domum Iſraelis ipſos, eorum reges, prin-
27. cipes, ſacerdotes atque vates. Qui ligno
dicunt: tu es meus pater et lapidi: tu me
genuiſti. Quamvis tergum mihi obverterint,
non faciem, tamen malorum ſuorum tem-
pore clamant: ſurgas, nosque ſalvos reddas.
28. Ubi vero tui ſunt dii, quos tibi feciſti?
ſurgant, ſi te tuo malo tempore conſerva-
turi ſunt, quandoquidem quot oppida, tot
29. habes, Judaea, deos. Cur mecum conten-
ditis, qui omnes a me defeciſtis, inquit Jova.
In

In vanum natos veſtros verberavi, corre- 30.
ctionem non admiſerunt; conſumit veſter
gladius veſtros vates, ſicut exitiabilis leo.
O ſeculum! num deſertum fui Iſraeli? aut 31.
terra obſcura? Cur dicit meus populus: ul-
tro citroque vagabimur, neque amplius ad
te veniemus? Obliviſceturne ornatum ſuum 32.
virgo? aut ſponſa ſua redimicula? ſed meus
populus oblitus eſt mei dies innumerabiles.
Quam ſcite viam tuam inſtituis ad amorem 33.
captandum; quapropter etiam ſceleribus ad-
ſueviſti vias tuas.

Etiam in oris veſtium tuarum reperitur 34.
ſanguis pauperum innocentum, quos mini-
me in effringendi actu deprehendiſti. Et 35.
quamvis haec omnia commiſeris, tamen di-
cis: ego inſons ſum, avertat modo a me
ſuam iram. En! propter id ipſum te pu- 36.
niam, quod te peccaſſe negas. Quid tan-
topere discurris, ut viam tuam mutes? Etiam
Aegypti te pudebit, quemadmodum te pudet
Aſſyriae. Iſtinc quoque migrabis manibus 37.
ſuper caput ſublatis, quoniam Jova reſpuit
praeſidia tua, nec ea tibi cadent proſpere.
Sic accipe: Si repudiaverit vir uxorem III, 1.
ſuam, eaque ab eo digreſſa facta fuerit al-
terius viri, nunquid adhuc ille ei recon-
ciliabitur? Nonne ſeſe contaminaverit iſta
terra? Tu vero quamvis cum multis ama-
toribus ſcortata ſis, tamen redi ad me, in-
quit Jova. Attolle oculos ad cacumina, et 2.

vide, ubi non ſtuprata ſis? ad vias ſediſti eos
praeſtolata, tanquam Arabs in deſerto. In-
ceſtaſti terram tua libidine et pravitate.
3. Quumque interceptae ſint pluviae, imberque
ſerotinus deficiat, tu fronte meretricia pudere
4. renuis. Nonne haud ita pridem me patrem
tuum et juventutis tuae amicum appellaſti?
5. Nunquid perpetuo ſervabit ſemperque reti-
nebit (injuriae memoriam)? En! haec dixiſti,
et tamen mala graviter perpetras.

N O T A E.

II, 2. הָלוֹךְ *Eundo* ſcil. הָלֹךְ *ito*, ut Exod. XX, 8. זָכוֹר אֶת־יוֹם הַשַּׁבָּת *recordando recordare diei Sabbathi*, vid. et infra III, 12. 2 Sam. XXIV, 12. et cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 782. Non eſt igitur, ut cum J. D. Michaelis legamus ſimpliciter Imperativum הָלֹךְ *ito*. וְקָרָאתָ בְאָזְנֵי יְרוּשָׁלַםִ *Et proclama in aures Hieroſolymae*, i. e. Kimchio notante, populi Hieroſolymitani. Ita Chaldaeus: קֳדָם עַמָּא דִי בִירוּשְׁלֶם *coram populo, qui eſt Hieroſolymae.* Verba זָכַרְתִּי לָךְ חֶסֶד נְעוּרַיִךְ אַהֲבַת כְּלוּלֹתָיִךְ interpretes biſariam capiunt, nomina חֶסֶד et אַהֲבָה aliis de pietate et amore, quo populus Hebraicus erga Deum fuerit affectus, aliis de favore et amore Dei erga populum intelligentibus. Quibus prius placet, ſenſum hunc faciunt: *recordatus ſum tibi*, i. e. in gratiam tui, *pietatis juventutis tuae*, et *amoris* tempore *ſponſaliorum tuorum*, i. e. tuam erga me pietatem eo tempore quo te Aegypto eduxi rependi tibi beneficiis; q. d. non fruſtra me coluerunt majores veſtri, ut cauſam me deferendi habuerint. Vel, ut Kimchi exponit: quamvis tibi propter tot tua malefacta mala inducam, tamen te non prorſus conficiam,

ciam, imo puniam eos, qui tibi mala inferent; reminiſcor enim priſtinae tuae pietatis. In hunc ſenſum Chaldaeus: דְכִירְנָא לְכוֹן טַבְוַת יוֹמֵי קֳדָם רַחֲמַת אֲבָהָתְכוֹן דְהֵימִנוּ בְמֵימְרִי *recordor vobis bonitatis dierum priſtinorum, amoris patrum veſtrorum, qui verbo meo crediderunt.* Sane verbum זָכַר ſequente ל perſonae ſaepius ſignificat rei alicujus in gratiam alicujus recordari, ut Pſ. CXXXII, 1. CXXXVII, 7. Nehem. V, 19. al. Sed, ut vere obſervat Dathius, quo minus ſenſum illum genuinum habeamus, et hiſtoria vetat, quae Iſraelitas vixdum Aegypto egreſſos refractarios et ad aliorum Deorum cultum pronos ſiſtit, quod iis exprobratur Deut. IX, 6. 24. Jeſaj. XLVIII, 8. Amos V, 25. 26. Pſ. CVI, 7., et prophetae ſcopus, qui eſt, Dei beneficia commemorare, quibus male reſpondit populus. Quare loci ſenſus eſt potius hic: memini collata in te juvenem ſponſamque beneficia, atque amorem, quo te ſum amplexus. Recte Hieronymus: „Totum hoc non ad meritum ejus refert, ſed ad ſuam miſericordiam, per quam et caritatem conſequuta eſt.“ Chrysostomus in Catena apud Ghislerium: Ἐντεῦθεν ἡ ἀρχὴ τῶν λόγων τοῦ προφήτου τῶν πρὸς τὸν λαόν. ὡς γὰρ κρινόμενος πρὸς αὐτοὺς ἀπομιμνήσκει τῆς ἰδίας εὐεργεσίας, πείθων τὸν προφήτην, ὡς οὐκ ἀδίκως ἐκφέρει κατ᾽ αὐτῶν τὴν ψῆφον. λέγει τοίνυν ὅτι ἄνωθεν πολλῆς τῆς κηδεμονίας ἀπήλαυσας. *Hinc prophetae ſermonum ad populum initium. Tanquam enim in judicio cum ipſis certans propriam beneficentiam memorat* (Deus), *ſuadens prophetae, non injuſtam a ſe ferri in eos ſententiam. Ait igitur; ſuperioribus temporibus multam tui curam in me expertus es.* Ceterum *juventute* Iſraelis haud eſt dubium ſignificari illud tempus, quo ex Aegypto eductus leges et inſtituta accepit, quibus reſpublica ſtabiliretur. Hinc apud Hoſeam XI, 1. dicit Jova: *Quum puer eſſet Iſrael, dilexi eum, et ex Aegypto eductum filium meum appellavi.* Cf. not. ad eum loc. et Ezech. XVI, 22. Similiter Florus *Hiſt. Rom.* Prooem. §. 4. *Si quis po-*

populum Romanum quasi hominem consideret, totamque ejus aetatem percenseat, ut coeperit, atque adoleverit, ut quasi ad quendam juventae florem pervenerit, rel. Jam vero quum Hebraei populos civitatesque ut *mulieres, puellas, virgines* sistere soleant (cf. not. ad Jesaj. I, 8.), in proclivi erat *sponsae* et *sponsaliorum* imago in verbis אַהֲבַת כְּלוּלֹתָיִךְ *amoris sponsaliorum tuorum*, i. e. amoris, quo te amplexus sum, cum mihi desponsata es. Cf. Jesaj. LXII, 5. Kimchi: „Synagoga Israelis comparatur *sponsae* eo die, quo data est lex, Deus vero *sponso*.“ Nomen כְּלוּלוֹת idem Kimchi recte dicit e phrasi מִכְלַל יֹפִי *perfectio pulchritudinis* Ps. L, 2. explicandum esse, quia virgo die nuptiarum cum in thalamum introducitur omni suo mundo ornata est. LXX. verterunt: ἀγάπης τελειώσεως σου, quod, inquit J. D. Michaelis, „vertendum puto: *amoris adultae aetatis tuae.* Adultam aetatem, quae sub regibus piis forsan fuerit, opponi putabant pueritiae, etymon sequuti a כָּלַל *perfecit*. Syrus habet: ܚܘܒܐ ܕܡܫܡܠܝܢܘܬܟܝ *amorem perseverantiae tuae*, i. e. perseverantem, eodem, ut putem, sensu.“ Sed Graecae versionis sensum verum haud dubito Chrysostomum pandere hisce verbis: Τὸ δὲ ἀγάπης τελειώσεως σου ἀντὶ τοῦ τελείως σε ἠγάπησα, πᾶσαν πρόνοιαν σοι νείμας. *Illud autem: charitatis perfectionis tuae, perinde est atque: perfecto amore te dilexi, omnem providentiam tibi praestans.* — לֶכְתֵּךְ אַחֲרַי בַּמִּדְבָּר *Ambulationis tuae post me in deserto*, scil. recordor. Quod item in laudem Israelitarum, qui ex Aegypto egressi sunt, interpretum haud pauci dictum existimant. Veluti Chaldaeus, qui verba hunc in modum exponit: וַאֲזַלוּ בָתַר תְּרֵין שְׁלִיחַי בָּתַר משֶׁה וְאַהֲרוֹן בְּמַדְבְּרָא אַרְבְּעִין שְׁנִין בְּלָא זְוָדִין *et ambularunt post duos legatos meos, post Mosen et Aaronem, in deserto quadraginta annos, absque cibariis.* Ita et J. D. Michaelis: „Benevole in memoriam revo-

cavi, quomodo per avia etiam et deserta sequebaris. Iter per desertum in meliorem partem interpretatur Deus, nec commemorans peccata et rebelliones ita accipit, ac si Israelitae ipsum vel per invia et ingrata sequuti essent." Quae sententia, ut supra vidimus, repugnat et historiae, et totius orationis scopo. Recte Venema vidit, pertinere verba illa ad Deum Israelitas per desertum ducentem, eosque praeeuntem. Cf. Vs. 6. Chrysostomus: *Τοῦ ἐξακαλουθῆσαι σε τῷ ἁγίῳ Ἰσραήλ· τούτέστιν· ἐκ τούτῳ ἔλεον ἐπεδειξάμην, ἐν τῷ ποιῆσαι ἐξακολουθῆσαι μοι, ἐν τῷ προηγεῖσθαι σου, ἐν τῷ ἀπιέναι καὶ προετοιμάζειν καταγώγια ἐν γῇ μὴ σπορίμῃ. Quando sequuta es Sanctum Israelis, hoc est: in hoc misericordiam demonstravi, dum effeci, ut me sequereris, dum me tibi ducem praebui, dum iter capesserem, tibique diversoria pararem in terra, quae sementem non admittebat.* Graecum interpretem vel suo in codice Hebraeo pro אַחֲרַי בַּמִּדְבָּר legisse אַחֲרַי קֹדֶשׁ יִשְׂרָאֵל, vel oculo aberrasse oportet ad קֹדֶשׁ יִשְׂרָאֵל initio Vs. 3. Verba בְּאֶרֶץ לֹא זְרוּעָה, *in terra quae non seminatur,* Chrysostomus in eo quo usus est Graecae versionis codice ita translata reperit: *ἐν γῇ μὴ σπορίμῃ*, ad quae haec notat: *οὐχ ἁπλῶς ἐν ἐρήμῳ, οὐχ ὑπὸ ἀνθρώπων καταλελειμένῃ, ἀλλὰ μηδέποτε δεξαμένῃ καρπόν. Non* dicit *simpliciter: in deserto, non ab hominibus derelicto, sed quod nunquam fructus tulerit.* Hieronymus in Graeco suo codice verba בַּמִּדְבָּר בְּאֶרֶץ לֹא זְרוּעָה non translata reperit. Ita enim ille ad hunc locum: „Hoc quoque quod posuimus: *in deserto, in terra quae non seminatur,* in LXX non habetur." Et sane codex *τῶν* LXX Collegii Jesuitarum Parisiensis, quo usus est Montefalconius, verbis *ἐν τῇ ἐρήμῳ, ἐν γῇ μὴ σπειρομένῃ* nomina Aquilae et Theodotionis praefixa habet.

3. קֹדֶשׁ יִשְׂרָאֵל לַיהוָה *Sanctitas,* sanctum quid erat *Israel Jovae*, i. e. velut aliquid consecratum Deo, de quo non licet, nisi sacerdotibus, edere, vid. Levit. XXII,

10.

10. Jarchi קֹדֶשׁ לַיהוָה explicat כתרומה *ficut oblatio*, fcil. quae fponte dabatur Deo, facerdotibus et Levitis. Chaldaeus: קוּדְשָׁא אִנּוּן בֵּית יִשְׂרָאֵל קֳדָם יְיָ *res fanctae funt Ifraelitae coram Jova.* Addit, reputatos fuiffe Ifraelitas Jovae רֵאשִׁית תְּבוּאָתֹה velut *primitiae proventuum ejus.* „Secundum puncta," inquit J. D. Michaelis, „Suffixum pertinet ad Deum [eft enim pro תְּבוּאָתוֹ, ut in pluribus codicibus legitur], ita ut Ifrael fuerit *primitiae proventuum Dei.* Difplicet autem haec explicatio: proventus enim effe folent aratorum, ex quibus primitiae Deo facrantur. Mallem תְּבוּאָתָהּ, *primitiae proventuum ejus*, fcil. terrae non feminatae; defertum Deo offerebat populum fanctum, primitias. Eadem plane figura eft, quam habet Hofeas IX, 10., quem locum imitari videtur Jeremias. Jam video, fic et fcriptum effe in codice Regiomontano fecundo, ubi adfcribit Lilienthal: *primitiae proventuum ejus*, fcil. *Ifraelis.* Nec hoc repudiandum, quin Ifrael fponfae comparatur, ideoque feminine conftruitur. In Suffixo tamen אֹכְלָיו Ifrael mafculinum eft." Sed mirandum eft, haud meminiffe Michaelem ufus loquendi Hebraeorum, ex quo Pronomen affixum nomini regenti addendum plerumque nomini recto fubjungi folet, ut arctior nexus, quo illud cum hoc conjunctum eft, maneat integer, ut Jefaj. XXX, 22. פְּסִילֵי כַסְפֶּךָ *imagines argenti tuae* funt imagines tuae argenteae. Vid. et not. ad Jefaj. II, 20. et Deut. I, 41. et cf. N. G. Schroederi *Syntax.* Reg. X. et Gesenii *Lehrgeb.* p. 732. Pertinet igitur noftro loco Suffixum mafculinum nominis תְּבוּאָתֹה ad רֵאשִׁית, refpicitque *Deum*, qui proxime antea memoratur. *Primitias* vero *proventuum Dei* effe primitias proventuum terrae Deo facras, quis non intelligit? Alienus prorfus a noftro loco eft quem Jeremiam imitari Michaelis opinatur, Hofeae locus IX, 10., ubi Jova dicit, fibi Ifraelitas in deferto repertos haud minus gratos fuiffe, quam viatori gratiffimae funt uvae in terra fiticulofa repertae. Nec probanda eft

Lei-

Leistii ſententia, תְּבוּאָתֹה *proventus terrae qui Jovae ſint* indicare. „Vates enim,“ inquit, „uti ſupra I, 10. de populorum regnorumque everſione et reſtitutione loquens exſtirpandi plantandique vocabulis erat uſus, terra cum horto hominibusque cum plantis comparatis, ita hoc loco populos cum frugibus comparat, Deo a terra ſua oblatis, Judaeosque, utpote cariſſimos Jovae, quem ſoli colant, primitias proventuum terrae appellat, quoniam primi animalium partus frugumque primitiae reliquis plerumque ſunt praeſtantiores, ideoque plurimi aeſtimantur maximeque deſiderantur.“ Sed reſpicit propheta potius leges de primitiis Jovae ſacris, Exod. XXIII, 19. XXXIV, 26. Levit. XXII, 10. Num. XV, 19. 20. Deut. XXVI, 2., ut verba, quae proxime ſequuntur, arguunt: כָּל־אֹכְלָיו יֶאְשָׁמוּ *omnes devorantes eum rei ſunt*, quae optime interpretatur Hieronymus: „quomodo qui primitias devorant, nequaquam de genere ſacerdotali, ſceleris rei ſunt.“ Chaldaeus: *Et in eos qui illos diripuerunt* animadvertit Deus, *quemadmodum qui de primitiis oblationis proventuum frugum comedit mortis eſt reus, et ſicut qui edit de primitiis meſſis manipuli oblationis, antequam inde obtulerint ſacerdotes, filii Aaronis, oblationes ſuper altari, eſt reus, ſic omnes, qui depraedabantur domum Iſraelis, reatum ſibi contrahebant.* Verbi אָשֵׁם proprius eſt uſus de reatu qui contrahitur de ſacris comedendo, vid. Levit. V, 14—16. XXII, 15. 16. Num. XVIII, 19. — רָעָה תָּבֹא אֲלֵיהֶם *Malum venit ſuper eos*, ſcil. populos extraneos, qui Hebraeis, Deo ſacris, adverſantes ejus perniciei inhiarunt; hujus ſuae temeritatis gravem poenam Deo dederant. Non enim de praeſenti, ſed de praeterito tempore loquitur.

4. Appellatione וְכָל־מִשְׁפְּחוֹת בֵּית יִשְׂרָאֵל *et vos omnes familiae domus Iſraelis!* ſunt interpretes, ut J. D. Michaelis, qui Iſraelitas decem tribuum, quorum magna pars ad Judaeos confugerat, et exteros quoque jam diu

ab

ab Aſſyriis in exſilium abreptos, intelligi exiſtiment. Sed recte Hieronymus: „Utrumque autem nomen, Jacob et Iſrael ponitur, non ſecundum duas et decem tribus, ſed juxta omnem populum, quum et ipſe Jacob poſtea appellatus ſit Iſrael.“

5. Beneficiis a ſe in populum in deſerto collatis opponit jam Jova defectionem illius et inde repetit cauſam malorum, quae ei evenerunt, quam non in ſe, ſed in populo quaerendam eſſe docet. אֲבוֹתֵיכֶם *Patres veſtri*, i. e. notante Kimchio, majores veſtri inde ab eo tempore, quo Cananaeam ſunt ingreſſi. מַה־מָּצְאוּ בִי עָוֶל *Quid invenerunt in me iniquitatis?* perfidiae? cui parti foederis non ſteti? Cf. Mich. VI, 3. וַיֵּלְכוּ אַחֲרֵי הַהֶבֶל *Et ambulaverunt poſt halitum*, ſequuti ſunt vanum, i. e. idola, quae ſunt inſtar halitus vana, et a quibus fruſtra auxilium exſpectatur. Chaldaeus: וּטְעוֹ בָתַר טַעֲוָתָא *Et errarunt poſt idola.* וַיֶּהְבָּלוּ *Et vani fuerunt*, quod nonnulli interpretantur *evanuerunt.* Ita J. D. Michaëlis: „Poenam indicat: *evanuerunt*, halitus inſtar cito disparentis; ex magno et florente populo ad nihilum paene redacti.“ Cui tamen interpretationi et obſtat res veritasque, nam quo tempore Jeremias haec dixit, ſtabat adhuc reſpublica Judaica, et verbi הָבַל uſus, quod nusquam *evaneſcere* denotat, verum ſemper: *vanum eſſe*, vane agere, rem vanam et nullius fructus moliri, (vid. 2 Reg. XVII, 15. Pſ. LXII, 12. Iob. XXVII, 12.), quod vere iis convenit, qui idola, res nihili, colebant. Senſum haud male LXX expreſſerunt per ἐματαιώθησαν, *ſtultos ſeſe praeſtiterunt.* Cf. Rom. I, 21.

6. וְלֹא אָמְרוּ אַיֵּה יְהוָה *Nec dixerunt* apud ſe, cogitarunt: *ubi eſt Jova?* omnem ejus beneficiorumque ab eo acceptorum memoriam abjecerunt. הַמּוֹלִיךְ אֹתָנוּ בַּמִּדְבָּר *Qui ire fecit*, duxit *nos in deſerto*, intelligitur deſertum illud, quod interjacet mare Erythraeum ſ. Idumaeum, Palaeſtinam et Aegyptum, ubi XL annos commorati ſunt

Iſrae-

Israelitae ex Aegypto egressi, unde Arabibus تيه بني اسرايل *desertum filiorum Israel*, et التيه *desertum κατ᾽ ἐξοχὴν* dici solet. כְּאֶרֶץ עֲרָבָה וְשׁוּחָה *In terra planitiei et foveae*, s. collective *fovearum*. Prius nomen, עֲרָבָה, J. D. Michaelis recte ait pertinere ad sitientia Arabiae aequora, hoc ipso inhospitabilia, quod fontibus et rivis carent; minus vero probandum, quod addit, שׁוּחָה indicare horrendas et asperas valles. Fatetur quidem ipse, nomen שׁוּחָה alias *vallis* significatione haud reperiri, sed hic *foveam* notare, ut infra XVIII, 20. Prov. XXII, 14. XXIII, 27. Succurrere tamen dicit Arabicum سَاخَ *descendit, immersus fuit pes in lutum*, indeque سُوَّاخَي *terra mollis, in quam immerguntur pedes, morastige Oerter:* esse eadem loca, quae alias Arabibus بطايح audiunt. „Arabiae deserta jam nimio aestu siticulosa sunt, jam restagnantibus aquis paludosi et coenosa.“ Haec tamen ad nostrum locum nihil attinent. Nam sunt بطايح النبط *paludes Nabataeorum* inter Vasethum et Bagdadum, a verbo بطح in Conjug. V. *per planitiem diffusus fuit fluxus*, quod illis in locis aquae Tigridis et Euphratis late diffunduntur. Cf. Reiskii *Annotatt. ad Abilfedae Annales* T. p. 782. Verum non est cur propriam et usitatam *foveae* significationem, quam שׁוּחָה obtinet, h. l. seponamus, quum illa naturae locorum, de quibus hic agitur, optime conveniat. Narrant enim qui desertum illud Palaestinam inter et montem Sinai peragrarunt, solum hic illic ita esse foveis scrobibusque refertum, ut asini quibus vehebantur usque ad genua demergerent, ipsi vero illis dejicerentur. Vid. Oedmanni *Sammlungen aus der Naturk.* P. IV. p. 96. Recte Jarchi שׁוּחָה h. l. exponit per Gallicum *enfosses*. Est igitur אֶרֶץ שׁוּחָה *terra foveis plena* talis, in qua sunt plurima viae impedimenta et pericula. Quum *fovea* He-

Hebraeis et de *ſepulchro* uſurpetur, ut Pſ. LVII, 7. XXX, 10. Iob. XXXIII, 18., fuerunt, qui אֶרֶץ שׁוּחָה *terram ſepulchralem*, i. e. in qua humaniter non vivi poteſt, interpretarentur. Sed quum nomina עֲרָבָה et שׁוּחָה propriis ſuis ſignificationibus accepta commodum ſenſum fundant, haud neceſſe eſt alterum illorum ſignificatione translata ſumere. בְּאֶרֶץ צִיָּה וְצַלְמָוֶת *In terra ſiccitatis et umbrae letalis*, horrida, terroribus plena. De צַלְמָוֶת vid. not. ad Pſ. XXIII, 4. — וְלֹא־יָשַׁב אָדָם שָׁם *Et ubi nullus homo habitat*, i. e. notante Kimchio, habitare poteſt, quod coli et proferendis fructibus non eſt idonea.

7. וָאָבִיא אֶתְכֶם אֶל־אֶרֶץ הַכַּרְמֶל *Poſtquam venire vos feci*, introduxi *ad* ſ. *in terram arvorum.* Chaldaeus: לְאַרְעָא דְיִשְׂרָאֵל דַהֲוָת מְנַצְבָא כְּכַרְמְלָא *in terram Iſraelis, quae plantata eſt inſtar Carmeli.* Habuit כַּרְמֶל pro nomine montis notiſſimi, uti et reliqui veteres, et recentiorum haud pauci, inter quos J. D. Michaelis, qui ad h. l. haec ſcribit: „Scilicet mons Carmelus, qui eſt admodum fertilis, oleis conſitus et arbuſtis vineisque condenſus (ut tradit Hieronymus ad IV, 26.), pro quovis fertili terrae tractu, et regione in horti morem culta ponitur, nomine proprio in appellativum abeunte.“ Cf. *Supplemm. ad Lexx.* p. 1318 ſeqq. Sed quum nomina propria in omnibus linguis aliquid ſignificent, et ex appellativis fiant propria, et כַּרְמֶל appellativum eſſe ſtatuendum erit, quod in proprium abiit. Dubitari vix poteſt, eſſe nomen quadriliterum addita ל formatum e כֶּרֶם, كرم *bona et foecunda terra;* cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 865. Erit igitur כַּרְמֶל *ager ferax, arvum.* Cf. not. ad Jeſaj. XXIX, 17. — וַתָּבֹאוּ וַתְּטַמְּאוּ אֶת־אַרְצִי *Ingreſſi polluiſtis terram meam* foedis ſuperſtitionibus, ad idolorum cultum delapſi, vid. Judic. II, 10. 11. 12. וְנַחֲלָתִי שַׂמְתֶּם לְתוֹעֵבָה *Et haereditatem* poſſeſſionem *meam*, terram quam mihi prae aliis mihi ſelegi, *poſuiſtis in abomi-*

minationem, abominandam reddidiſtis, polluiſtis cultu abominando. Chaldaeus: וְאַחסַנְתִּי שַׁוִּיתוּן לְפוּלְחַן טַעֲוָתָא *et poſſeſſionem meam feciſtis cultui idolorum* ſacratam.

8. לֹא אָמְרוּ אַיֵּה יְהוָֹה *Non dicunt: ubi eſt Jova?* Chaldaeus: *Non dicunt*, cogitant: נִדְחַל מִן קֳדָם יְיָ *timeamus a Jova.* תֹּפְשֵׂי הַתּוֹרָה *Tractantes legem.* „Vana eſt, quam in his verbis invenire ſibi viſus eſt Michaelis, irriſio atque increpatio ſtudii hypocritici, in ſolis digitis reſidentis, animo ipſo a lege alieno. Certe quos Jeremias XLVI, 9. תֹּפְשֵׂי מָגֵן *tractantes clypeum* dicit, Cuſchaeos Phutaeosque, quosque ibidem תֹּפְשֵׂי דֹּרְכֵי קָשֶׁת *tractantes* et *tendentes arcum* dicit Ludaeos, vix fuerit, qui putet reprehendi ob ſimulatam armorum tractandorum peritiam. Imo vero, quemadmodum Num. XXXI, qui Vs. 27. תֹּפְשֵׂי הַמִּלְחָמָה *tractantes bellum* audiunt, mox Vs. 28. variata loquendi formula dicuntur אַנְשֵׁי הַמִּלְחָמָה *viri belli*, ita et תֹּפְשֵׂי הַתּוֹרָה non ſunt niſi אַנְשֵׁי הַתּוֹרָה, *νομικοί*, *νομοδιδάσκαλοι*, neque vero illi a ſacerdotibus diverſi. Sacerdotum enim erat, ad quamcunque quaeſtionem praepoſitam ex Moſaica lege reſpondere, et quid fas ſit, quid neſas, pronuntiare.“ Schnurrerus. Recte Chaldaeus vertit: מַלְפֵי אוֹרַיְתָא *doctores legis.* Jarchi סנהדרין *ſynedrium* interpretatur, quod legis peritis conſtabat. לֹא יְדָעוּנִי *Non norunt me*, ita ſe gerunt, quaſi me non noſſent, non curant me, mei rationem non habent. Kimchi: „Legem non didicerunt propter ipſam, ut ſervarent, quod in ea ſcriptum eſt, ſed ore tantum, non corde. Nam recta ſentiendi ratio et bona facta eſt vera ſcientia, non ſolum didiciſſe.“ Chaldaeus: לָא אֲלִיפוּ לְמִידַע דַּחְלְתִי *non didicerunt ſcire timorem mei.* הָרֹעִים *Paſtores* Chaldaeus et Jarchi recte *reges* ſ. principes intelligunt, quos conſtat et Homerum *ποιμένες λαῶν* appellare. וְהַנְּבִיאִים נִבְּאוּ בַבַּעַל *Et prophetae vaticinantur per Baalem*, in nomine Baalis, ut Jarchi ait; non Jovam, ſed Baalem effatorum ſuorum auctorem profitentur. Chaldaeus: וּנְבִיאֵי שִׁקְרָא מִתְנַבָּן בְּשׁוּם טַעֲוָתָא *Et prophetae fal-*

falſi vaticinantur in nomine idolorum. וְאַחֲרֵי לֹא־יוֹעִלוּ הָלָכוּ *Et poſt ea quae non proſunt ambulant*, idola, quae nihil iis proſunt, quum nihil ſint, cultu proſequuntur.

9. לָכֵן עֹד אָרִיב אִתְּכֶם *Idcirco porro contendam vobiscum*, ſicuti cum majoribus veſtris contendi, eosque delictorum coargui, Vs. 5., ita me et vobiscum contendere oportet, quum nondum reſipueritis. Jarchi: „Priusquam ſuper vos malum inducam, disceptabo vobiscum adhuc per prophetas meos, quamvis vobiscum jam antea multo tempore disceptaverim.“ וְאֶת־בְּנֵי בְנֵיכֶם אָרִיב *Et cum filiis filiorum veſtrorum contendam.* „Et cum nepotibus veſtris me contendere oportebit, quia et illi, uti vos, mali erunt, ſecundum id quod praedixit Moſes Deut. XXXI, 29. *Novi enim fore poſt mortem meam, ut omnino corrumpatis, et recedatis ab hac via, quam praeſtitui vobis.*“ Kimchi. Chaldaeus: וּמִן בְּנֵי בְנֵיכוֹן הָאִם יַעְבְּדוּן כְּעוֹבָדֵיכוֹן אֲנָא עָתִיד לְאִתְפְּרָעָא *et de nepotibus veſtris, ſi facturi ſint ſecundum opera veſtra, ego vindictam ſumam.* In codice quodam a Kennicotto inſpecto, et in duobus de-Roſſii codicibus a prima manu, omiſſo בְּנֵי, reperitur tantummodo וְאֶת־בְּנֵיכֶם, quod ipſum et expreſſit Hieronymus, approbante Hubiganto, qui ad h. l. haec notat: „Vidit Hieronymus non convenire *filios filiorum*, ubi *filii* non anteceſſerunt. Itaque recte convertit *et cum veſtris filiis.* Non dubium quin olim ſcriptum fuerit וְאֶת־פְּנֵי *et coram.*“ Quae Hubigantii conjectura prorſus eſt reprobanda, quum verbum רִיב nusquam per אֶת־פְּנֵי conſtrui ſolent, verum cum אֵת, vel עִם, vel אֶל. Quod vero בְּנֵי in pauciſſimis codicibus omiſſum eſt, vix dubium librariorum negligentiae eſſe adſcribendum. Hieronymus quoque oculi errore illud praetermiſiſſe videtur. Certe reliqui interpretes veteres omnes exprimunt.

10. Summam Iſraelitarum impietatem et ſtultitiam comparatione exaggerat gentium omnium aliarum, quae quum

quum in falsa religione, a majoribus suscepta, solent esse constantes, Israelitae tanta levitate a vera ad falsam desciverint, Deumque omnipotentem cum vanis simulacris commutaverint. כִּי עִבְרוּ אִיֵּי כִתִּיִּים וּרְאוּ *Nam transite ad insulas Cittaeorum, et videte.* כִתִּיִּים etsi primum et proprie vetus Cypri insulae nomen fuerit (cf. not. ad Num. XXIV, 24. edit. tert.), postea tamen vix dubium est latius usurpatum fuisse non solum de insulis maris mediterranei, verum et de aliis terris ultra mare illud Hebraeis ad occasum sitis. Cf. not. ad Genes. X, 4. Jesaj. XXIII, 1. Ezech. XXVII, 6., et Gesenii *Commentar. in Jesaj.* XXIII, 1. Hieronymus: „*Ite*, inquit, *ad insulas Cethim*, quas vel Italiae, vel Occidentalium partium debemus accipere, ab eo quod terrae Judaeae Cyprus insula, in qua urbs hoc vocabulo nuncupatur [Citium], vicina sit; de qua et Zeno, princeps Stoicorum, fuit." Quemadmodum vero hic per כִּתִּיִּים terrae occidentem solem versus sitae, ita per קֵדָר, posteros Ismaelis, Arabes Cedreos (cf. not. ad Jesaj. LII, 12.), terrae orientales designantur. Kimchi: „Memorat propheta terras idololatarum ad orientem et occidentem sitas." Hieronymus: *Cedar* regio est solitudinis et Ismaelitarum, quos nunc Saracenos vocant, contra quam hujus ipsius prophetae in extremis partibus [infra Cap. XLIX.] texitur vaticinium. Et cujus meminit David [Ps. CXX, 5.] dicens: *Habitavi cum habitantibus Cedar.* Et est sensus: vel ad Occidentem pergite, vel in solitudinem mittite, et videte, si qua gens hoc fecerit, quod fecistis." Ad שִׁלְחוּ *mittite* Jarchi supplet: לראות מנהגם *ad videndum eorum ritum*, s. consuetudinem. וְהִתְבּוֹנְנוּ מְאֹד *Et animadvertite valde*, diligenter, attente. Jarchi: ושימו לב להסתכל בדבר יפה *et animum advertite, ut rem probe intelligatis.* Chaldaeus haec addit: *Et videte populos, qui migrant de arce in arcem, et de provincia in provinciam, portantes idola sua et ducentes ea secum, et in loco, ubi substituunt, extendunt tabernacula sua*

et

et ſtatuunt idola ſua eaque adorant. וּרְאוּ הֵן הָיְתָה כָּזֹאת *Et videte, an fuerit ſicut hoc?* Chaldaeus: אֵידָא הִיא אוּמָא וְלִישָׁן דַּעֲבַדַת כְּוָתְכוֹן בֵּית יִשְׂרָאֵל *quaenam eſt gens et natio, quae fecerit ſicut vos, domus Iſrael?* הֵן, alias Interjectio, *en!* hic pro אִם *num?* ponitur, recte monente Jarchio. Chaldaicus Particulae uſus, vid. Eſr. V, 17., ut Latinum *ſi* idem faepe eſt quod *an? utrum?* Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 848.

11. הַהֵמִיר גּוֹי אֱלֹהִים *Num mutaverit gens deos?* הֵימִיר eſt ad radicem יָמַר referendum, ſignificatu haud diverſo a מוּר, cf. not. ad Jeſaj. LXI, 6. Chaldaeus: הָא עַמְמַיָּא לָא שְׁבָקוּ פּוּלְחַן טַעֲוָתְהוֹן *En! gentes non derelinquunt cultum idolorum.* Maſora ad הַהֵימִיר notat, alias non ita plene ſcriptum reperiri, et Kimchi conjicit, vatem ſingulari vocis formâ duplicem in ea ſenſum conjungere voluiſſe, unum, quem ſuppeditat *mutandi* ſignificatio verbo מוּר propria, ſupra indicatum, alterum ex *magnificandi, extollendi* ſignificatu, quem verbo יָמַר ex Pſ. XCIV, 4. Jeſaj. LXI, 6. tribuunt, ut verba hoc dicant: num extulit gens ulla Deum alium a ſuo? Quod tamen nimis argutum videtur. וְעַמִּי הֵמִיר כְּבוֹדוֹ *Et populus meus commutat gloriam ſuam,* i. e. me, quem Deum habere ipſis ſumma gloria erat; ita et Pſ. CVI, 20. E contrario fictitii dii vocantur בֹּשֶׁת *pudor,* quorum ipſos pudere oportet, infra III, 14. XI, 13. Chaldaeus: וְעַמִּי שְׁבָקוּ פּוּלְחָנִי דִּי בְדִילֵיהּ אֲנָא מַיְתֵי עֲלֵיהוֹן יְקָרָא *populus meus reliquit cultum meum, propter quem ego ei gloriam adduco.* Qua interpretatione Schalom Haccohen obſervat Chaldaeum *ἀνθρωποπάθειαν* verborum hebraeorum evitare voluiſſe. בְּלוֹא יוֹעִיל *Pro eo quod non prodeſt,* pro inutilibus ſimulacris, ut ſupra Vs. 8.

12. שֹׁמּוּ Jarchi obſervat poſitum eſſe pro הִשְׁתּוֹמְמוּ *obſtupeſcite!* et eſſe Imperativum formae קֹמוּ *conſiſtite,* 1 Sam. XIV, 9. — חָרְבוּ *Deſolati,* i. e. ſtupore correpti *eſtote valde!* Quam tamen vulgo receptam interpreta-

tio-

tionem nullo hebraicae aut cognatarum linguarum usu comprobatam esse monuit J. D. Michaelis in *Annotatt.* ad h. l. Assentitur ei Schnurrerus, nec tamen, quam ille obtulit, ex usu verbi حَرِبَ *ira percitus fuit*, repetendam explicationem *irascimini* probat, neque Schleusneri, Syro praeeunte וְחִרְדוּ *et timete!* legendum censentis, conjecturam admittit, quum coelo nec ira, nec pavor hoc loco commode tribui posse videatur. Monet vero, Hebraeis saepe duo Verba ejusdem Temporis, Numeri et Personae ita conjungi, ut alterum rem ipsam exponat, alterum autem rei modum describat, Adverbii vicem explens; et licet plerumque quidem, quod modum rei designet, priori loco, posteriori autem, quod rem ipsam significet, poni concedat; permutati tamen ordinis exempla haud deficere observat, collata ipsius Jeremiae formula infra IV, 5. קִרְאוּ מַלְאוּ *plenu voce clamate!* ubi additum est Verbum מַלְאוּ ad alterius Verbi significationem et vim augendam. Similiter et hoc loco Verbum שֹׁעֲרוּ habere additum aliud, חָרְבוּ, non ad aliud quid dicendum, sed ad horroris ipsius summum gradum significandum. Unde verba וְשַׂעֲרוּ חָרְבוּ מְאֹד ita vertit: *et horrescite ad vastitatem usque!* Cui interpretationi tamen recte opposuit Leiste, vatem, si verbum חָרְבוּ Adverbii loco positurus fuisset, haud credibile esse aliud ei addidisse Adverbium מְאֹד. Nec facile intelligi, quid sibi velit sententia, quae ex Schnurreri interpretatione prodit. Qualis enim est illa vastitas, quae coelorum horrorem sequatur? Quamvis autem Leiste haud neget, Verbum חָרֵב *obstupescendi* notionem, ab orationis nexu et hemistichiorum parallelismo minime alienam obtinere posse, sicut Verba שָׁאָה et שָׁמֵם, quae aeque ac חָרֵב *vastatum, desolatum esse* proprie significant, quum qui *cohorrescit* animi velut *desolationem* patiatur; malit tamen quam Michaelis ex Arabico حَرِبَ protulit inter-

pretationem, *irascimini!* praeferre. „Neque enim," inquit, „vatis animo, qui inter canendum majore etiam impetu concitatur, convenit, ita verba interpretari ut Judaeorum impietatem, postquam talem jam dixisset, qua audita obstupescere coela et horrere oporteret, *valde stupendam esse* satis frigide addiderit. Homines quidem audito facinore, quod vel commodi studium et sana mens dissuadere debuisset, mirari primo solent, quod scelus homo admiserit, et, si gravius est, horrere, deinde vel ira adversus auctorem incitari. Eosdem affectus vates animatis quasi coelis tribuit, quibuscum de Judaeorum improbitate querentem Jovam inducit. Sed *iram* hoc loco coelis commode tribui Schnurrer negat. Quidni autem vates, quum aliis hominum affectibus, v. c. admiratione et stupore, nec non horrore, coela moveri vult, irâ quoque adversus scelestos Judaeos accendi jusserit, quam ipsa erga Jovam pietas excitare debebat." Quae quidem etsi a Leistio subtiliter et acute disputata esse concedamus, tamen Verbum חָרַב toties in V. T. obvium quum nonnisi *vastationis* et *siccitatis* notione occurrat, sane perquam incertum est, obtinuisse illud apud Hebraeos *irascendi* significatum, quem Arabicum حرب habet. Coacervavit vates vehementi affectu concitatus plura verba, quae *stuporem*, *horrorem* exprimunt. Ceterum notat Kimchi, in codicibus nonnullis pro חָרְבוּ, Imperativo Cal reperiri חָרְבוּ, Imperativum Piel (ut פָּרְקוּ Exod. XXIII, 2.), id vero jure reprehendi a R. Jona, quia Masora notet, חָרְבוּ semel tantum, et quidem hoc loco occurrere, ad חָרְבוּ vero Genes. VIII, 13. eam annotare, bis legi, idque in eodem Versu, loco laudato. LXX hunc Versum sic reddunt: Ἐξέστη ὁ οὐρανὸς ἐπὶ τούτῳ, καὶ ἔφριξεν ἐπὶ πλεῖον σφόδρα. Pro חָרְבוּ illos הָרְבוּ a רֹב *multitudo* legisse patet. Vulgatus pro verbis וְשַׁעֲרוּ חָרְבוּ מְאֹד haec exhibet: *et portae ejus* (coeli) *desolamini vehementer.* Sequutus est Aquilam et Symmachum,

chum, qui secundum Hexapla Syriaca ܙܢܥܘ ܕܢܠܚܘ ܘܐ ܛܒ verterunt. Legerunt וּשְׂעָרוּ, sensu minime commodo. In sensum plane alienum hunc Versum detorsit Chaldaeus, qui eum sic exposuit: *Lugete, coeli! propter hoc, propter terram Israelis, quae futura est in desolationem, et propter domum Sanctuarii, quae futura est in destructionem, et propterea quod opera valde mala fecit populus meus.*

13. כִּי־שְׁתַּיִם רָעוֹת עָשָׂה עַמִּי *Num duo mala fecit populus meus,* non simplex peccatum, quale aliarum gentium est, quae quum verum Deum ignorent, idolis tenaciter inhaerent, Vs. 11. אֹתִי עָזְבוּ מְקוֹר מַיִם חַיִּים *Me deseruerunt, fontem aquae vivae.* „Comparat," inquit Kimchi, „bona, quae in Israelitas cumulavit, cum praecepta divina servabant, fonti sine intermissione scaturienti." Imo se ipse Jova, tanquam auctorem felicitatis Israelitarum, fonti aquae vivae et limpidae. Eum vero deseruerunt לַחְצֹב לָהֶם בֹּארוֹת *ad excidendum,* s. *excidendo sibi puteos,* cisternas, colligendae aquae pluviatili, quae tamen haud raro deficit, unde tales putei spem aquantium saepe destituunt, et id eo magis, quum sibi, ut addit, sibi effoderint בֹּארוֹת נִשְׁבָּרִים *cisternas fractas,* diffractis scilicet lapidibus, quibus cisternae intus muniri solent, ne aquam collectam terra absorbeat. Talibus igitur cisternis, inquit Kimchi, confert et idola, et populos, qui ea coluerunt, a quibus Israelitae auxilium exspectabant.

14. הַעֶבֶד יִשְׂרָאֵל אִם־יְלִיד בַּיִת הוּא *Num servus est Israel? num natus domi?* i. e. explicante Jarchio, בן האמה *filius ancillae,* verna, ut Genes. XIV, 14. XV, 3. Levit. XXII, 11. Cohel. II, 7. Per admirationem, qui fit, inquit, ut quem Deus quondam filium habuit (Exod. IV, 22. *filius meus primogenitus est Israel,* cf. Deut. XIV, 1.), quem velut Jovae sacrum nemo aggrediebatur impune (supra Vs. 3.), nunc instar mancipii sit, cujus, si

 ab

ab aliis male habetur, non ita miferatur dominus, uti pater miferatur filii. Si vero Ifrael non fit fervus aut verna, מַדּוּעַ הָיָה לָבַז *quare factus eſt in praedam?* cur Deus finit eum praedae effe hoftibus?

15. עָלָיו יִשְׁאֲגוּ כְפִרִים Etenim *ſuper illo rugiunt leones juvenes*, velut fuper rapina, cf. Amos III, 4. et ad eum loc. not. De כְּפִיר *leonem juvenem*, majorem catulo, denotante, vid. Bochartı *Hieroz.* P. I. L. III. Cap. 1. T. II. p. 4. edit. Lips. Iis h. l. indicari reges Ifraelites hoftiles notant Hebraei, fequuti Chaldaeum, qui מַלְכַיָּא *reges* vertit. וַיָּשִׁיתוּ אַרְצוֹ לְשַׁמָּה *Et reddiderunt terram ejus*, Ifraelis, *deſolationem*, cf. infra IV, 7. Ezech. XIX, 17., et Bochartum l. l. p. 44. — עָרָיו נִצְּתוּ *Urbes ejus*, populi Judaici, *ſuccenſae ſunt*. Pro נִצְּתָה, quod in textu exftat (τὸ כְּתִיב) Maforethae in margine notarunt legendum effe נִצְּתוּ, quod nomen plurale עָרָיו minus recte cum Verbo fingulari נִצְּתָה conftrui illis videretur. Sed recte monuit A. Schultens in *Animadverſſ. philologg.* ad h. l., Arabes nomini plurali inhumano, uti Grammatici loquuntur, i. e. quod hominem non fignificat, femper jungere Verbum femininum plurale, velnti in phrafi illa fexcenties in Corano obvia جَنَّاتٌ تَجْرِي مِنْ تَحْتِهَا الْأَنْهَارُ *horti ſub quibus flumina decurrunt.* Cf. *Inſtitutt. ad fundamm. linguae Arab.* p. 352. et Gesenii *Lehrgeb.* p. 714. Quod h. l. in textu exftat, נִצְּתָה, poteft et ad radicem נָצָה *deſolatum eſſe* referri, ut infra IV, 7. עָרַיִךְ תִּצֶּינָה *urbes tuae deſolabuntur.* Ita LXX. κατεσκάφησαν, Syrus ܐܬܚܪܒ, Chaldaeus צַדְיָן, et Symmachus in Hexaplis Syriacis ܡܬܚܪܒ. Nec igitur neceffe eft, cum J. D. Michaele exiftimare illos נִתְּצָה feu נִתְּצוּ *deſtructae ſunt* legiffe, quod in paucis quibusdam codicibus reperitur. מִבְּלִי יֹשֵׁב *Ob defectum incolarum*, „vel, *ita ut non ſit incola* (in illis). Praefixum enim מ ali-

alicubi videtur in Jeremia non tam *caufale* effe, quam *eventuale,* ut IV, 7. IX, 9. 10. 11." C. B. Michaelis.

16. De נֹף *Memphis,* celeberrima Aegypti urbe, vid. not. ad Ezech. XXX, 13. Hos. IX, 6., et quos laudavimus ad Jefaj. XIX, 13., et de תַּחְפַּנֵס, five, ut ad marginem fcribitur, תַּחְפַּנְחֵס, alia Aegypti urbe, Graecis *Daphne Pelufiae* appellata, vid not. ad Ezech. XXX, 18. Utraque illa urbe Jarchi recte notat fignificari Aegyptios, in quibus Judaei fiduciam pofuerunt, ut ipfis auxilio fint. Particula גַּם *etiam,* initio Verfus, emphafin hic habet, uti infra Vs. 36., q. d. illi ipfi, in quibus nunc maximam auxilii fpem pofuiftis, יִרְעוּךְ קָדְקֹד *depafcent te quoad verticem,* facient te calvam, fumma te, fpe delufa, ignominia afficient. Pro יִרְעוּךְ Michaelis mallet יְרֹעוּךְ *frangent tibi* legere, a radice רָעַע, quod et Syrus exprimit per ܢܪܥܘܢܟܝ, et in Hexaplis Syriacis Aquila per ܢܩܡܘܢ ܠܟܝ. Addere potuiffet, eodem modo et Jarchium legiffe, qui verba noftra exponit ירצצו גלגלתכם *diffringent crania veftra,* additque hebraeum רָצוּץ *fractum* Deut. XXVIII, 33. et Jefaj. XLII, 3. Chaldaice reddi רְעַע. Quod vero illud, quod praefert Michaelis, יְרֹעוּךְ, attinet, non poffumus non probare Leistii de eo judicium, ita fcribentis: „Prodit ita quidem fenfus fatis facilis, at minus tamen prophetae, tropis vel maxime utentis, orationi accommodatus, quam qui ex recepta lectione dici poteft. Eft enim רָעָה *pavit,* deinde *depavit,* faepiusque a pratis repetita metaphora ad varias transfertur res, ita quidem, ut pratorum flores atque gramina, confumendas. Luculenter hoc probat locus Mich. V, 5., ubi Verbum de regione dicitur, cujus incolas hoftium enfes, quemadmodum greges pratorum flores abrepturi fint. Simili modo hoc loco de vertice capillos fuos amiffuro calvoque reddendo dicitur. Omnem enim populum Judaicum fub unica, quam fingit, perfona complectitur, eique calvitiem minatur. Maxima ignominia af-

affectum iri eundem ita indicaturus erat, calvo capite ob leprae suspicionem, quam movebat, Hebraeis vel maxime ignominioso (2 Reg. II, 23.), ideoque pro poena a Jova inflicta, habito. Cf. Jer. XLVII, 5. XLVIII, 37." Alexandrini pro יִרְעוּךְ קָדְקֹד dederunt *ἔγνωσάν σε, καὶ κατέπαιξάν σου.* Eos apparet יְדָעוּךְ (per Daleth) legisse, et Verbum יָדַע sensu venereo coepisse, ut Genes. IV, 17. 25. XIX, 5. Vocem alteram Spohnius conjicit illos interpretes קִדְפוּךְ legisse, explicandum ex Arabico قذف *conviciatus est.* Mallem קִלְּסוּךְ, quod Verbum 2 Reg. II, 23. Graeci illi per *κατέπαιξαν* reddiderunt. Gaabio h. l. duorum interpretum Graecorum interpretationes videntur coaluisse, quorum unus tantum יִרְעוּךְ reddiderit, verbo רָעָה sensu venereo accepto, ut Iob. XXIV, 21. (ubi tamen potius in universum *affligere, inhumane tractare* significat), קָדְקֹד vero exprimere verecundatus fuerit, quum irrumationem indicari crediderit, ut Hieronymus, qui hebraea sic vertit: *constupraverunt te usque ad verticem,* et hunc in modum exponit: „tanta fuit libido Aegyptiorum, qui sunt magnis carnibus, ut nulli parcerent membro, sed omnia constuprarent. Juxta literam refertur ad idola Aegyptiorum." Sed de calvitie potius, ut ostendimus, h. l. est cogitandum. Chaldaeus ita exposuit: יִקְטְלוּן גִּבָּרָךְ וְיִבְזוּן נִכְסָךְ *occident fortes tuos et spoliabunt opes tuas.*

17. Sequitur responsio ad interrogationem Vs. 14. הֲלוֹא־זֹאת תַּעֲשֶׂה־לָּךְ עָזְבֵךְ אֶת־יְהוָה אֱלֹהַיִךְ *Nonne hoc facit tibi relinquere te,* i. e. quod reliqueris *Jovam, Deum tuum?* q. d. annon haec tibi mala accidunt quod reliqueris Deum tuum? Venema sic vertit: *Nonne hoc tibi facies deserere tuo Jovam, Deum tuum?* תַּעֲשֶׂה pro secunda persona cepit; „manifestum," inquit J. D. Michaelis, „vitium grammaticale. Quum enim Hierosolymam, quae generis feminini est, alloquatur ubique vates, תַּעֲשִׂי dicendum fuisset, quam lectionem unus co-

codex Kennicottianus (18.), atque a prima manu unus de-Roſſianus (262.) habet. Nec tamen vel ſic apta eſt conſtructio, ſequi enim non עֹזְבֵךְ, ſed בְּעָזְבֵךְ, oportuiſſet.“ Vulgatus et Syrus enuntiarunt תֵּעָשֶׂה, in Niphal. Hic enim ܗܘ ܗܳܕܶܐ ܐܶܬܥܒܶܕ ܠܶܟܝ vertit, ille: *numquid non iſtud factum eſt tibi quia* rel. Verum ita ante עֹזְבֵךְ non debuit עַל omitti. Michaelis, formam Infinitivi maſculinam, עֹזְבֵךְ haud conjungi poſſe cum Verbo feminino תַּעֲשֶׂה ratus, עֹזְבֵךְ in femininum עָזְבָתֵךְ mutandum judicavit. Sed monuit jam Kimchi, Infinitivum Nominis inſtar, ut alias ſaepiſſime, hic uſurpatum, formâ maſculinâ utrumque Genus complecti; ut Maſculinum tractari illum infra Vs. 19. רַע וָמָר עָזְבֵךְ, ut Femininum 1 Sam. XVIII, 23. הֲנְקַלָּה בְעֵינֵיכֶם הִתְחַתֵּן בַּמֶּלֶךְ *num vile vobis videtur cum rege affinitate jungi?* Jarchi locum ſic exponit: הלא את הרעה ואת הפורענות הזאת הגרום לך האשמה והעון אשר עזבת את ה׳ אלהיך *annon malum hoc et hanc poenam contraxit tibi peccatum et delictum tuum, quod Jovam, Deum tuum, reliquiſti?* Nomen non expreſſum אַשְׁמָה aut חַטָּאת Verbum femininum תַּעֲשֶׂה ſpectare, et Chr. Bened. Michaelis exiſtimaſſe videtur, quum, uti refert Filius, ſuae ipſius Notae ad h. l. in Bibliis Hebraicis: „*hoc efficit*, i. e. hujus mali cauſa eſt,“ ſua manu adſcripſerit: *peccatum tuum.* Sed, ut vidimus, non eſt opus hac ellipſi, qua adſumta et אֲשֶׁר ante עֹזְבֵךְ eſt ſubaudiendum. Bene LXX. *Οὐχὶ ταῦτα ἐποίησέ σοι τὸ καταλιπεῖν σε ἐμέ;* — בְּעֵת מוֹלִיכֵךְ בַּדָּרֶךְ *Quo tempore te ducit in via*, i. e. quo te in rectam viam, a ſe praeſcriptam te ducere cupit. Ad מוֹלִיכֵךְ J. D. Michaelis notat, videri Jeremiam Participium nonnunquam pro Infinitivo uſurpare, ut infra X, 23. XVII, 24. (in textu, nam ad marginem eſt Infinitivus). Sed recte monuit jam Pater, Chr. Bened., eſſe in his verbis ellipſin, et ea ſic eſſe capienda: *tempore*, quo fuit *ducens te*, ſ. quo intendebat te ducere *in viâ* recta. Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 793. not.

not. ad §. 214. Kimchi quoque recte exponit: הוא היה מוליך אותך בדרך ישרה *ille erat ducens te in via recta,* additque: „tu vero ab ea declinasti, et reliquisti Jovam, alios Deos sequendo. Dicit בַּדֶּרֶךְ (pro בְּהַדֶּרֶךְ) cum He demonstrativo: *in hac via,* q. d. in via illa nota, in qua majores tui ambularunt.“ Cf. דֶּרֶךְ עוֹלָם Ps. CXXXIX, 24. et ibi not. et שְׁבִילֵי עוֹלָם infra XVIII, 15. Dathius his verbis respici existimat ad emendationem sacrorum a Josia institutam, de qua 2 Reg. XXIII.

18. וְעַתָּה מַה־לָּךְ לְדֶרֶךְ מִצְרַיִם *Nunc vero quid tibi* rei est et *viae Aegypti?* Sic 2 Sam. XVI, 10. מַה־לִּי וְלָכֶם *quid mihi et vobis?* et 2 Reg. III, 13. מַה־לִּי וָלָךְ *quid mihi et tibi?* pro: quid mihi tecum vel vobiscum, negotii est? Cf. Marc. I, 24. V, 7. Ita et hic, nisi quod copula Vav ante לְדֶרֶךְ omissa sit. לִשְׁתּוֹת מֵי שִׁחוֹר *Ad bibendum aquas Schichoris,* i. e. Nili? „שִׁחוֹר ad verbum sonat *nigrum* (Cf. שָׁחוֹר Levit. XIII, 31. 37. Cant. I, 5.). Est vero Nilus turbidus et subfuscus, ac nigricans, puta ob limum, quem advehit secum, ex partibus ruens austrinis. — — Quemadmodum vero Hebraeis ob nigricantes aquas *Schichor,* id est *niger,* dictus est, ita et Graecis eàdem de causa vocatus est Μέλας, Plutarcho et Eustathio testibus indeque et veteribus Latinis *Melo* appellatus.“ Haec recte Gerh. Joa. Vossius *de Orig. Idololatr.* L. II. Cap. 74. p. 346. Cf. Servium ad Virgilii *Georg.* IV, 291. Fulleri *Miscell.* SS. L. IV. Cap. 8. Millii *Differtatt. select.* p. 193. edit. sec. Jablonskii *Panth. Aegypt.* L. IV. Cap. 1. §. 4. p. 146. Hieronymus in *Commentar. ad Jesaj.* XXIII, 3., quo loco nomen hoc Nili Hebraeis proprium jungitur cum ejusdem fluminis nomine Aegyptiaco, יְאֹר, haec scribit: „*Semen Sior,* quod subauditur Nili, eo quod aquas turbidas habeat, quibus Aegypti segetes irrigantur.“ Et ad h. l.: „Pro *Sior* nos *turbidam* interpretati sumus, quod verbum Hebraicum significat. Nullique dubium, quin Nilus aquas turbidas habeat.“ Alexandrini pro שִׁחוֹר posuerunt

Γηὼν,

Γηών, i. e. *Gichonem*, unum fluviorum e Paradiso exeuntium, Genes. II, 13., quem pro Nilo habuerunt. Cf. Josephi *Archaeol.* L. I. Cap. 1. §. 3. Γηὼν δὲ, διὰ τῆς Αἰγύπτου ῥέων, ὃν καὶ Νεῖλον Ἕλληνες προςαγορεύουσι. נָהָר *Fluvium* κατ' ἐξοχὴν dictum Hebraeis *Euphratem* esse constat, vid. Jesaj. VII, 20. Mich. VII, 12. Quod vero sensum hujus Versus attinet, plerique interpretes eo Judaeos carpi existimant ob foedera cum Aegyptiis Assyriisque inita, in quorum auxilio fiduciam unice ponerent, neglecto Jova. Ita Chaldaeus, qui Versum ita exponit: *Nunc ergo quid vobis contrahendo foedus cum Pharaone, regis Aegyptiorum, ut projiciatis iterum mares vestros in amnem? et quid vobis percutiendo foedus cum Assyrio, ut transmigrare faciatis vos ultra Euphratem?* Hic igitur interpres *itinere Judaeorum in Aegyptum et Assyriam* eorum foedus cum Aegyptiis et Assyriis ineundi studium, *potu* vero *aquarum Nili et Euphratis* damna, quae sibi ex insano illo auxilii alieni studio sint contracturi, indicari existimavit, quod videlicet futurum sit, ut ad illos fluvios quondam captivi deportentur. Sed recentioribus interpretibus *bibere aquam* fere est suppetias petere, collato Vs. 13. Quo minus autem foedera cum Aegyptiis Assyriisque inita h. l. reprehendi statuamus, obstat temporum, quibus haec loquutus est vates, ratio. Josias enim, quo regnante concionem hanc habitam fuisse verisimile est (vid. Argument.), tam longe aberat, ut cum Aegyptiis foedus iniret, ut potius Nechoni, Chaldaeos aggressuro, cum exercitu hostis obviam iret, et proelio prope Megiddo commisso caederetur, 2 Reg. XXIII, 29. Cum Assyriis vero Jeremiae tempore foedus iniri haudquaquam poterat, quod illorum regnum tunc jam interierat. Quam difficultatem Hensleru s quidem ita tolli posse ratus est, ut posterius Versus hemistichium de praeterito tempore, quo et Israelitarum et Judaeorum reges (veluti Achasus) sese cum Assyriis conjunxerant, agere statuamus, prius vero

vero hemiſtichium de praeſenti tunc tempore, quo, etſi non ipſe rex Joſias, tamen plures Judaeorum de foedere cum rege Aegyptio ineundo cogitarint, ut antea, Hiskiae tempore, accidiſſe legimus Jeſaj. XXX, 2 ſeqq. XXXI, 1 ſeqq. Hinc dicere vatem infra Vs. 36.: *Etiam Aegypti te pudebit ut puduit Aſſyriae.* Nobis tamen potius videtur, דֶּרֶךְ hic de *cultu religioſo*, ut proxime antea Vs. 17. extremo et Pſ. CXXXIX, 24. (cf. ὁδὸς Act. IX, 2. XIX, 9. 23.) intelligere. Quemadmodum igitur Amos VIII, 14. דֶּרֶךְ בְּאֵר־שָׁבַע *via Berſabae* ſignificat ritus et ſacra idoli, quod Berſabae colebatur, ita hic *via Aegypti et Aſſyriae* indicari vix dubitamus cultum idolorum Aegyptiorum et Aſſyriorum, et omnino populorum vicinorum, quorum ſuperſtitiones Hebraei tunc ſectabantur. De *religione* nomen דֶּרֶךְ capere et Leistium video. Praefixum לְ vero hic pariter ut infra XLVI, 13. Jeſaj. V, 20. 1 Reg. XX, 7. aliisque locis, idem eſſe ac Latinorum *de* putat, verbisque מַה־לָּךְ omiſſum ſaepiſſime יִהְיֶה mente addendum cenſet, ut haec ſit loci ſententia: *Quid tibi erit de Aegypti religione?* i. e. qualia tandem Aegyptiorum ſuscepta religio tibi, perfida gens, afferet commoda? Num forſan *Nili aquas bibere*, i. e. ad Nili ripas e terra tua ab Aegyptiis transponi cupis? Quidnam utilitatis ex Aſſyriorum religione accepta in te redundabit? Num forte id, ut ex Euphrate aquam haurire poſſis eumque olim accolas? „Ironice," addit, „ſunt dicta. Patria libertateque privatum iri Judaeos, ſi fictorum numinum cultui porro ſeſe daturi ſint, monet propheta." Vides, Virum Doctiſſimum phraſin *bibere aquas* eodem, quo Chaldaeus, ſenſu accepiſſe; vid. ſupra. Sed quemadmodum ſupra Vs. 13. Jova, quem ſolum ſalutis auctorem colere debebant Hebraei, *fons aquae vivae* appellatur, ita et hic cognata ſimilitudine, *aliquo potatum ire* ſuppetias petere indicare credibile eſt. Relicto Jova (Vs. 13. 19.) ab aliis diis opem quaeſiverunt Hebraei. Bene Grotius: „*Aquam* Aegyptiorum et Aſſyrio-

rum

rum *bibere* non eſt hic ſimpliciter eorum auxilia quaerere, ſed etiam deos illorum adſciſcere, ut eo apud illos eſſent commendabiliores.“ Spectaritne vates, uti volunt Harmer in *Obſervatt. ſuper Oriente* T. II. p. 309 ſeqq. et J. E. Faber in Annotatione ad illum p. 311., ad aquarum Nili et Euphratis qualitatem, quae etſi ita lutulentae et turbidae, ut nonniſi percolatae bibi poſſint, tamen ab accolis ſummis laudibus celebrantur, in incerto poſitum relinquo. Sed plane alienum ab hoc loco videtur, quod A. Schultens in *Origg. Hebrr.* L. I. Cap. VI. §. 36. inde quod Arabibus *aquatum ire*, *aquam haurire* ſubinde ſit *libidinem explere* (coll. Prov. V, 15. IX, 17.), duplici involucro orationem hic implicitam autumat, in quorum altero, *bibere aquas Nili Euphratisve*, ſit *impuram ſuam libidinem in Nilo vel Euphrate explere;* in altero vero *libido in Nilo vel Euphrate exſtincta* valeat Aegyptiorum Aſſyriorumque foeditatibus ſeſe polluere, et cum Niloticis Euphratenſibusve diis adulterio miſceri.

19. Verba תְּיַסְּרֵךְ רָעָתֵךְ וּמְשֻׁבוֹתַיִךְ תּוֹכִחֻךְ nonnulli ſic capiunt: *erudiet te tua malitia, et averſiones tuae te convincent*, i. e. ex ipſis malitiae tuae fructibus disces ſapere. Ita J. D. Michaelis: „non admonitionibus erudieris, ſed ipſis peccatis; magno tuo damno experta eris, quam ſint illa noxia dolorumque foecunda.“ Sed minus congrua eſt haec ſententia: peccata te erudiunt. Nec magis probandus Grotius: „Malitia tua argumento erit juſte te puniri.“ Ita potius verba ſunt vertenda: *caſtigabit te tua malitia et averſiones tuae te corripient*, quorum ſenſum recte Chaldaeus expoſuit אַיְתֵיתִי עֲלַךְ יִסּוּרִין *adducam ſuper te caſtigationes, quod non abſtinuiſti a malitia tua, et quod non redis ad legem, ultio de te ſumetur.* Jarchi: סוף שרעתך תביא עליך יסורין *tandem malitia tua adducet tibi caſtigationes*, additque, מְשֻׁבוֹת hic ſignificare *averſiones* a Deo, quemadmodum infra III, 14. בָּנִים שׁוֹבָבִים ſunt *filii* a Deo *aver-*

averſi, et Verbum הוֹכִיחַ valere hic *caſtigare*. וּדְעִי וּרְאִי J. D. Michaelis vertit: *ergo agnoſce* tandem *et vide* rel. Malim Imperativos per emphaſin pro Futuris poſitos, ut ſaepe, praeſertim ſi Futura praecedunt (vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 777.), hoc ſenſu: tunc experieris et videbis, ſenties, כִּי־רַע וָמָר עָזְבֵךְ אֶת־יְהוָה אֱלֹהָיִךְ *quod malum*, i. e. damnoſum *et amarum* ſit tibi *reliquiſſe te Jovam, Deum tuum.* Chaldaeus: אֲרֵי בִישְׁתָּא וּמְרִירָא. אַיְתִי עֲלָךְ יְרוּשְׁלֵם עַל דִּשְׁבַקְתָּא יַת־פּוּלְחָנָא. דַיָי אֱלָהָךְ *quod malum et calamitatem tibi, Jeruſalem, induxi, propterea quod reliquiſti cultum Jovae, Dei tui.* וְלֹא פַחְדָּתִי אֵלַיִךְ *Et* propterea quod *non* erat *pavor mei apud te.* Kimchi haec verba ſic exponit: non metuiſti ne pro peccatis tuis poenas irrogem. Sed פַּחְדָּתִי non dubium idem valere quod alias יִרְאָתִי *timor*, i. e. religio *mei.* Ita Jarchi: non erat in corde tuo ut me timeres me. Immerito J. D. Michaelis reprehendit Vulgatum, quod haec verba cum iis, quae praecedunt conjungens ſic vertit: *reliquiſſe te Dominum Deum tuum, et non eſſe timorem mei apud te*, quod ſequutus eſt Lutherus. Ipſe haec verba ſeorſim ſumit hoc modo: ſed quid haec ſurdis jam dudum auribus praedico? Nulla mei reverentia adficieris. Graecus Alexandrinus pro וְלֹא פַחְדָּתִי אֵלַיִךְ poſuit: *καὶ οὐκ εὐδόκησα ἐπὶ σοί, et non complacui mihi in te*, i. e. recte exponente Venema, nulla tui cura adficior, qui idem vere monet legiſſe illum פָּחַדְתִּי, et reſpexiſſe ad uſum Verbi, quo *metum providum* et *ſollicitudinem piam parentis* dicit, ut Iob. XXXIX, 16., al. 19. Similiter חָרַד de *amore ſollicito* dicitur 2 Reg. IV, 13.

20. Pluribus jam exponit, quam dementi perfidoque impetu a Deo ſummo atque unico ad idola defeciſſent. Prius Verſus hemiſtichium, כִּי מֵעוֹלָם שָׁבַרְתִּי עֻלֵּךְ נִתַּקְתִּי מוֹסְרוֹתַיִךְ וַתֹּאמְרִי לֹא אֶעֱבוֹר, Kimchi ſic explicat: „A tempore antiquo fregi jugum, quod Aegyptii vobis impoſuerant, et poſtea omni tempore avulſi vincula, in quae populi vos conjecerant; et quotiescunque ego te liberavi, pro-

promittebas, te mea praecepta non esse transgressuram; simulac vero quieti reddita esses, tui promissi immemor, ad cultum idolorum te convertisti, quemadmodum nunc facis, nam super omni colle alto" rel. Eundem sensum expressit Chaldaeus. Pro אֶעֱבוֹד (cum Daleth), *serviam*, ut in textu est scriptum, legerunt illi interpretes, quod in margine Masorethae legi jubent, אֶעֱבוֹר, *transgrediar*. Verum Graecus Alexandrinus interpres τὸ כְּתִיב exhibet, praetereaque Verba שָׁבַרְתִּי et נִתַּקְתִּי in persona secunda exprimit. Est enim illius interpretatio haec: Ἀπ' *αἰῶνος συνέτριψας τὸν ζυγόν σου, καὶ διέσπασας* (al. *διέῤῥηξας*) *τοὺς δεσμούς σου, καὶ εἶπας, οὐ δουλεύσω.* Consentiunt Hieronymus, Lutherus, J. D. Michaelis, Dathius, et tuetur idoneis argumentis hanc interpretationem Car. Aurivillius in *Dissertat.* super hoc Versu et quatuor qui proxime sequuntur, quae repetita est in ejus *Dissertatt. ad SS. Literas et philolog. orient. pertinentt.* edit. a J. D. Michaele, Gotting. 1790. Litt. p. 574 seqq. „Dispicienti, inquit, „utra interpretatio textui propius congruat, sentiri mox putem, fore non facillimam modo, sed et aptissimam, quae in secunda persona genti Judaicae scelus tribuit, quo non nunc primum summi imperium Numinis, illiusque legibus debita obsequia excusserant, insana rapiente idololatriae licentia. Nam hoc ipsum est, quod praesenti concione omni potissimum spectat Propheta. Tum istud: *non serviam,* manifesto postulat, in praesenti serie, imaginem jugi et vinculi, non hostilis alicujus, et physici, sed moralis, ex imperio divino oriundi, quod quia ferre nollet gens impia, a longe inde tempore dici et potuit et debuit diffractum a se avulsisse. Dicuntur certe hoc fecisse non cives modo inferioris ordinis, sed et principes viri, infra V, 5., ubi de his legimus iisdem verbis, quae heic habemus: שָׁבְרוּ עֹל נִתְּקוּ מוֹסֵרוֹת, *diffringite jugum, avellatis vincula.* Cf. Ps. II, 3. Ac de idolis non amplius serviendis promissum veluti liberatae gentis, ad quod in explicando לֹא אֶעֱבוֹד dilabuntur,

qui

qui praecedentia ad Deum liberatorem referunt, coactum omnino et precario arreptum censeatur, quum in textu hactenus de relictis a Judaea gente idolis nihil plane occurrat, quin pervicacissima potius in illis serviendis obstinatio accusetur. Similiter qui capiunt, ac si superba vox esset detrectantium imperium ipsius liberatoris Dei, hoc premuntur incommodo, quod servitus tum intelligenda alius generis, quam erat ista, quae a Deo ipso excussa jam ante ponebantur. Ast objecerint, qui alteram praeoptant, formas שִׁבַּרְתִּי et נִתַּקְתִּי, uti punctatae exstant, non esse posse, vi analogiae Grammaticae, nisi personae primae. Imo vero permittit eadem analogia, ut habeantur instar secundae femininae. Est tralatitium, secundam femininam Praeteriti Singularis ortam, addita tribus radicalibus terminatione תְּ, Schevate notati, e Pronomine feminino אַתְּ, quod quia in origine scribebatur אַתִּי, ad formandam secundam femininam Praeteriti Singularis etiam hoc fuisse adhibitum, lucide patet ex modo apponendi Suffixa, ante quae istud י plerumque exprimitur, aut certe ת Vocali Chirek notatur, ut in נְתַתִּיהוּ *dedisti eum tu*, femina, Ezech. XVI, 19., אַתְּ נְשָׂאתִים *tu*, femina, *tulisti eos*, ibid. Vs. 58. Adsunt mox, ipso in nostro, formae eaedem, infra Vs. 33. hujus Cap. לִמַּדְתִּי, et III, 4. 5. קָרָאתִי, דִּבַּרְתִּי, multoque uberiorem dabit exemplorum segetem Ezechielis Cap. XVI., ubi numerari poterunt omnino duodecim. Concinit harmonia dialecti tum Arabicae, in qua ת afformativum secundae femininae Praeteriti Singularis constanter signatur Vocali Kesra, respondente Hebraeae Chirek, tum Syriacae, quae eidem secundae femininae Praeteriti Singularis י in fine semper adjungit. Nec offendat in שִׁבַּרְתִּי et נִתַּקְתִּי additum רשׁ י Chirek, otianti in exemplis allatis ceteris, quippe quum et additum cernitur in הַחֲרַמְתִּי sec. femin. Mich. IV, 13. Qui puncta in libris nostris conspicienda non adeo antiqua arbitrantur, dicerent, Chirek illud deberi male sedulis librariis [Sed cf. Ge-

senii *Lehrgeb.* p. 265.]. Enimvero instant, qui primam personam tuentur, nil impedire, quin media inter probra, quae arguuntur, potuerint Vs. 20. memorari Dei in populum nunc rebellem insignia olim beneficia, quum et memorentur initio hujus Capitis, et mox Vs. 21. mentio injiciatur beneficii summi omniumque primi. Atqui suffecisse merito putetur, quidquid in exordio concionis suae attulerat propheta, de mirifica Dei in Israeliticam condendam conservandamque gentem clementia et benignitate, ut hinc pateret eo manifestius, quantus furor esset, quanta atrocitas criminis, quo beneficentissimum Dominum contemserat nihilominus. Crimen istud ubi occeperat propheta gravissimo aestu exagitare, causa efficacior nulla allegabitur, cur repeteret itemtidem divini amoris et favoris documenta. Neque vero nunc quaeritur, quid dicere potuerit propheta, sed quid reapse dixerit, congruenter argumento et colori universae orationis. Quod enim Versu proximo 21. sequitur, aperte continuat accusatoriam vim praecedentis non modo Versus, sed et totius, post Vs. 7. sectionis, nec tam beneficii alicujus instar adponi videtur, quam ut excusatio omnis praecideretur refractario populo, cui nihil, ipsa mox origine, defuerat a Deo inditae virtutis, quae veram posset pietatem omni tempore servare. Denique fatear, oportet, tum in nostro, infra XXX, 8., tum Nah. I, 13. Ps. CVII, 14. loquutiones *diffringere jugum*, *avellere vincula*, de liberante a servitute Deo praedicari. At hinc istud unice consequitur, posse illas per se non uni subjecto competere esseque proinde boni interpretis, e serie et argumento orationis colligere ac definire, quodnam in loco quolibet proposito intelligendum sit. Ceterum אֶעֱבֹר, lectio textualis, haud dubie praeferenda, tametsi marginalis אֶעֱבוֹר majori fere numero codicum mss. se tueri queat. Etenim textualis illa non modo sensui, qui toti inest periodo, apprime convenit, sed et eandem praetulere veteres, Alexandrinus, Graecus, Syrus, Hieronymus, quo-

quorum auctoritas Hebraeis qui nunc exſtant manuſcriptis codicibus longe antiquior atque potior. Solus Chaldaeus legit אֶעֱבוֹר, e quo dein, niſi valde fallor, margini lectio illa inſerta.“ Haec Aurivillius, quibus nos per omnia aſſentire non dubitamus. Quod in primo hemiſtichio dixerat vates, populum Hebraeum a longo jam tempore Jovae, Dei ſui, imperium excuſſiſſe, nunc probat, dum addit: כִּי עַל־כָּל־גִּבְעָה גְּבֹהָה וְתַחַת כָּל־עֵץ רַעֲנָן אַתְּ צֹעָה זֹנָה *nam ſuper omni colle alto et ſub omni arbore frondoſa tu inclinari ſolita es ſcortans.* Verbum צָעָה, quod Kimchi mera ex conjectura *vagari* interpretatur, haud congruenter ceteris, quibus occurrit, V. T. locis, infra XLVIII, 12. Jeſaj. LI, 14. LXIII, 1., ſignificare *inclinare,* collato Arabico صغا, primus oſtendit N. G. Schroederus in *Obſervatt. ad Origg. Hebrr.* Cap. III, ubi §. VIII. p. 41. noſtrum locum hunc in modum illuſtrat: „Vis et venuſtas phraſeos צֹעָה זֹנָה reſidet in duplici unius Verbi צָעָה notione, quam utramque propheta, *per figuram ex ambiguo,* in unum ſenſum apte conjunxit. Nempe *primo* dicitur *meretrix inclinari,* quando ad faciendam corporis ſui copiam ſe componit. Id Graecis eſt *κατακλίνεσθαι.* Aeschines de *falſ. Legat.* p. 419. Πεπαιδοποιημένος κατὰ τοὺς νόμους, ἀλλ' οὐ Κνωσίωνι τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα παρακατακλίνων ὥσπερ σύ. Similem uſum in Latino *inclinare* reperies apud Juvenalem *Sat.* IX. 26. et X. 226. Et in Plauti *Perſa* IV. 8. *Jam inclinabo me cum liberta tua,* quamvis *inclinare ſe* ſit *accumbere,* ut monuit Gronovius, ſimul tamen ſenſus turpis, per jocum Comico familiarem, captatur. Convenit etiam Hebraeum כָּרַע *curvari,* Iob. XXXI, 10. *Molat alii uxor mea, et ſuper eam יִכְרְעוּן curvent ſe alieni.* Et Arabes dicunt, ut in Camuſo obſervatur, كرعت المراة الي الرجل *curvat ſe femina ad virum,* quando ejus appetit congreſſum. Verum *ſecundo* idem *inclinari* ſignificat *corpus incurvare,* vel *proſternere,* ad

ad exhibendum alicui honorem, praefertim Numini cultum religiofum. Ita quoque idem כָּרַע ufurpatur Pf. LXXII, 9. XCV, 6. Hunc fenfum manifefto pofcunt illa verba: *fuper omni colle altiore et fub omni arbore patula.* Nam haec loca, ut nemo nefcit, veterum fuperftitio idolorum cultui confecravit. Apparet itaque, utrumque illam notionem hic tenendam effe, et neutram poffe feponi. Quare prophetae mens eft, Judaeos, in falforum numinum honorem paffim *fe inclinantes*, aeque foedo et infami flagitio fe inquinare, ac meretricem, fine ullo pudore fe inclinantem ad corpus vulgo publicandum. Quae comparatio eo luculentior eft, quod foleant Sacri Scriptores *idololatriae* turpitudinem per fcortationis figuram exprimere. Ut Judic. II, 17. *Scortantes fequuti funt numina aliena, et in eorum honorem fe proftraverunt.* Et alibi paffim.“ Cf. de Verbo צָעָה et J. D. Michaelis *Supplemm.* p. 2117 feqq. De cultu idolorum in collibus et fub arboribus exerceri folito vid. Hos. IV, 13. et Ezech. VI, 13., et ad ea loca notata. Ad זֹנָה recte monuit Gaabius, effe non Vocativum, *meretrix!* fed Participium, *fcortans.*

21. וְאָנֹכִי נְטַעְתִּיךְ שׂוֹרֵק כֻּלֹּה זֶרַע אֱמֶת *Ego vero plantaveram te vitem generofam, totam eam femen verum.* De שׂוֹרֵק, *vitis generofae* fpeciem denotante vid. not. ad Genes. XLIX, 11. Cum vite ex Aegypto in Palaeftinam, tanquam vineam, transplantata, comparatur populus Hebraeus et Jefaj. V, 1. Pf. LXXX, 9. *Viti* vero *generofae*, ob divini cultus puritatem, legumque omnium fanctimoniam, quae nafcenti populo Deus praefcripferat, quasque fi fervaffent Hebraei, operum fructus fibi falutares Deoque gratiffimos ferre potuiffent. „Quo praeflantior autem indoles arboris, quam quisque plantaverit, eo etiam majore cupiditate et diligentia folet in ifto opere verfari. Unde inferre liceat, quum plantatus a Deo hic pingitur populus Ifraeliticus, quafi שׂוֹרֵק, una oftendi fummam in Deo curam, qua profpexerat, ut plan-

tatae viti optimae vis ineſſet et foecunditas, qua poſſent fructus elici probatiſſimi. Indicatur hic idem in Deo, ſui populi conditore, ſtudium, quod pluribus proſequutus eſt Jeſajas V, 2., ubi vinitorem pingit effodiendo paraſſe ſolum, in quo plantandae vites, expurgaſſe illud a lapidibus, conſeviſſe vite praeſtantiſſimi generis, ſtructaque turri lacum exſcidiſſe. Plantatae autem vitis habitus ut eo deſcriberetur certius, adjungit propheta: כֻּלֹּה זֶרַע אֱמֶת *tota erat ſemen veritatis*, h. e. veriſſimum (pro more Hebraeorum Adjectiva exprimendi), nihil inerat adulterinum, nil niſi genuinum et frugiferum. Καλὸν σπέρμα dicitur Matth. XIII, 24." Aurivillius. Pro כֻּלֹּה J. D. Michaelis cum Suffixo feminino כֻּלָּהּ legendum putat, vertitque: *ego te totam nobilibus vitibus complantavi.* Sed recte monuit Leiste: „Tunc autem כֻּלָּךְ ſcribendum fuiſſet. Neque abeſſe videtur cauſa, quare Pronomen maſculinum τῷ כֹּל adderetur; pertinet enim ad praecedens Subſtantivum שֹׂרֵק." Sed nobiliſſima illa vitis, pergit vates, prorſus degeneravit: וְאֵיךְ נֶהְפַּכְתְּ לִי סוּרֵי הַגֶּפֶן נָכְרִיָּה *quomodo igitur converſa mihi es in alienationes vitis alienae?* סוּרֵי plures interpretes habent pro Adjectivo, *recedentes, degeneres* ſignificante, ſubaudiuntque *ramos, palmites.* Sed minime opus eſt ellipſin ſtatuere, ſi illud, haud certe abnuente forma, ut Nomen capiamus, hoc modo: *degenerationes vitis ſpuriae*, i. e. degeneraſti in vitem ſpuriam, uvas aut nullas, aut certe inutiles proferentem. Ante נָכְרִיָּה omiſſus eſt Articulus, qui quum Subſtantivo גֶּפֶן praemiſſus ſit, nec ab Adjectivo abeſſe debuit. Quod movit J. D. Michaelem, ut ה τῷ גֶּפֶן praefixum ad praecedens סורי trahendum, et סוּרִיָּה efferendum conjiceret, quod idem ſignificare vult ac Arabicum شَرِيَّة *colocynthis, vitis peregrina*, quae 2 Reg. IV, 39. גֶּפֶן שָׂדֶה *vitis agreſtis* dicitur. Verum ut taceamus, ne certam quidem eſſe nomini Arabico iſtum *colocynthidis* ſignificatum, quum illa, monente Aurivillio,

ab

ab Ibn-Sina, quem Avicennam vulgo dicunt, حنظل nuncupetur, et in Flora Forskaliana p. LXXVI. et CXXII. هنذل scribatur, multo adhuc incertius est, Hebraeis colocynthidem fuisse סוּרִיָּה appellatam. Sed non erat, cur Michaelem omissus ante נָכְרִיָּה Articulus offenderet, quum hujus syntaxeos exempla similia haud desint, veluti Ezech. XXXIX, 27. לְעֵינֵי הַגּוֹיִם רַבִּים *ante oculos populorum multorum;* et Genes. XXIX, 2. הָאֶבֶן גְּדוֹלָה *lapis magnus.* Alexandrinus hemistichium hujus Versus posterius ita reddidit: *πῶς ἐστράφης εἰς πικρίαν ἡ ἄμπελος ἡ ἀλλοτρία.* Quam interpretationem locumque quodammodo parallelum Deut. XXXII, 32. sequutus Leiste locum hunc sic resingendum putavit: וְאֵיךְ נֶהְפַּכְתְּ לְמְרֹרִים גֶּפֶן נָכְרִיָּה *qui tandem,* quae nobilissima eras, quum te ponerem, *in acerbos quin venenatos fructus ferentes mutata es, vites degener?* Ad quam mutationem tentandam Leistium potissimum movit hoc, quod Verbum הָפַךְ nonnisi praemissa Nomini Praepositione ל construi posse opinaretur. Verum et cum Accusativo, ut hic, jungi, patet ex Levit. XIII, 10. 13. 20., ubi legitur שֵׂעָר הָפַךְ לָבָן *pilus convertit se in album.*

22. כִּי אִם־תְּכַבְּסִי בַּנֶּתֶר *Nam etjamsi te ablueres smegmate.* „Quoniam כִּבֵּס plerumque de *abluendis vestibus* usurpatur, sequens נֶתֶר indicabit quidpiam, cujus naturali facultate sordes et maculae vestium possint abstergi. Haud male igitur per *smegma* vertatur. *Nitrum,* invitante soni similitudine tum antiqui interpretes, tum recentiores posuerunt. Ac nitro suo olim usos veteres ad abluendum purgandumque, vel ex eo liquet, quod inde Graecis percrebuerit ἐκνιτροῦν, *nitro eluere, nitro perfrictum expurgare.* Tum Forskalio teste (*Flora Aegypt. Arab.* p. XLVI.) *usus lotorius nitri,* اطرون *et* نطرون *appellant, adhuc Aegyptiis vulgaris est.* Quum tamen ab eo, quod hodie *nitrum,* valde esset diversum istud, quod eodem nomine insigniverunt veteres,

 ju-

judice, Phyfico et Chemico, Gaubio, apud A. Schultensium *Comment. ad Proverb.* XXV, 20. p. 334., foret hoc loco *nitrum* aequivocum. Nempe inter notas complures, quae alterum ab altero diftinguunt, hanc quoque ultimo adpofuit Vir Experientiffimus: *noftrum, inutile deterfioni, veterum, utiliffimum.*" Aurivillius. Cf. J. D. Michaelis *Commentatt. de Nitro Plinii et de Nitro Hebraeorum, quae* faciunt *fextam* et *feptimam* Ejus *Commentatt. in Societ. Reg. Gotting. per annos* 1758 — 1762. *praelectt.* Brem. 1774. in quat. Et in pofteriore quidem harum Commentationum §. X. p. 165. נֶתֶר dicit *natrum* effe, feu alcali foffile et naturale, quale in nitrariis Aegypti defertis reperitur. וְתַרְבִּי־לָךְ בֹּרִית *Et etiamfi multum tibi adhibeas fal lixivii.* De בֹּרִית cf. not. ad Mal. III, 2., quo folo loco praeter hunc occurrit. Hieronymus: „Pro herba *Borith*, quam nos, ut in Hebraico pofita eft, vertimus, LXX tranftulerunt πόαν, ut fignificarent *herbam fullonum*, quae juxta ritum provinciae Palaeftinae in virentibus et humectis nafcitur, et ad lavandas fordes eandem vim habet, quam et nitrum." Aliam herbam lavandis lanis infervientem, Graecis στρουθίον dictum, Latinis *radicula*, commemorat Plinius *Hift. Nat.* L. XIX. Cap. 3. *Quae vocatur radicula lavandis lanis fuccum habet; mirum, quantum conferens candore mollitiaeque. Nafcitur fativa ubique, fed fponte praecipua in Afia Syriaque, faxofis et afperis locis, trans Euphratem tamen laudatiffima.* נִכְתָּם עֲוֹנֵךְ לְפָנַי *Maculofa tamen* apparet *culpa tua coram me.* In voce נִכְתָּם, hoc tantummodo loco obvia, explicanda variant interpretes. Sunt, qui a nomine כֶּתֶם *aurum* illi fignificatum *nitefcentis claritudinis* tribuant, quae faciat, ut res in qua color ille nitorve infit, latere, aut non confpici nequeat; quafi hoc dicat: utut te purgare et abftergere ftudeas, tamen fplendet coram me tua culpa. Parum profecto apte ad rem. Nec magis probanda Junii interpretatio: *obducat fe auro infigni ini-*

qui-

quitas tua coram me. Aurum nomen כֶּתֶם a *fulvo colore* accepiſſe quum perſuaſum ſit J. D. Michaeli, in *Supplemm.* p. 1381. נִכְתָּם *fulvum eſſe* vel *fieri* denotare exiſtimat. „*Fulvae* quidem *maculae,*“ inquit, „huic Jeremiae loco: *ſi abluas te nitro, et multo utaris alcali, fulveſcit magis culpa tua,* perquam aptae. Aliquas maculas alcali non eluit, ſed auget, et vero nigras, aut nigro proximas caeruleas, fulvas efficit, ut vel quotidie experimur, atramenti maculis poſt loturam fulveſcentibus. Hanc notionem et prodit Arabicum اِكْتِتَام (Infinit. Conj. VIII.) *cum quod valde flavum eſt.*“ Sed illum a Michaele propoſitum ſenſum jejunum et frigidum eſſe, omnes agnoverint. Bochartus *Phaleg.* L. III. Cap. 5. p. 181. ex Arabico كَتَمَ *abſcondit,* unde كَتِيم *occultum, latens,* נִכְתָּם idem ſignificare ratus, hunc locum ita vertit: *recondita eſt iniquitas tua coram me;* collato Deut. XXXII, 34. *Nonne illud eſt* כָּמֻס *reconditum apud me,* חָתוּם *obſignatum in theſauris meis? mea eſt ultio et retributio.* Et altero loco Iobi XXI, 9. *Deus* יִצְפֹּן *abſcondet,* i. e. reponet *filiis iniquitatem* ejus. Item tertio Hos. XIII, 12. צָרוּר *Ligata eſt,* ut in marſupio numi, *iniquitas Ephraim,* צְפוּנָה *abſconditum eſt peccatum ejus,* i. e. apud Deum reconditum, atque alta mente repoſitum. Quod tamen minus congruit imagini hoc loco uſurpatae. Simpliciſſimum eſt, a Chaldaico כִּתְמָא *macula,* נִכְתָּם *maculoſum* interpretari, unde aptus hic ſenſus prodit: qua demum cumque te arte coneris emundare, reſtant tamen iniquitatis tuae maculae. Ita Graecus Alexandrinus: *κεκηλίδωσαι ἐν ταῖς ἀδικίαις σου ἐναντίον ἐμοῦ, maculata es in iniquitatibus tuis coram me,* quomodo et Hieronymus vertit. Chaldaeus: הָוֵא כְּרוּשָׁם כִּתְמָא דְלָא דָכֵי כֵּן סַגִּיאוּ חוֹבָיִךְ קֳדָמַי *eſt* tamen *ſicut nota maculae impurae, ſic multi-*

tiplicata ſunt peccata tua coram me. Syrus ex uſu Verbi in ſua dialecto ſic reddidit: ܘܡܚܘܬܐ. ܠܗܘܢ ܒܟܝ ܪܫܡܘ ܚܛܗܝܟܝ ܩܕܡܝ *cicatrices tamen impreſſerunt in te peccata tua coram me.* Senſum Verſus quod attinet, eum Kimchi ita enarrat: „Etiamſi te laves et purges, i. e. poenitentiam agas, tamen tibi poenas irrogabo propter peccata tua, adeo ſunt multa et magna. Cui refragari videri poteſt, quod infra IV, 14. dicitur: *Purga a malo cor tuum Hieroſolyma! ut ſalva ſias.* Reſpondemus, Hebraeos, poſtquam poenitentiam egerint, liberatos quidem tunc fuiſſe ab hoſtibus ſuis, nec in alias terras deportatos, ſed tamen ob multa eorum peccata poenam iis ſua in terra irrogatam eſſe. Sunt enim peccata, quae non ſolâ poenitentiâ expiantur, ſed nonniſi caſtigationibus, quibus, factâ poenitentiâ tollitur culpa. Magiſtri noſtri beatae memoriae in Tractatu Talmudico *Roſch Haſch-Schanah* (de initio anni) fol. 18. col. 1. repugnantiam, quae eſſe inter utrumque locum videtur, ita ſolvunt, ut dicant, alia eſſe divini judicii decreta interpoſito jurejurando, alia non item; illa non poſſe abrogari, quemadmodum dicit Deus 1 Sam. III, 14. *Ego contra Elis poſteritatem juravi, culpam Elianae poſteritatis nullis unquam fertis aut ſacrificiis expiatum iri.* De tali igitur irrevocabili decreto hoc Jeremiae loco, de eo, quod abrogari poteſt, infra IV, 14. agitur.“ Argutiae! Simplex Verſus ſenſus eſt hic: vel ſpecioſiſſima excuſatione, omnique expiationis ritu nihil proficies; manifeſtiora ſunt tua ſcelera, quam ut celari poſſint, quod Verſibus, qui proxime ſequuntur propriis verbis dicit.

23. Verba אֵיךְ תֹּאמְרִי *Quomodo dices?* ſunt coarguentis et convincentis: audebisne dicere, tamne caeca te rapit arrogantia, ut te foedis ſuperſtitionibus inquinatam neges? אַחֲרֵי הַבְּעָלִים לֹא הָלַכְתִּי *Baalos non ſum ſequuta.* Oppoſita haec ſunt accuſationi, quae Vs. 20. praeceſſerat: *Sub*

Sub omni arbore viridi et in omni colle excelſo tu ſcortaris. בַּעַל *Dominus* nomen fuit pluribus diis Phoeniciis et Cananiticis commune. Ita *Baal* Numen fuit Sidoniorum, 1 Reg. XVI, 31., et cum addito *Peor* Moabitarum, Num. XXIII, 28. XXV, 3., ut *Baal-Zebub* Philiſthaeorum, 2 Reg. I, 2. Qui hic בְּעָלִים generatim dicuntur, זָרִים *alieni* Vs. 25., et in Noſtro crebrius אֱלֹהִים אֲחֵרִים *dii alii*, plurali numero deſignant non unius generis ac turpitudinis idola, quorum cultum variis a gentibus aliis Iſraelitae adſciverant. רְאִי דַרְכֵּךְ בַּגַּיְא *Adſpice viam tuam in valle*, quod Chaldaeus ſic interpretatur: כַּד הֲוֵית יָתְבָא בְחֵלְתָּא לְקֳבֵל בֵּית פְּעוֹר *conſediſti in valle coram templo Peoris.* Reſpicere putavit haec verba ad cultum Baal-Peoris, idoli Moabitarum, ad quem egreſſi ex Aegypto Hebraei, in deſerto ſeducebantur, vid. Num. XXV, 3. Situm vero erat delubrum illius idoli in Abel-Schittim, qui terrae tractus erat pars planitiei Moabiticae, vid. not. ad Num. XXV, 1. Planitiem illam interpres h. l. *vallis* nomine (cum Articulo) indicari exiſtimavit. Sed quum non ſit dubium, vatem ſuae aetatis homines nefandae idololatriae coarguere, credibile eſt, intelligi hic *vallem Ben Hinnom*, immaniſſimo idololatriae genere, juxta ipſam Hieroſolymam, infamatam, ſuoque etiam a Noſtro appellatam nomine infra VII, 32. XIX, 2. XXXII, 35. Quam ipſam vallem et Alexandrinus interpres videtur intellixiſſe, quum בַּגַּיְא *ἐν τῷ πολυανδρίῳ* reddiderit, i. e. loco, in quem multa congeruntur hominum cadavera, nam vallem iſtam גֵּיא הַהֲרֵגָה *vallem occiſionis* nuncupandam praedicit vates infra VII, 32. Hinc habet et verſio Syro-Hexaplaris ܒܕܘܟܬ ܩܒܘܪ̈ܐ *in loco ſepulchrorum*, et Hieronymus in Commentario: „quod ſermone noſtro dici poteſt *ſepulcrum multitudinis.*“ Chrysostomus in Catena apud Ghiſlerium: Τὸ *πολύανδριον τοῦτο ἦν ὅπου τὰ σώματα τῶν παίδων ἐπὶ τοῦ Μανασσῆ κατωρύγη.* *Polyandrium hoc erat, in quo pue-*

puerorum corpora (Molocho cremata) *ſub Manaſſe ſepulta fuerunt.* „Eſt autem πολυάνδριον, teſte Suida, μνῆμα, τάφος, ξενοτάφιον. Nempe vallis Hinnom, ſuperſtitionibus et cultu Molochi infamis, deinde xenotaphiis ceſſit. Hieroſolymae et in templo praedicans propheta monſtrare digito hanc vallem poterat.“ J. D. Michaelis. „Syrus plurali numero ܒܢܚ̈ܠܐ *in vallibus* poſuit, ſumſitque adeo גַּיְא tanquam collectivum, valde mihi quidem probabili ſententia, quoniam, ut idola, excelſa, lucos, altaria multiplicaverat nullo limine coercita impietas, ita valles etiam complures eadem foeditate conſpurcatas, ſit veriſimillimum.“ Aurivillius. Cui ſententiae et ego accederem, niſi בַּגַּיְא cum Articulo h. l. exſtaret, quod demonſtrat, vatem certam quandam vallem innuere. בִּכְרָה קַלָּה *Camela juvenis velox* ſcil. tu es. De בִּכְרָה *camela juvenca*, ut Arabicum بَكْرَةٌ, docte differuit Bochartus *Hieroz.* P. I. L. II. Cap. 3. T. I, p. 16 ſeqq. edit. Lips. Ad dubia noſtra in Nota ad Bochartum prolata reſpondit Gesenius in *Commentar. ad Jeſaj.* LX, 6. Recte Aquila, Symmachus et Theodotion h. l. reddiderunt δρομὰς κούφη, *dromas levis*, ad curſum agilis et expedita. „Camela autem illa dicitur porro מְשָׂרֶכֶת דְּרָכֶיהָ *implicare vias ſuas*, h. e. vario impetu huc illuc abripi, oeſtro percita libidinis. Nam hoc dedecus ſubeſſe, tum ex imagine ſequente onagrae manifeſte liquet, tum ex probro, quod in Iſraelitica gente, utriusque ſimilitudine beſtiae, accuſatur. Vox מְשָׂרֶכֶת non exſtat alibi. Nominalis forma שְׂרוֹךְ unice habetur Geneſ. XIV, 23. et Jeſaj. V, 27. notione *corrigiae colligantis calceum*, quam quia et tenent Arabes ſuo ſub شَرِكَ, non inepte מְשָׂרֶכֶת דְּרָכֶיהָ vertatur *colligans, et in nodum quaſi implicans vias ſuas*, quod tribui poterit beſtiae coeco furore ita oberranti, ut ſua itentidem in veſtigia relabatur. Eſt quoque Arabibus شَرِكَ *ſociare, conſociare*, et in Conjug. IV. *ſo-*

sociare Deos, Deos plures, idololatrarum more, credere atque colere, frequentissimo usu Alcoranico, nec tamen huc trahendo, uti visum SCHULTENSIO in *Animadverss.* p. 402., tum quod verendum sit, ne Muhammede ista significatio fuerit non antiquior, tum quod camelae esse proprium oporteat, quidquid voce מְשָׂרֶכֶת demum putetur indicari. Quodsi tamen verti posset: *socium* h. e. marem, *viis suis* vehementi cursu, *anquirens*, imagini, quam struxit propheta, nihil certe detraheretur. [Ita et J. D. MICHAELIS in *Supplemm.* p. 2352.]. Ante בִּכְרָה multi supplent כ similitudinis. Fuerit tamen fortius, si habeatur Nomen illud instar Vocativi, quo directe compelletur gens impia: o! tu *camela citatissima, ejus indolis ut* etc." AURIVILLIUS. A textu hebraeo h. l. mirum quantum recedit Graecus Alexandrinus interpres, qui loco posterioris hujus Versus hemistichii haec dedit: *ὀψὲ φωνὴ αὐτῆς ὠλολύξε, τὰς ὁδοὺς αὐτῆς ἐπλάτυνεν ἐφ' ὕδατα ἐρήμου.* Quae HIERONYMUS sic reddidit: *Ad vesperam vox ejus ululavit, vias suas dilatavit super aquas solitudinis.* Sensum vero in Commentario ita exposuit: „Meretrix Jerusalem, juxta illam mulierem, quae in Proverbiis [V, 6.] describitur, ad vesperam ululabat voce sua, et amatores ad libidinem provocabat, aperiebat vias turpitudinis suae, et divaricabat pedes omni transeunti. Erat autem locus amoenitatem habens aquarum fluentium, qui delectabilior fit, quando in circuitu solitudo est, ut nullus videat fornicantem." Melius OLYMPIODORUS in Catena apud Ghislerium: *Ὀλολύζουσιν αἱ θήλειαι κύνες εἰς μῖξιν τοὺς ἄῤῥενας προκαλούμεναι, ὕδατα δὲ ἐρήμου αἱ πολύτροποι καὶ ἄκαρποι τῆς κακίας ὁδοί. Ululant sexus feminei canes dum ad coitum mares provocant. Aquae vero solitudinis sunt variae et infructiferae iniquitatis viae.* Quod autem rationem attinet tam abhorrentis a nostro textu hebraeo interpretationis, recte J. D. MICHAELIS observat, בכרה interpretem legisse ut Verbum בָּכְרָה. Est autem بكر 1) *diluculo*, 2) *noctu ante-*

antequam ſol oriatur aliquid facere. Deinde pro קַלַּת legit קֹלָהּ, et haec duo vocabula vertit: *noctu ſuſtulit vocem ſuam.* Noctu ululatibus fere ad coitum ſe invitant animalia. Voci מְשָׂרֶכֶת Graecum interpretem eam dediſſe ſignificationem conjicit Michaelis, quae ſupereſt in Arabico, ubi شَرِكَة eſt *via regia, ampla, aperta.* Lud. Cappellus vero in *Nott. critt.* ad h. l. (in *Operr.* p. 520.) Graecum exiſtimat משרכת accepiſſe, ac ſi eſſet a שָׂרַק, vel quaſi idem ſignificaret quod שָׁרַק *ſibilare,* בכרה autem adverbialiter, *primo diluculo, noctu.* Ceterum vere obſervat Cappellus, דְּרָכֶיהָ Graecum feciſſe initium Verſus ſequentis, pro פֶּרֶא legiſſe פָּתְחָה, quod Chaldaeis eſt πλατύνειν, denique pro לִמֻּד legiſſe לְמֵי *ad aquas.* Alias conjecturas de ratione textus h. l. in codice hebraeo Graeci interpretis attulerunt Spohnius in Nota ad h. l. et Gaabius p. 7.

24. Inſanum, quo ferebantur Hebraei, idolorum ſtudium, alia jam imagine ſiſtit, alinae ferae libere vagantis, et oeſtro libidinis percitae. פֶּרֶה לִמֻּד מִדְבָּר Aut eſt populus Hebraeus ſicut *onagra deſerto adſueta.* Pro פֶּרֶה, quod in plerisque codicibus et libris editis exſtat, in pluribus aliis legitur פֶּרֶא, uſitatior nominis forma. Cf. De-Rossii *Scholia critt.* ad h. l. Sed פרה jam Chryſoſtomi aetate in codicibus Hebraicis exſtitiſſe, quod vero פָּרָה *juvenca* quidam pronunciarunt, ex hisce illius verbis in Catena apparet: Κατὰ τὸν Ἑβραῖον οὕτω κεῖται· ὡς δάμαλις δεδιδαγμένη ἐν πανερήμῳ. Sed illud additum לִמֻּד מִדְבָּר nullo modo *vaccae* ſeu *juvencae* congruere, nemo non agnoſcat. Intelligendum eſt animal deſerticolum, quale eſt פֶּרֶא, vid. not. ad Genes. XVI, 12. Iob. XXXIX, 5. al. 8., et quos ibi laudavimus. Nomen formâ maſculinâ feminam tamen deſignat, poſtulante habitu totius ſimilitudinis et manifeſto, in ipſa conſtructione ſequentium vocum, feminini generis indicio. לִמֻּד מִדְבָּר *Adſueta deſerto* eſt ſylveſtris, efſera, indomita. בְּאַוַּת

בְּנַפְשָׁהּ

בְּנַפְשָׁהּ שָׁאֲפָה רוּחַ *Quae in defiderio animae fuae haurit ventum.* Anhelat, cum curfu, dum furore venereo, attracto violentius ore naribusque vento, quod fieri in brutis animantibus, equis praefertim, dum exftimulat libido, obfervatum fertur. Cf. infra XVII, 5. De equabus Virgilius *Georg.* III, 27 feqq.

Continuoque avidis, ubi fubdita flamma medullis,
Vere magis, quia vere color redit offibus, illae
Ore omnes verfae in Zephyrum ftant rupibus altis,
Exceptantque leves auras.

Pro בְּנַפְשׁוֹ, quod eft in textu, Maforethae ad marginem legi jubent בְּנַפְשָׁהּ cum Suffixo femineo, quum de femina fermo fit, et reliqua Suffixa in hoc Verfu fint feminina. Nos quidem haud dubitamus, Suffixum mafculinum effe genuinum, pofitumque refpectu habito formae mafculinae nominis פֶּרֶא, nec verifimile eft, Suffixum mafculinum, nifi in probatis codicibus exftitiffet, fervatum fuiffe. Verba תַּאֲנָתָהּ מִי יְשִׁיבֶנָּה plures fic reddunt: *occafionem ejus* quod attinet *quis avertat eam?* hoc fenfu: nemo eam oblata Veneris occafione ab ea impedire poteft. Sed a fignificatione *obviam dandi*, qua Verbum אִנָּה Exod. XXI, 13. pollet, תַּאֲנָה alii huic loco congrue *occurfum maris, coitum* interpretantur. Appofite N. G. Schroeder in *Obfervatt. ad Origg. Hebrr.* p. 10. collato Arabico أنى *fervere, aeftuare*, haec verba vertit: *aeftum libidinofum ejus quis fedabit?* כָּל־מְבַקְשֶׁיהָ לֹא יִיעָפוּ *Omnes quaerentes eam non fatigantur*, i. e. illis, quibuscum jungi ardet, non eft difficilis labor eam perquirere, quando quidem בְּחָדְשָׁהּ יִמְצָאוּנְהָ *in menfe ejus reperiunt eam.* In quibus verbis explicandis interpretes in varias partes discedunt. Quum חֹדֶשׁ proprie *lunae innovationem, novilunium* defignet, Aquila ἐν νεομηνίᾳ αὐτῆς vertit. Eodem modo Ludov. de Dieu: *in novilunio ejus invenient eam.* „Quia," inquit, „fingulo novilunio convenire folebant, atque ob fefti folennitatem

tem novamque lunae *Φάσιν*, quae etiamnum magno honore ab omnibus Orientalibus excipitur, peculiari quodam fervore ad cultum idololatricum flagrabant, addit, in novilunio ejus inveniri eam posse.“ Ita et C. B. Michaelis: „*In novilunio suo*, qui dies Domino festus esse debebat, Num. XXVIII, 11., cf. Jesaj. I, 4.“ Verum etsi alias haud raro tropicis propria miscere soleant vates Hebraei, hoc tamen loco id admittendum haud crediderim, quum in totor eliquo Versu vates tropi semel coepti sit tenax. Plerique interpretes חֹדֶשׁ usitato *mensis* significatu capiunt, nec hi tamen uno modo. Quidam de tempore *menstruo* intelligunt. Ita Hieronymus: *in menstruis ejus*. Syrus: ܒܐܘܪܚܬܗ *in viis*, i. e. menstruis *suis* (ut אֹרַח כַּנָּשִׁים Genes. XVIII, 11.). Nec aliud quid voluisse videtur Graecus Alexandrinus suo *ἐν τῇ ταπεινώσει αὐτῆς*. Parum enim verisimile, uti Schleusnerus autumat, interpretem respexisse Arabicum حَلَسَ *humi stravit*, Verbum parum usitatum, quod vix credibile est Judaeo Alexandrino notum fuisse. E recentioribus חֹדֶשׁ *menstruorum* significatione h. l. cepit Junius, qui locum sic explicat: „Si quis adulteram istam quaerere instituere, nullo negotio inventurus esset, quia extant singulis passibus vestigia sordium illius, tanquam mulieris ex mensium profluvio laborantis; sic accipitur vocabulum *mensium* et Hos. V, 7.“ Minime vero ibi חֹדֶשׁ de *menstruis mulierum* usurpatur, sed denotat tempus menstruum, i. e. brevissimum, vid. not. ad eum loc. Grotius: „Etiam in menstruis eam paratam invenient qui volent. Non potuit impudentissimum scortum melius describere.“ Sed quo minus חֹדֶשׁ de tempore menstruo capiamus, vetat usus loquendi Hebraicus, qui de menstruis mulierum semper נִדָּה, numquam חֹדֶשׁ usurpat. Ut taceamus, menstrua, quae solis feminis humanis sunt propria, non cadere in onagram, de qua hic agitur. David Kimchi exponit: *in mense ejus*, i. e. qui decisus et determinatus

est

est ei, ut non possit evadere e manu eorum, qui illam quaerunt, is mensis vero est *Ab*, quo expugnata est urbs. Ita et ABARBENEL mensem *Ab* designari censet, Judaeis ominosum, et quo soleant hostibus suis obvii esse et expositi. „Illo scilicet mense decrevit Deus, ut in deserto morirentur quotquot obmurmuraverant. Et die nona ejusdem mensis desolatum est utrumque templum, tam primum, quam secundum. Et Alexandriae devastata est Judaeorum amplissima synagoga. Iidem ex Anglia, Gallia et Hispania hoc ipso mense pulsi sunt." JOSEPHUS KIMCHI, חָדְשָׁהּ, referente filio, habuit pro Infinitivo verbi חָדַשׁ *innovare* cum Suffixo, legitque cum interrogatione: Quare non laborarent, s. defatigarentur, qui quaerunt eam? quum omni tempore eam inveniant in sua innovatione, ac si modo inciperet currere ante eos. Alii apud Kimchium agi volunt de mense, quo asinae ferae partus imminet, atque eam tum facile capi, quia pondus uteri cursum remoratur. SYPKENS in *Observatt. Miscell. ad selecta V. T. loca* in *Sylloge Dissertatt. sub praesidio Schultenss. et Schroederi habitt.* T. II. p. 937. collato Arabico حدس, *vagatus est incerta via* vertit: *dum ea vagatur invenient eam.* Quae omnes interpretationes quam sint frivolae et incongruae, non est quod demonstremus. Verum haud dubie vidit BOCHARTUS, qui in *Hieroz.* P. I. L. III. Cap. 16. T. II. p. 230. edit. Lips. verba: *eam in mense suo invenient* interpretatur, id est, quo mense solent sylvestres asinae maris appetitu fervere; constat enim, animalia libidinis suae certa habere tempora. Refert SCHALOM HACCOHEN in Commentario, interpretem Haphtararum (ad calcem libri quarti Pentateuchi s. Numerorum, Fürthae editi) pro בְּחָדְשָׁהּ legere בְּחָרְשָׁהּ (per Resch) *in saltu suo*, vid. 1 Sam. XXIII, 18. Et memoratu dignum est, Chrysostomum in Catena apud Ghislerium ad h. l. scribere: ὁ Ἑβραῖος· ἐν τῷ ἀροτριᾷν εὑρήσουσιν αὐτήν, *in arando invenient eam;* unde patet, fuisse jam tum codices, in

qui-

quibus בחרשה existeret. Sed qui hodie supersunt codices, quotquot inspecti sunt, omnes בחרשה exhibent, quod non dubitamus esse genuinum.

25. Initio hujus Versus subaudiendum esse אָמַרְתִּי *dixi*, ego Jova, ostendit, vere observante Schnurrero, quod sequitur, וַתֹּאמְרִי *tu vero dicebas*, q. d. equidem te subinde adhortatus sum: מִנְעִי רַגְלֵךְ מִיָּחֵף וּגְרוֹנֵךְ מִצִּמְאָה *cohibe pedem tuum a discalceatu, et guttur tuum a siti*, quae sunt verba Dei revocantis et per euphemismum scelesta adulteria reprehendentis, nam *pedum* appellatione crura et pudenda significantur, ut Genes. XLIX, 10. Deut. XXVIII, 57. Ezech. XVI, 25., quasi dicat, ne amplius te ipsam ita prostituito, sed animum ab insaturabili ista Veneris siti cohibeto. מִנְעִי רַגְלֵךְ מִיָּחֵף ad verbum: *cohibe pedem tuum a discalceato*, i. e. cave, ne sit discalceatus. Quam tamen loquendi formulam J. D. Michaelis duriorem et inusitatiorem ratus, mallet cum LXX. *ἀπὸ ὁδοῦ τραχείας* interpretari ita, ut יחף vel pronuntiandum sit יַחֵף, et *viam discalceantem* denotet, vel ex Arabico وَحْفَاءُ *terra nigris lapidibus constans* sit explicandum. Sed vere monuit Schnurrerus, non esse, cur formula illa ab usu loquendi Hebraeorum abhorrere judicetur. „Neque enim infrequens est Hebraicis ille usus Praefixi Mim, qui rei privationem, vel cessationem consuetudinis significet. Simillima nostrae formulae illa est, qua Ezechiel utitur XVI, 41. וְהִשְׁבַּתִּיךְ מִזּוֹנָה *cessare faciam te a scorto*, i. e. efficiam, ut libidini tuae amplius indulgere haud possis.“ Graecum Alexandrinum vero quod attinet, Spohnius eum non aliter ac nos legisse, sed liberius vertisse recte observat. Nam qui pedibus incedit nudis, via incedit difficili, in calidioribus potissimum atque arenosis locis. וּגְרוֹנֵךְ מִצִּמְאָה *Et guttur tuum* scil. cohibe *a siti* vel, *a sitiente*, i. e. ne sitias amplius, ut supra מִיָּחֵף, quod tamen est Masculinum, quum רֶגֶל generis communis sit, et masculine quoque usur-

usurpetur. Quod in textu exstat, וְגוֹרְנֵךְ efferendum, est a minus usitata forma גּוֹרֶן, idem quod גָּרוֹן, i. e. *guttur* notante; quemadmodum עוֹשֶׁק et עָשׁוֹק significatu haud differunt; vid. GESENII *Lehrgeb.* p. 123. Sensum utriusque moniti JARCHI sic exponit: „Prophetae mei dicunt tibi: cohibe te a cultu idolorum, ne discalceata migres in exilium, ac prohibe guttur tuum, ne moriaris siti." Ita et alii, inter quos VENEMA, *discalceationem* pro poena et infamia civili habent, quasi Israelitae monerentur, ut resipiscentiâ tot merita flagitiis pericula ipsis imminentia avertant, captivitatem, puta, inopiam, squalorem. Sed recte AURIVILLIUS: „Enimvero videntur ante positae imagines, aeque ac dominantis ratio allegoriae, quam Propheta ex effrena meretricis nequitia desumtam persequitur, ferre secum, ut loquutiones: *nudare pedes, sitire gutture*, ad hanc eandem pertineant, honestiori adhibito verborum genere in re, quam sua ipsius turpitudo prohibebat apertius eloqui. Tum satis erit evidens, ultimo spectari abominandum idololatriae scelus." Genuinum sensum expressit Chaldaeus: מְנַעִי רִגְלִיךְ מִלְאִתְחַבָּרָא לְעַמְמַיָּא וְפוּמִיךְ מִלְמִפְלַח לְטַעֲוָת עַמְמַיָּא *cohibe pedem tuum a consociando* te *populis, et os tuum a colendis idolis populorum.* וַתֹּאמְרִי נוֹאָשׁ *Tu vero dicebas: desperatum est.* „In וַתֹּאמְרִי vim adversativam ו exserit, et quidem vehementiorem: *sed vero, imo vero, dicis tu.* Omnibus insuper habitis hortamentis divinis atque jussis tibi licet saluberrimis, non animo solum pervicaci restitas, sed et palam impudentissimo ore rebellionem profiteris. נוֹאָשׁ est Participialis forma Conjugationis Niphal, non nisi in quatuor, extra praesentem, locis obvia, a Verbo יָאַשׁ, quod semel legitur in Piel Cohel. II, 20. Significatio videtur subesse *desperandi*, vel abnegandi spem bonam, aut metum malum. Hinc נוֹאָשׁ exponi posset: *Non amplius sperandum hoc bonum, non metuendum hoc malum.* Arabibus يَئِسَ est *desperavit.* Sunt,

Sunt, qui putent, לֵב subintelligendum in loco hoc nostro, q. d. spe omni destituitur cor meum, fore, ut post tam foedam idololatriam recipiar in gratiam pristinam Dei, cui debitam fidem tanta fregi impudentia. Alii capiunt interrogative: *desperatumne est?* h. e. num desistam a meis viis? Utrumque alienum a charactere durissimae obstinationis, quam in Israelitica gente Propheta ubique conqueritur, et quorsum sequens etiam לוא referendum, fortissime heic negans, divinaque omnia commonstrans monita superbissima insolentia contemni. Itaque teneamus potius: *actum est, stat sententia; frustra monitis obruor; nec animum unquam nec mores flectam.* Scilicet nude positum לוא eandem parit emphasin, ac in linguis aliis absolute collocata negandi Particula.“ Aurivillius. Chaldaeus: דְאַמַרְתְּ תֲבֵית מִבָּתַר פֻּלְחָנָךְ *tu vero dixisti: recedi a cultu tuo.* נוֹאָשׁ Graecus Alexandrinus reddidit ἀνδριοῦμαι, quod Hieronymus recte interpretatur: *in malo proposito agam viriliter.* Patet, interpretem vocem retulisse ad אִישׁ *vir*, uti Syrus, qui ܐܬܚܣܢܬ *roboravi me* vertit. כִּי אָהַבְתִּי זָרִים *Amo enim peregrinos.* זָרִים in imagine, qua utitur propheta, amasios, quibus se dederat scortatrix, notat proxime; sensu eo, quem denique respicit allegoria, sunt *dii alieni, idola.*

26. כְּבֹשֶׁת גַּנָּב כִּי יִמָּצֵא *Tanquam pudore furis cum deprehenditur* in ipso furandi actu. Chaldaeus: כְּבַהֲתַת גְּבַר דְּמִתְחַשַׁב מְהֵימָן וּמִשְׁתְּכַח גַּנָּב *sicut pudor viri, qui fidus reputabatur et fur deprehensus est*, sive, ut Grotius, sicut pudet fur, qui honestum hominem agebat. Nam, addit Kimchi, ei qui notus est fur nullus pudor est. כֵּן הֹבִישׁוּ בֵּית יִשְׂרָאֵל *Ita pudefacient domum Israelis* scil. idola suos cultores. Cf. Vs. 28. נְבִיאֵיהֶם Chaldaeus reddit נְבִיֵּיהוֹן דְּשִׁקְרָא *prophetas suos falsos.*

27. Sensum hujus Versus Chaldaeus recte ita expressit: *Dicunt simulacro ligneo: tu es pater noster, et simulacro e lapide formato: tu nos creasti. Nam al-*

cultui meo obvertunt cervicem, neque ponunt timorem mei coram vultu ipſorum. Sed in tempore, quo malum iis ſuperveniet, negant ſ. *abjiciunt idola ſua, et fatentur coram me, dicentes: miſerere noſtri, et ſalva nos.* Ad phraſin כִּי פָנוּ אֵלַי עֹרֶף וְלֹא פָנִים *nam obverterunt mihi cervicem non vultum*, cf. verba Hiskiae 2 Chron. XXIX, 6. וַיַּסֵּבּוּ פְנֵיהֶם מִמִּשְׁכַּן יְהוָה וַיִּתְּנוּ־עֹרֶף *Averterunt* majores noſtri *faciem ſuam a tabernaculo Jovae, et dederunt ei cervicem.* Pro יְלִדְתָּנִי *peperiſti me* ad marginem legi jubetur cum Suffixo plurali יְלִדְתָּנוּ *peperiſti nos*, convenienter Participio plurali initio Verſus אֹמְרִים *qui dicunt.* Sed praeceſſit אָבִי *pater meus*, cum Suffixo ſingulari, cui bene convenit Suffixum ſingulare יְלִדְתָּנִי. Distributive capienda eſſe haec Suffixa: unusquisque veſtrum dicit rel., nemo non videt. Praeterea notat Kimchi, quum Verbum illud ſpectet ad nomen femininum אֶבֶן, ponendam fuiſſe ſecundam feminei generis perſonam cum Chirek ſub Thau, יְלִדְתִּנוּ, ceterum *formare* illud h. l. valere, ut Pſ. XC, 2. בְּטֶרֶם הָרִים יֻלָּדוּ *antequam montes formati eſſent.*

28. Ad אִם־יוֹשִׁיעוּךָ notat J. D. Michaelis, אִם eſſe h. l. jurandi formulam: *minime eripient te.* Nos ſimpliciter interrogative vertimus: *num te ſalvum praeſtabunt?* Ante hemiſtichium alterum Kimchi recte animadvertit ſubaudiendum eſſe: ſi forſan negare velles, tibi alios Deos eſſe, teſtabitur contra te res ipſa, כִּי מִסְפַּר עָרֶיךָ הָיוּ אֱלֹהֶיךָ יְהוּדָה *nam pro numero urbium tuarum ſunt Dii tui, o Juda*, quot ſunt tibi urbes, tot Dii. Singulae urbes habent ſuos Deos, tanquam patronos. Eadem verba leguntur infra XI, 13., ubi vero quaedam addita ſunt, quae Graecus Alexandrinus interpres et huc transtulit: *καὶ κατὰ ἀριθμὸν διοδῶν τῆς* Ἱερουσαλὴμ ἔθυον τῷ Βάαλ. Ea jam aetate Hieronymi hic in Graeco textu exſtitiſſe teſtantur haec ejus verba: „Quodque ſequitur, *et juxta numerum viarum Hieruſalem immolabant Baal*, a LXX. additum eſt."

29. לָמָּה תָרִיבוּ אֵלָי *Quare litem mihi intenditis?* „Litigabant cum Deo Iſraelitae, cum injuriam ſibi fieri querebantur, a Deo relicti et hoſtibus permiſſi, ejusque auxilium fruſtra implorantes.“ J. D. Michaelis. Similiter Kimchi: „Verbum ריב hic valet *contendere, litigare,* dicitque: hoſte in vos irruente mecum contenditis et dicitis: quare reliquit nos Deus, tradiditque hoſtibus? Vos vero cur ita mecum contenditis? nonne vos omnes a me defeciſtis?“ ut ſtatim ſequitur.

30. Verba לַשָּׁוְא הִכֵּיתִי אֶת־בְּנֵיכֶם Kimchi ſic interpretatur: *propter vanitatem percuſſi filios veſtros,* ſequutus Talmudicos, qui in Tractatu *Schabbath* fol. 32. לַשָּׁוְא h. l. על עסקי שוא *propter vanitatem* exponunt, additque: *„Filios veſtros* dicit, quod antea Vs. 29. dixerat *vos omnes,* adulti et parvi, a me defeciſtis. Hoc vult: ſi interrogatis, cur et filios veſtros percutiam? reſpondeo: quia a teneris ad vaniloquentiam ſunt aſſueti, nec, a prophetis Jovae admoniti, disciplinam admiſerunt. Cur igitur mecum contenditis?“ Sed recte Chaldaeus לַשָּׁוְא vertit מַגָּן *fruſtra,* quomodo et infra IV, 30. VI, 29. et ſaepius uſurpatur. Et Jarchi interpretatur על חנם כי לא הועיל שיקחו מוסר *fruſtra, quoniam non profuit ut acciperent caſtigationem.* Nec בְּנֵיכֶם eſt proprio ſignificatu capiendum, ſed comprehendit parentes etiam; alloquitur enim totam congregationem, cujus ſingula membra vocat *ejus filios.* Sic *filii Judae* Joel. III, 6. ſunt Judaei, *filii populi tui* Levit. XIX, 18. populus tuus. Non igitur opus, ut cum J. D. Michaelis ſumamus, Deum majores alloqui, mortuos tanquam praeſentes, et hoc velle: *de vobis quum deſperarem, filios veſtros percuſſi, ſed nec hi diſciplinam admiſerunt.* מוּסָר, quod proprie *caſtigationem* denotat, hic *inſtructionem* valet, ut Prov. V, 12. 23. VI, 23. VIII, 33. Non tantum, pergit, caſtigationibus meis moniti non meliores redditi eſtis, verum et אָכְלָה חַרְבְּכֶם נְבִיאֵיכֶם *voravit gladius veſter prophetas veſtros,* i. e. a me ad

vos

vos miſſos, quod ipſum et Nehemias IX, 26. iis exprobrat. Jarchi Jeſajam et Sacharjam (2 Chron. XXIV, 20. ſeqq. coll. Matth. XXIII, 35.) a ſuis occiſos ſpectari exiſtimat. Nimis argute Josephus Kimchi, quum ſupra Vs. נְבִיאֵיהֶם *prophetae eorum*, Judaeorum ſint prophetae falſi, eosdem et hic intelligi exiſtimat, quos dicat Jeremias a ſuis necatos fuiſſe, eum intellexerint, ſe ab illis peſſumdatos eſſe. Quod quam alienum ſit a ſcopo vatis et totius orationis habitu, nemo non ſentiat. Attamen falſos prophetas et intellexit Hieronymus, qui ad verba: *devoravit gladius veſter prophetas veſtros*, haec notavit: „Non meos, ſed veſtros prophetas, nequaquam meus, ſed veſter gladius devoravit, quem ſuſtinuiſtis pro peccatis veſtris. Porro LXX. non habent *veſter*, ſed ſimpliciter interpretati ſunt *devoravit gladius prophetas veſtros*, ut oſtendatur vel hoſtilis gladius, vel gladius meus, per quem peccata veſtra confodi." Cum poſtremis hujus Verſus verbis, כְּאַרְיֵה מַשְׁחִית jungit Hieronymus primum Verſus proximi vocabulum הַדּוֹר et ſic vertit: *quaſi leo vaſtator generatio veſtra.* Ad quae in Commentario: „Gladius," inquit, „qui devoravit prophetas veſtros (haud dubium, quin Baal et idolorum hariolos ſignificet), inſtar leonis, qui avidiſſimus repertam praedam lacerat, univerſa vaſtavit; et tamen veſtra generatio, quae paucorum interfectione debuerat emendari, omnis perſeveravit in ſcelere." Verba הַדּוֹר אַתֶּם ex initio Verſus proximi ad hunc trahenda et cum כְּאַרְיֵה מַשְׁחִית conjungenda eſſe et conjicit Gaabius, ut haec prodeat ſententia: *ſicut leo qui vaſtat habitationem* (ita דּוֹר Pſ. XLIX, 20.) ſcil. Nomadum, *vos* eſtis. Sed cf. quae ad Verſum ſequentem notabimus.

31. Nomini דּוֹר praefixum ה ſequente Dageſch forti Kimchi recte ait eſſe ה״א הקריאה *He Vocativi.* Vertendum igitur: *o generatio*, eos qui nunc vivitis, ut Deut. XXXII, 5. Jeſaj. LIII, 8. C. B. Michaelis, referente Filio, Joanne Davide, hoc opponi patribus, ſupra Vs. 5.,

antumavit, quafi dicat: fi patres veftri audire noluerunt, vos certe, o foboles eorum, audite verbum Jovae. Sine caufa J. D. Michaelis Vocativum initio Verfus pofitum aliquid ab ufu loquendi Hebraico alienum habere judicat. Affert Kimchi prorfus fimile Num. XV, 15. הַקָּהָל חֻקָּה אַחַת לָכֶם *o coetus! lex mea* eft *vobis* omnibus. Ceterum laudat Michaelis Hieronymum, qui, ut vidimus, הַדּוֹר ad Verfum praecedentem traxit vertitque: *quafi leo vaftator* eft *generatio* veftra. Addit: „Forte et אַתֶּם ad praecedentia retulit Hieronymus, et paraphraftice vertit *veftra.* Certe in fequentibus אַתֶּם non expreffit. Id paene praeplacet, nifi quod accuratius verterem: *ut leo vaftator eft haec generatio.* Ita haec generatio, filii fruftra caftigati, avis ut pejor opponetur.“ Nobis quidem recepta Verfuum diftinctio haud videtur follicitanda. Eft vero הַדּוֹר אַתֶּם fenfu malo per emphafin pofitum, pro אַתֶּם דּוֹר עִקֵּשׁ וּפְתַלְתֹּל *o vos, generatio perverfa et contorta,* ut habetur Deut. XXXII, 5., recte notante Ottenzofero, qui verba vernacule fic reddidit: *O ihr ausgeartetes Gefchlecht!* Graecus Alexandrinus pro הַדּוֹר אַתֶּם haec pofuit: *καὶ οὐκ ἐφοβήθητε*, quafi legiffet ולא יראתם, five, ut conjicit Spohnius, היראתם *timetis ne?* quod literis הדור אתם propius accedit, quam prius illud. Saepe vero in his interpretibus fententia per negationem expreffa legitur, quae in Hebraico per interrogationem affirmativam eft expreffa. דבר־יְהוָה ראו *Videte verbum Jovae!* i. e. confiderate et animum advertite ad ea, quae vobis Jova dicit. Tribuitur enim, Kimchio obfervante, *vifus* et *cordi*, f. animo, ut 2 Sam. XV, 3. Cohel. I, 17. Lightfoot in *Chronol. V. T.* in *Opp.* T. I. p. 115. edit. fec. prophetam hisce verbis refpicere putat ad illud exemplar Legis, quod fub Jofia in Templo repertum fuit, 2 Reg. XXII, 8. „Certus fum,“ inquit, „illa magis proprie ita explicari, tanquam fi digitum eo intenuiffet, quam explicata funt per Judaeos quosdam, quafi iis oftendiffet urnam, in qua in-

inerat Manna.“ הֲמִדְבָּר הָיִיתִי לְיִשְׂרָאֵל *Num desertum fui Israeli?* Num fui iis instar deserti, in quo omnia ad vitam sustendandam necessaria desunt? Quasi dicat: num frustra me coli jussi? nonne potius omnia necessaria iis suppeditavi, multisque cumulavi beneficiis? אִם־אֶרֶץ מַאְפֵּלְיָה *Num* fui eis *terra caliginis Jovae,* s. *tenebricosissima?* i. e. ingrata, in qua nulla lux sit et laetitia, vel, ut alii volunt, in qua omnia sint infoecunda ob solis defectum. Vel, quod praetulerim, terra terroribus plena, ut supra Vs. 6. desertum vocatur אֶרֶץ צַלְמָוֶת. מַאְפֵּלְיָה Kimchi nomen esse compositum ait ex מַאֲפֵל *caligo* (Jos. XXIV, 7.) et יָהּ *Jova,* ut שַׁלְהֶבֶתְיָה *flamma Dei,* Cant. VIII, 6., i. e. vehementissima; est enim nomen divinum ad significationem intendendam, ut Genes. XXX, 8. נַפְתּוּלֵי אֱלֹהִים *luctationes Dei* sunt vehementissimae; vid. not. ad eum loc. Esse codices, in quibus divisim מאפל יה sit scriptum, refert De-Rossi in *Scholl. critt.* ad h. l. Praeterea notat Kimchi, esse codices, qui מַאפֵּלִיָּה exhibeant, quod ipsum De-Rossi in codicibus haud paucis reperit, quasi e Participio Piel sit formatum. Quosdam ait Kimchi habere Jod pro formativo, ut sit Adjectivum femininum ad אֶרֶץ pertinens: sed tum מַאֲפֵלָנָה vel מְאַפֵּלָה legendum esset. LXX. *γῆ κεχερσωμένη, terra desolata,* verterunt, nec aliter Chaldaeus, בְּאַרַע חוּרְבָּא, et Syrus, ܐܪܥܐ ܡܚܪܒܬܐ, quae idem notant. Interpretes illos De-Rossi putat מפליה legisse, quod in uno suorum codicum reperit, et a נָפַל *ruinam* denotare ait. Sed ruina est מַפֵּלָה, sine Jod, Jesaj. XIII, 23. Illos ex solo contextu et mera conjectura ductos interpretatos esse, recte judicavit Michaelis. Hieronymus reddidit *terra serotina,* quasi מאפילה legisset, quod ipsum exstat in duobus Kennicotti codicibus et in uno De-Rossiano. Sequutus videtur Hieronymus Aquilam et Symmachum, quorum ille, teste versione Syriaco-Hexaplari, ܠܩܝܫܬ ܒܝܠܕܐ *serotina in genitura,* hic ܠܩܝܫܬܐ *serotina* red-

reddidit (quam vocem ignorare Lexicon Syriacum minus recte Spohnius dicit: legitur enim in verſione Syriaca N. T. *Peſchito* dicta Jac. V, 7. pro ὄψιμον). *Serotina* verterunt illi interpretes collato אֲפִילֹת quod Exod. IX, 32. ea ſignificatione legitur, et Chaldaeis quoque Syrisque אֲפִילָא *ſerotinum* denotat. Miror autem J. D. Michaelem, qui iſtam verſionem minime damnandam judicat. „*Terra,*“ inquit, „*ſerotina* foret, quae nimis tarde fructus profert, ut fieri ſolet in montium faſtigiis.“ Haud minus jejunum eſt quod ipſe proponit: *minores nec juſtae magnitudinis fructus efferens*, collato Arabico افال *parvae oves.* — מַדּוּעַ אָמְרוּ עַמִּי רַדְנוּ לוֹא־נָבוֹא עוֹד אֵלֶיךָ *Quare dicunt mei: ultro citroque vagabimur, non amplius ad te veniemus.* Vocem רַדְנוּ varie interpretantur. Kimchi, verbo רוּד *dominandi* ſignificatum cum verbo רָדָה communem eſſe ſtatuens (ut רָד Hos. XII, 1. *dominatur*), exponit: *dominamur*, i. e. eſt nobis regnum, habemus reges et principes; volumus noſtri juris eſſe, nec tibi amplius parere, ut ſupra Vs. 20. לֹא אֶעֱבוֹד *non* amplius *ſerviam* tibi. Quem ſenſum jam expreſſit Graecus Alexandrinus ſuo οὐ δουλευθησόμεθα, ſive ut in codice Vaticano et aliis codicibus habetur, οὐ κυριευθησόμεθα, *non dominum in nos patiemur.* Hieronymus *receſſimus* vertit, praeeunte Aquila in codice Syro-Hexaplari (ܐܬܪܚܩܢ), cujus interpretationis rationem pandit Jarchi, qui נבדלנו ממך *ſeparati ſumus a te* exponit, ex uſu Verbi רָדָה Talmudicis frequenti, ut in loco ab eo adducto e Tractatu *Schabbath* fol. 4. col. 1. הרודה פת מן התנור *removens,* ſeparans *panem a furno.* Ludov. de Dieu, Coccejus et J. D. Michaelis collato Arabico راد *voluit* vertunt: *volumus*, decrevimus, ſtatutum eſt apud nos, animum obfirmavimus. Sed idem illud verbum Arabicum et *ultro citroque commeare* ſignificat, adhibeturque de jumentis et feris, quae per campos et paſcua libere diſcurrunt, et huc illuc vagantur, ut mul-

tis

tis oſtendit N. G. Schroederus in *Obſervatt. ad Origg. Hebrr.*, p. 5 ſeqq. Unde p. 11. noſtrum locum ſic exponit: „*liberrime discurrimus*, tanquam jumenta jugo vinculisque ſoluta et libertatis amantia huc illuc vagamur, pabulo, ubicunque lubet, quaerendo, et libidine ad ſatietatem usque explenda nosmet oblectamus; *non veniemus amplius ad Te*, ne grave illud jugum ſervitutis, quod feliciter excuſſum gaudemus, nobis denuo imponas. Hunc ſenſum forſan intendit Chaldaeus Paraphraſtes, רַדְנוּ reddens per אִטַּלְטַלְנָא *vagamur*, non: *migravimus*, ut habetur in verſione [in Bibliis Polyglottis].“ Quae quidem interpretatio omnium aptiſſima et elegantiſſima nobis videtur.

32. הֲתִשְׁכַּח בְּתוּלָה עֶדְיָהּ *Numquid oblivifcitur virgo ornamenti ſui?* „*Ornamenta muliebria ſunt quibus mulier ornatur, veluti inaures, armillae, viriolae* [ornamenta colli e gemmis viridibus], *annuli, praeter ſignatorios, et omnia, quae ad aliam rem nullam parantur, niſi corporis ornandi cauſa; quo ex numero etiam haec ſunt: aurum, gemmae, lapilli*, ait Ulpianus L. Argumento D. auro, argento, mundo.“ Grotius. כַּלָּה קִשֻּׁרֶיהָ Aut oblivifcitur *ſponſa redimiculorum ſuorum?* קִשֻּׁרִים a verbo קָשַׁר *ligavit* videtur *zonas* denotare, LXX. *τὴν στηθοδεσμίδα*, Hieronymus *faſciae pectoralis ſuae.* „Id *mamillare* in Apophoretis; *ſtrophium* Cinnae:

Strophio lactentes cincta papillas.

Et Turpilio, apud quem virgo loquitur:

Me miſeram! quoniam inter vias epiſtola excidit mihi,
Infelix, inter tuniculam, ac ſtrophium quam collocaveram.

Vide ſi libet quae diximus ad imaginem Virginis in Arateis.“ Grotius. וְעַמִּי שְׁכֵחוּנִי יָמִים אֵין מִסְפָּר *At populus meus oblivifcitur mei* per *dies* quibus *non* eſt *numerus*, tem-

tempore adeo multo. „Quum ego multo majori ſim longe ornamento populo Iſraelis, et ornaverim quoque ipſum lege et multiplici gloria et proſperitate; multo indignius et incredibilius judicari a vobis, o aetas! debebit, me a populo meo tradi oblivioni et deſeri, quam quod virgo ornatum, et ſponſa zonam, quam pretioſiſſimam, abjiciat.“ VENEMA.

33. Prius hujus Verſus hemiſtichium, מַה־תֵּיטִבִי דַּרְכֵּךְ לְבַקֵּשׁ אַהֲבָה, HIERONYMUS ſic reddidit: *Quid niteris oſtendere viam tuam bonam ad quaerendam dilectionem?* Quae in Commentario ſic exponit: „Fruſtra, inquit, te cupis verborum arte defendere, et quaſi bona oſtenderi opera tua, ut merearis dilectionem.“ Similiter LUDOV. DE DIEU: „Senſum eſſe arbitror: quum turpiſſima ſit via tua, quid eam ornare coram me tentas, ut amorem favoremque apud me quaeras? Reſpicere prophetam puto, quod ſtatim Vſ. 35. dicetur: *Dixiſti: munda ſum, averſa eſt ira ejus a me.* Nempe adulabatur ſibi filia Sion, negabat ſe iram Dei meritam, atque ita vias ſuas pulchras reddebat coram Deo, id proprie eſt תֵּיטִיבִי.“ Quibus accenſendus eſt LEISTIUS: *Qui tandem bonam declarare ſuſtines viam tuam, dum quaeris id quod amas,* i. e. idola, cf. Hos. IX, 10. Nobis vero recte obſervaſſe JARCHI videtur, הֵיטִיב *exornandi* ſignificatu hic capiendum eſſe, quo et 2 Reg. IX, 30. de Ieſebele uſurpatur: וַתֵּיטֶב אֶת־רֹאשָׁהּ *ornavitque caput ſuum.* Unde vertendum erit: *quid exornas viam tuam,* i. e. cur tam multa allectamenta adhibes *ad quaerendum amorem,* i. e. ut amorem tibi concilies amaſiorum tuorum. Ita Chaldaeus: לְאִתְחַבָּרָא בְּעַמְמַיָּא *ut conjungas te cum populis.* JARCHI: תקשטי עצמך לקראת נאפיך *ornas te ipſam obviam* iens *adulteris tuis.* Quod recte exponit KIMCHI: תתקני לבקש אהבת האומות *ornas te ad quaerendum amorem populorum.* Concinit fere J. D. MICHAELIS: „Amores impuros idolorum intelligo, non Dei, quem vixdum repudiaverat Hieroſolyma. *Ornare*

vias

vias eſt, eas amoenas facere, lucos condere, idola fabricare.“ Schnurrerus: *Scite tu omnino noſti amorem tibi conciliare*, i. e. in exterarum gentium conſuetudinem te inſinuare. Hemiſtichium poſterius quod attinet, לָכֵן גַּם אֶת־הָרָעוֹת לִמַּדְתְּ אֶת־דְּרָכָיִךְ, Jarchi obſervat, לָכֵן h. l. eſſe aſſeverantis: *profecto*, et locum ita exponit: *profecto peſſimam viam, quae inter omnes vias eſt, docuiſti te ipſum*, additque לִמַּדְתְּ hic valere הנהגת *aſſuefeciſti*, adeo ut non male vertas: *malitiis aſſuefeciſti vias tuas*, ſicut ſupra Vs. 24. לִמֻּד מִדְבָּר eſt *onager aſſuetus deſerto.* Habet Jarchi vocem הָרָעוֹת pro Adjectivo ad דְּרָכָיִךְ referendo, quomodo conſtructio impeditior ſit. Melius Schnurrerus הָרָעוֹת capit pro nomine ſubſtantivo, et verba hunc in modum interpretatur: *quapropter etiam ſceleribus adſuefeciſti vias tuas*, i. e. ad pravas artes deſcendere, moresque tuos ad exterorum mores componere haud dubitaſti. Verbum לִמֵּד duplicem Accuſativum ſibi junctum habet, ut infra IX, 4. Cohel. XII, 9. Eandem conſtructionem ſequutus quidem et J. D. Michaelis vertit: *propterea et mala adſuefeciſti viis tuis*, ea vero ſic exponit: „pulchram et amoenam viam mala quoque ire cupiunt. Intelliguntur autem mala poenalia, familiaria jam et quotidiana facta viis Iſraelitarum.“ Sed quum ipſe bene intelligeret, hunc ſenſum habere quid contorti, quod diſpliceat, ſuaſit mutatis Vocalibus legere הָרֵעוֹת, hac ſententia: *Tu*, Hieroſolyma, etiam *ſocias tuas*, reliqua oppida Judaica, *docuiſti vias tuas.* Cui interpretationi vere oppoſuit Schnurrerus, alienum eſſe ab uſu Hebraico, urbi reliqua oppida tanquam *ſocias* adjungere; *filiarum* nomine haec conſtanter venire ſolere, quando quidem *matris* compellatione gaudet ſedes imperii. Praeterea, ut recte movet Leistius, ne ad Hieroſolymam quidem, ſed ad ipſum populum Judaicum, quem Jeremias eo, qui proxime antecedit Verſu, alloquutus eſt, referendae forent הָרֵעוֹת, neque unquam cogitari poteſt, quales demum intelligendae ſint populi ſo-

ſociae, ad idolatriam ſeducendae. Pro לִמַּדְתִּי Chaldaica ſecundae femininae perſonae forma, ut ſupra Vs. 20. שָׁבַרְתִּי (ubi cf. not.), ad marginem uſitata לִמַּדְתְּ eſt ſcripta. Pro Adjectivo הָרָעוֹת habet et Kimchi, ut Jarchi, ſed ita, ut אֻמּוֹת *populos* ſubaudiat; quomodo locus ita eſt vertendus: *propterea doces et malas gentes vias tuas*, q. d. ut aſſequaris quod optas, tu perpetras graviſſima flagitia, graviora ipſis gentibus, ut illas docere poſſis malitiam. Vel, ut Grotius ſenſum expreſſit: tuo exemplo etiam gentes improbas improbiores facis. Verum quum אֻמּוֹת neque in iis quae praecedunt, neque in iis quae ſequuntur, exſtet, parum eſt veriſimile, vatem voluiſſe Adjectivum ad tale nomen referri, de quo lectorem ne nutu quidem monuit. Dathius, Venemam ſequutus, qui לָכֵן Infinitivum Hiphil verbi כּוּן ſumit, pro לְהָכֵן *ad firmandum* (ut Dan. XI, 35. לַלְבֵּן eſt pro לְהַלְבֵּן), ſenſum loci ita conſtituit: quid ornas te ad amorem meum tibi conciliandum, quum totam vitam tuam ita inſtituas, ut eo ſecurius omnia ſcelera patrare poſſis? LXX. pro לָכֵן legerunt לֹא כֵן, vertunt enim οὐχ οὕτως. Quae ipſa lectionis varietas et Genes. IV, 15. Iob. XX, 2. reperitur. Reliqua hemiſtichii poſterioris verba ita reddunt: ἀλλὰ καὶ σὺ ἐπονηρεύσε τοῦ μιᾶναι τὰς ὁδούς σου. Pro את הרעות legerunt, aliter diſtinctis vocibus, אַתְּ רָעוֹת, et pro למדתי videntur לְטַמֵּא legiſſe, quod innumeris locis μιαίνειν reddunt.

34. Non ſolum idololatriae, verum et profuſionis ſanguinis innocui rea facta es. גַּם בִּכְנָפַיִךְ נִמְצְאוּ דַּם נַפְשׁוֹת אֶבְיוֹנִים נְקִיִּים *Etiam in alis veſtium tuarum invenitur ſanguis animarum egentium innocentium*, nihil eſt in te aut circa te non commaculatum ſanguine. כְּנָפִים *alae* ſaepius ſunt orae, extremitates veſtis, ut Deut. XXII, 12. 1 Sam. XXIV, 4. „Pro בִּכְנָפַיִךְ legunt בְּכַפַּיִךְ Alexandrini, qui habent ἐν ταῖς χερσί σου, et Syrus ܒܐܝ̈ܕܝܟܝ. Nec haec lectio reprehendenda. Manus ſan-

ſanguine contaminatae ſaepius in literis ſacris commemorantur. Communem tamen praetulerim, non ſolum quia conſueta eſt, ſed et, quod a manibus facile ſanguis eluitur, raroque eum arguit, a quo fuſus eſt.“ J. D. Michaelis. Ad נִמְצְאוּ Schnurrerus ſubaudit nomen הָרָעוֹת *malefacta*, in Verſus praecedentis hemiſtichio altero, ut vertendum ſit: *etiam in oris veſtium tuarum mala reperiuntur*, ad ea quae ſequuntur autem repetit נִמְצָא, *ſanguis*, inquam, repertus eſt *pauperum innocentium*. Quam interpretationem etſi commendet hoc, quod Accentu diſtinctivo majori *Sakeph katon*, verbo נִמְצְאוּ appoſito, tres primas Verſus voces ſeorſim capiendas eſſe indicetur; ſimplicius tamen videtur, poſthabita interſtinctione Maſorethica verba ſic vertere, uti ſupra fecimus. Eſt vero דַּם verbo נִמְצְאוּ jungendum *collective* capiendum: *inventi ſunt ſangines*, i. e. caedes, ſeu potius caedium veſtigia, ſanguinis macula, in veſtibus tuis. Neque igitur opus eſt, ut דְּמֵי legamus, uti vult J. D. Michaelis, ob hanc maxime cauſam, quod Hebraei de ſanguine innoxio effuſo ſoleant Pluralem ponere, et LXX. quoque in Plurali αἵματα reddiderint. „Cur enim,“ inquit Schnurrerus, „Graecus interpres non poſſit Singularem דַּם pro collectivo habuiſſe, ſuadente id Verbo proximo plurali נִמְצְאוּ? Reliqui interpretes in referenda lectione edita conſentiunt. Neque tam conſtans erat Hebraeorum conſuetudo, de effuſo ſanguine innocuo Pluralem dicendi, quin et Singularem ſubinde uſurparent, veluti Ezech. XXII, 13. וְעַל־דָּמֵךְ אֲשֶׁר הָיוּ בְּתוֹכֵךְ, ubi multitudinis ſenſus in nomine ſingulari דָּם tam certus eſt atque obvius, ut perquam cupidus captandae variae lectionis dici debeat, qui ex Alexandrina verſione, ἐπὶ τοῖς αἵμασί σου τοῖς γεγενημένοις ἐν μέσῳ σου, lectionem דָּמַיִךְ velit aucupari.“ *Pauperibus innocuis* necatis plures interpretes intelligunt inſontes idolis ſacrificatos; quos tamen ita nuncupatos eſſe non eſt veriſimile. Recte J. D. Michaelis haec pertinere ait ad injuſta judicia, quibus pau-

pauperes et oppressi ultimo supplicio fuerint affecti, quod certe sub Manasse factum, cujus caedes maxime arguuntur; cf. 2 Reg. XXI, 16. XXIV, 4. Potissimum vero caedes verorum prophetarum hic spectari, innuunt postrema hujus Versus verba, uti mox videbimus. Ceterum אֶבְיוֹנִים Alexandrini non exprimunt. In qua omissione Michaeli aliquid inesse videtur, quod attendi mereatur. „Tyranni nempe," inquit, „*innocentes* ad caedem rapiunt, sed raro *pauperes*, quippe a quibus nec metuunt aliquid, nec lucrum sperant." Verum אֶבְיוֹנִים h. l. non sunt *egentes*, inopes, sed in genere miseri, a potentibus oppressi, ut Jesaj. XLI, 17., ubi Israelitae extra patriam degentes ita vocantur, et saepe in Psalmis. Pergit vates: לֹא־בַמַּחְתֶּרֶת מְצָאתִים *quos non invenisti in suffosione;* alluditur ad legem Exod. XXII, 1., qua permissum erat, ut fur in ipso facto deprehensus impune occideretur. Sensus est: quos certe non in perforatione aedium ipsoque in facto deprehendisti, ubi caedes licita est. מְצָאתִים est secunda feminina Persona cum Suffixo, vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 346. Abarbenel vero habet pro prima persona, et Suffixum refert ad vestigia sanguinis miserorum innocentium, hoc sensu: non in abscondito, sicut in suffosione, loco subterraneo, scil. inveni, sed palam et in propatulo, scilicet *super omnibus illis*, alis vestimentorum suorum, quasi אֵלֶּה respiceret nomen כְּנָפִים, quod in בִּכְנָפַיִךְ praecedit, q. d. gloriantur caedibus fratrum suorum, vestigia sanguinis eorum in vestimentis suis prae se ferentes. Sed postrema illa Versus verba, כִּי עַל־כָּל־אֵלֶּה, interpretes haud parum exercuerunt. Plures, inter quos Venema, Dathius, Schleusnerus, Schnurrerus, sanum sensum ex iis exsculpi posse desperarunt, nisi cum Versus proximi primo verbo וַתֹּאמְרִי jungantur hoc modo: *et super his omnibus*, i. e. non obstantibus his omnibus, *tu* tamen *dicis.* Ita et Schnurrerus, qui ו ante תֹּאמְרִי ἀποδοτικὸν esse et עַל *non obstante*, ut Iob. X, 7. denotare censet, sensumque hunc esse ait: ad ista etsi vere

vere ita ſe haberent, tu tamen dicebas culpa te vacuam eſſe. Nos tamen vehementer dubitamus, alium locum reperiri, quo Verſus ita ut hic abrumpatur, ſenſu manco manente, qui in Verſu proximo contineatur. J. D. Michaelis verba כִּי עַל־כָּל־אֵלֶּה pronunciat hoc dicere: ſed publice et in promiſcuo negotio. Qui ſenſus qua ratione e verbis hebraeis exſculpi poſſit, difficile eſt intellectu. Optime hunc locum expoſuiſſe videtur Jarchi: *ſed propter omnia haec,* שהיו מוכיחים אותך בדברים האלה *quod te reprehenderunt* prophetae mei *propter omnia iſta* malefacta, ſcil. occidiſti miſeros illos innocentes. Minus probanda eſt quam Ludov. de Dieu propoſuit hujus loci interpretatio: „*ſed* feciſti *ob omnes iſtos,* nempe Deos alienos, quos, ſicut meretrix amaſios, ſectabatur gens Judaica, de quibus toto hoc Capite actum eſt. Senſus eſt: vos rei eſtis caedium multorum innocentiſſimorum pauperum, quos non tanquam fures, in ſuffoſſione aedium veſtrarum deprehenſos, necaſtis, ſed in gratiam omnium illorum amaſiorum veſtrorum, nempe peregrinorum Deorum, quorum numerus civitates veſtras aequat. Quum enim a gentibus didiciſſent, humano ſanguine placare Deos, divites autem, quique potentia valerent, aggredi non auderent, pauperes et invalidos necarunt, ut eorum ſanguine propitios ſibi Deos redderent." Verum ſacrificiorum humanorum mentio in hunc ſermonis contextum haud quadrat; nec, ſi vates ea hic commemorare voluiſſet, credibile eſt, id non clarioribus verbis ab eo factum fuiſſe. Alexandrini verba כִּי עַל־כָּל־אֵלֶּה *ἀλλ' ἐπὶ πάσῃ δρυΐ* reddiderunt, et ſimiliter Syrus: ܬܚܝܬ ܟܠ ܐܝܠܢ *ſub omni arbore.* Patet, eos אֵלָה enuntiaſſe. Hieronymus in Commentario, poſtquam *in omnibus iſtis,* ſive, *ſub omni quercu,* in verſione poſuiſſet, addit: „Hos pauperes et innocentes non inveni [ſcil. ego Deus] in foveis interfectos, quod ſolet plerumque accidere latronum inſidiis, *ſed in omnibus,* quae ſupra memoravi, ſive

ſive *ſub quercu*, quae Hebraice dicitur *Ella*, quae quidem [vox] et *iſta* ſignificat, ut ſit ſenſus: in omnibus iſtis, ſive, ſub quercu et terebintho, ſub cujus umbra et frondibus, quaſi in amoenis locis, idololatriae ſceleribus fruebaris." Theodoretus Graecam interpretationem explicat *ἐν ὑψηλοῖς ἐπὶ δρυΐ*, *in editioribus locis ſupra quercus*. Ita et Olympiodorus: *οὐδὲ λάθρα, φησὶν, ἀλλ' ἐφ' ὑψηλοῦ, τουτέστιν φανερῶς ἁμαρτάνουσιν*, *non clam, inquit, ſed in ſublimi, id eſt, in oculis omnium, delinquunt.* A quibus plane diverſus eſt Ludov. de Dieu, qui Graecae interpretationis ſenſum hunc eſſe putat: occidiſtis pauperes vere innocentes, quos non in ſuffoſione, ſed ſuper omnem quercum inveniſtis, id eſt, qui non vim aedibus veſtris fecerunt, ſed quercus potius quasvis conſcenderunt, ut glandium eſu famem ſedarent. Sed de glandium eſu Alexandrinos cogitaſſe nemo facile credat.

35. וַתֹּאמְרִי כִּי נִקֵּיתִי *Et tamen dicis: profecto innocens ſum.* כִּי h. l. vel ſimpliciter recitationem verborum alterius in oratione recta indicat, ut Syrorum ܕ et Graecorum *ὅτι*, quemadmodum Jos. II, 24. Ruth. I, 10. et ſaepius, vel eſt jurejurando aſſeverantis, pro חַי יְהוָה כִּי *ita vivat Deus ut* verum eſt quod dico, ut 1 Sam. XXV, 34. XXVI, 16. Zach. III, 8. — אַךְ שָׁב אַפּוֹ מִמֶּנִּי *Sane rediit*, averſa eſt *ira ejus a me*, ſecus quam mihi comminantur prophetae. Me ſcelerum iſtorum purum eſſe, hoc oſtendit, quod poenae, quas prophetae mihi irrogandas denunciarunt, non irrogantur; Deum habeo placatum. אַךְ aſſeverat, ut Jeſaj. XIX, 11. Iob. XIX, 13. Pſ. CXXXIX, 11. Alexandrini: *ἀλλὰ ἀποστραφήτω ὁ θυμὸς αὐτοῦ ἀπ' ἐμοῦ*, quod ſequutus Hieronymus: *et propterea avertatur ira ejus a me.* Ita et Calvinus: ne imperioſe nobiscum agat Deus, aequis rationibus agat, et poterimus oſtendere nos hisce objurgationibus non eſſe dignos. Reſpondet Deus: הִנְנִי נִשְׁפָּט אוֹתָךְ *Ecce ego* dis-

disceptaturus sum tecum, litem tibi intendam, tanquam pars adversa. אוֹתָךְ positum pro אִתָּךְ, ut supra I, 16.

36. מַה־תֵּזְלִי מְאֹד לְשַׁנּוֹת אֶת־דַּרְכֵּךְ *Quid abis strenue variando viam tuam?* cur tanto studio te modo Assyriis, modo Aegyptiis sociare allaboras? Hoc enim haec verba sibi velle, patet ex altero hemistichio. תֵּזְלִי Jarchi ait significare *vilem, contemtum esse*, quasi esset ab זָלַל. Ita Vulgatus: *Quam vilis facta es nimis*, additque Hieronymus: sive, *contemsistis nimis.* Concinit Syrus: ܡܳܢܳܐ ܡܙܰܠܙܠܬܝ. Verum ad זָלַל si vox illa referenda esset, תָּזֹלִּי positum esse deberet. Verum Kimchi תֵּזְלִי recte ait esse pro תֵּאזְלִי a verbo אָזַל *ivit.* מְאֹד *summum studium* significat, ut Deut. VI, 5. לְשַׁנּוֹת J. D. Michaelis vertit: *ut duplices* vias tuas, i. e. modo ad Assyrios, modo ad Aegyptios. Nos sequimur Jarchium, qui verbo illo significationem שינוי *mutationis* inesse ait, additque, sensum esse hunc: cur tantopere laboras, ut me relinquas et innitaris Aegyptiis, ad auxilium tibi ferendum tempore Jojakimi et Zedekiae. „Quid causae est, inquit, cur te conjungas Aegyptio, et deficias a Babylonio (in cujus manus Manasse erat traditus), atque fiduciam tuam ita in Aegyptio colloces, ut Ahasus ante collocaverat in Assyrio? 2 Reg. XVI, 7. Nam etsi hoc diserte in Scripturis legere non meminimus, non dubium est tamen, quin hoc foedus cum Aegyptio aut per Menassem post liminio reversum, aut per improbum Amonem fuerit initum: ac propterea Neco exponit Josiae, se non adventare, ut bellum gerat adversus ipsum, 2 Chron. XXXV, 21." Junius. גַּם מִמִּצְרַיִם תֵּבֹשִׁי *Etiam ab Aegyptio erubesces*, cf. supra Vs. 16. 18. Similiter jam Jesajas Judaeis sub Hiskia fiduciam suam in Aegyptiis collocantibus denunciat XXX, 3.: *Erit vobis robur Pharaonis pudori, et receptus iste in umbram Aegypti, ignominiae.* כַּאֲשֶׁר בֹּשְׁתְּ מֵאַשּׁוּר *Quemadmodum erubuisti ab Assyrio*, „cui Ahasus rex innitebatur, sed rex Assyriae eum afflixit, mi-

minime vero adjuvit, (uti dicitur 2 Chron. XXVIII, 20.)." Jarchi.

37. גַּם מֵאֵת זֶה תֵּצְאִי *Etiam ab illo*, Aegyptio, *abibis*. מֵאֵת זֶה i. q. מִזֶּה, monente Kimchio. וְיָדַיִךְ עַל־רֹאשֵׁךְ *Et manus tuae ſuper capite tuo*, i. e. in luctu graviſſimo, ut fere lugebant mulieres Ita 2 Sam. XIII, 19. Thamar, praeter alia luctus ſigna, וַתָּשֶׂם יָדָהּ עַל־רֹאשָׁהּ *et poſuit manum ſuam capiti ſuo*, i. e. complosit manus ſuper caput. וְלֹא תַצְלִיחִי לָהֶם *Nec proſperaberis quoad illa*, מִבְטַחַיִךְ praeſidia in quibus ſiduciam collocas, quod praecedit.

Cap. III, 1. Quinque primi hujus Capitis Verſus arcte cohaerent cum Capite praecedente, quippe Deus quam ſupra II, 20. adulterii convicerat, eam hic ad ſe revocat. In voce לֵאמֹר offenderunt cum antiquiores tum recentiores interpretes. Alexandrini et Syrus illud non expreſſerunt. Hieronymus vertit: *vulgo dicitur*. Quod quum לֵאמֹר ſimpliciter ſignificare non poſſit, aliquid ſubaudire neceſſe eſt. Hubigantus conciſe poſitum exiſtimat pro הֵן יֵאָמֵר לֵאמֹר *en! dicendo dicitur*. Loquendi formula Hebraeis haud uſitata. Magis probandus Dathius, qui Infinitivum cum ל praeſixo haud raro abſolute poni monet, ad quem vel Tempus finitum ejusdem Verbi, vel Verbum ſubſtantivum הָיָה ſit ſubaudiendum (cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 786 ſqq.). Ita לֵאמֹר h. l. valere: *dicendo dicunt*, i. e. dicitur, quomodo illud abſolute poſitum et Jo. XXII, 11. Judic. XVI, 2. eſt capiendum. Alii ſupplent: וַיֹּאמֶר יְהוָה לֵאמֹר *dixit Jova dicendo*. Quod Venema לֵאמֹר cum נְאֻם־יְהוָה jungi vult, non fert Hebraicus uſus loquendi. Plures interpretum לֵאמֹר dependere exiſtimant a verbis מָאַס יְהוָה בְּמִבְטַחַיִךְ *rejicit Jova praeſidia tua*, II, 37., hoc ſenſu: eo ipſo tempore, quo juſtam in vos ſententiam pronunciat, tamen poenitentibus receptionem offert, di-

dicendo. Duriuscule. Omnium ſimpliciſſima nobis videtur Jarchii explicatio: יש לי לומר *poſſem dicere* ſcil. ea, quae ſequuntur usque ad הָאָרֶץ הַהִיא, quae rationem continent, cur adultera repudiata a marito nunquam ſit recipienda. Quum igitur haud unus ſit illud לֵאמֹר explicandi modus; plane ſupervacanea eſt J. D. Michaelis conjectura, textum impreſſum h. l. mancum et mutilum eſſe, et ſcripſiſſe Jeremiam: וַיֹּאמֶר יְהוָה אֵלַי לֵאמֹר, aut: וַיְהִי דְּבַר יְהוָה אֵלַי לֵאמֹר. Quod vero ad commendandam hanc ſuam conjecturam addit, vaticinium quod ſequitur, a praecedente argumento differre, adeoque ſejungi, et novam inſcriptionem habere debere, nihil eſt; cf. quae ſupra initio hujus Notae obſervavimus. הֵן יְשַׁלַּח אִישׁ אֶת־אִשְׁתּוֹ *Si dimiſerit vir uxorem ſuam*, ex lege Deut. XXIV, 3. 4., quae vetat marito uxorem a ſe dimiſſam, ſi alius eam duxerit, iterum recipere. הֲלוֹא חָנוֹף תֶּחֱנַף הָאָרֶץ הַהִיא *Nonne omnino contaminaretur terra illa?* „Sed cui non mirum videri debeat, prophetam, qui tam aſſiduus et gravis eſſet in reprehendenda ſuorum levitate et perfidia, illud tamen non laudare modo, ſed adeo ex divinae legis reverentia derivare, quod qui uxorem repudiaſſet, abſtineret a novo cum eadem matrimonio ineundo? Vere enim Judaeos ab hoc more abſtinuiſſe, qui per ſe turpis videri poterat atque ignominioſus, intelligas ex ipſa ſermonis forma: qui interrogantis quum ſit, negat et pernegat graviſſime. Eſt vero potius conjunctio et confuſio ſermonis proprii figuratique, qualis, apud prophetas maxime, haud raro deprehenditur. Etenim הָאִשָּׁה imago hic eſt *populi*, הָעָם, vel *terrae*, הָאָרֶץ, quae per metonymiam pro populo, cujus ipſa ſedes eſt, uſurpatur. Itaque dum dicere debebat convenienter ad reliqui ſermonis formam, הֲלוֹא חָנוֹף תֶּחֱנַף הָאִשָּׁה הַהִיא, *omnino nefanda haberi debet ejusmodi femina*, interrupta metaphora reponit nomen הָאָרֶץ, quod proprii ſermonis eſt. Laudandus igitur Alexandrinus interpres, qui reddit: οὐ μιαινομένη μιανθήσεται ἡ γυνὴ ἐκείνη; ſequente

Vulgata: *numquid non polluta et contaminata est mulier illa?* At cave putes diversam ab edita lectionem sequutum esse interpretem, qui nonnisi id egisse censendus sit, ut intelligentiae lectorum consuleret sermone nonnihil temperando, atque ita componendo, ut totus sibi constaret." SCHNURRERUS. Concinit HIERONYMUS, qui in Commentario ad h. l. haec habet: „Quidque ait secundum LXX.: *et contaminata erit mulier illa,* pro quo in Hebraico legimus *terram,* relinquit exemplum [i. e. coeptam metaphoram], et manifestius de terra loquitur Israel, quae adulterae mulieri comparatur." וְאַתְּ זָנִית רֵעִים רַבִּים וְשׁוֹב אֵלַי נְאֻם־יְהוָה *At quamvis tu scortata sis cum sociis,* amasiis *multis, tamen redi ad me!* est *dictum Jovae.* וְשׁוֹב J. D. MICHAELIS vetat reddere: *revertere!* „Dicendum enim," ait, „feminine fuisset וְשׁוּבִי, nec placet ellipsis Verbi finiti, quam alii statuunt. Malim equidem vel reddere: *sed revertendo ad me,* id est: ita ut deinde impune ad me redieris, atque a me reciperetis; vel potius statuere, exprobrari illis, quod jam idola colant, jam ad breve tempus ad Deum hypocritice redeant, ut factum est anno duodecimo Josiae. Non statim vos idololatria pollutos recipere possum." Haec Michaelis, quibus vere reponit SCHNURRERUS: „Non est, cur dubites, וְשׁוֹב pro Imperativo accipere, etsi masculine dictum est, non feminine, וְשׁוּבִי. Masculino uti poterat propheta, quod femina, quam cogitatione fingeret, non esset nisi imago populi ipsius, neo formula ipsa, שׁוּב אֶל־יְהוָה, haberet quidquam, quod ad feminam magis pertineret, quam ad populum. Certe III, 12. שֹׁבָה masculinum junctum est cum feminino מְשֻׁבָה יִשְׂרָאֵל. Possit quoque שׁוֹב Infinitivus esse, dictus loco Imperativi, qualis est הָלוֹךְ II, 1. Sensum denique quod attinet, tantum abest, ut in verbis וְשׁוֹב אֵלַי exprobrationis quidquam sit, quod Michaelis existimat, ut sit potius ad gratiam ineundam invitatio, qua propheta innuit, mitius Deum et liberalius agere velle cum populo, quam

vir

vir ſoleat cum uxore, quae fuiſſet ab ſe repudiata.“ זָנִית רֵעִים רַבִּים Gaabius concise dictum putat pro זָנִית וְאָהַבְתְּ רֵעִים רַבִּים *ſcortata es et amaſti ſocios multos,* quemadmodum alias זָנָה אַחֲרֵי pro הָלַךְ אַחֲרֵי, et זָנָה מִתַּחַת Hos IV, 12. atque זָנָה מֵעַל Hos. IX, 1. pro *ſcortari recedendo a,* i. e. colendo deos fictos ſubtrahendo ſe jugo, obſequio Dei veri ponitur. Neque tamen opus eſt, talem ellipſin h. l. ſtatuere, quum Verbum cum nudo Accuſativo, ut hic, et Ezech. XVI, 28. (וַתִּזְנִים *et ſcortata es cum iis*) conſtruatur. Alexandrini verba illa reddunt ἐξεπόρνευσας ἐν ποιμέσι πολλοῖς, quaſi pro רֵעִים pronunciaſſent רֹעִים *paſtores.* Eodem modo vertit Syrus, et habuit a prima manu codex Regiomontanus ſecundus a Lilienthalio deſcriptus רֹעִים. „*Paſtorum* autem nomine,“ inquit J. D. Michaelis, „non hic intellexerim, ut vult Lilienthal, duces populorum; ſed puto ex amoribus paſtoralibus imaginem peti. Phyllis Meliboea cum multis paſtoribus rem habuit.“ Nos tamen, ſi רֹעִים legendum fuerit, praeferremus Lilienthalii ſententiam. Sed non dubium, רֵעִים eſſe genuinum, et *amicos, amaſios* ſignificare, ut Hos. III, 1. Senſum bene expreſſit Chaldaeus: וְאִתְחַבַּרְתְּ לְעַמְמִין סַגִּיאִין *et conjunxiſti te cum populis multis.*

2. שְׂאִי עֵינַיִךְ עַל־שְׁפָיִם *Attolle oculos tuos ad loca eminentiora.* Quemadmodum *mons* נִשְׁפֶּה a radice שָׁפָה, ܫܦܐ, سفي, *radere, polire;* eſt locus elatior et is quidem raſus, i. e. nullis arboribus conſitus: ita hic שְׁפָיִם ſunt cacumina clivorum arboribus vacua; cf. J. D. Michaelis *Supplemm.* p. 2313. Hoc loco Kimchi recte monet loca editiora intelligi, in quibus idolorum delubra eſſent; conſueviſſe enim idolorum cultores in montibus ſacra facere. וּרְאִי אֵיפֹה לֹא שֻׁגַּלְתְּ *Et vide, ubi non compreſſa fueris?* pro quo, tanquam obſcoeno, Maſorethae in margine שֻׁכַּבְתְּ *concubitum paſſa fueris,* quaſi honeſtius, legere jubent, ut Deut. XXVIII, 30. Signi-

ſicatur idolorum cultus, cui Judaei ſummopere dediti eſſent, ſcortationi et ſupra II, 20. 23. comparatus. Recte igitur Chaldaeus: חֲזַא הֵיכָא לָא אִתְחַבַּרְתְּ לֵיךְ לְמִפְלַח לְטַעֲוָתָא *et vide, ubi non te conjunxeris ad colenda idola?* עַל־דְּרָכִים יָשַׁבְתְּ לָהֶם *Ad vias ſediſti eis*, amaſiis, רֵעִים Vs. 2.; i. e. praeſtolata es, meretricum more, Genes. XXXVIII, 14. Ezech. XVI, 25. Prov. VII, 12. Chaldaeus: עַל אוֹרְחַת בֵּית מֵישְׁרֵיהוֹן אוֹרֵכְתְּ לְהוֹן *ad viam loci habitationum eorum praeſtolata es ea*, idola. כַּעֲרָבִי בַּמִּדְבָּר *Sicut Arabs in deſerto* cupide praeſtolatur iter facientes, a quibus praedam agat. Vulgatus כַּעֲרָבִי *ſicut latro* reddidit, ad quod Hieronymus haec notat: „Pro *latrone* in Hebraeo ſcriptum eſt *Arabe*, quod poteſt et Arabes ſignificare, quae gens latrociniis dedita usque hodie incurſat terminos Palaeſtinae, et deſcendentibus de Jeruſalem in Jericho obſidet vias.“ Arabes latrociniis rapinisque famoſiſſimos eſſe teſtatur Diodorus Siculus L. II. Cap. 48. *Ἔχουσι βίον ληστρικὸν, καὶ πολλὴν ὁμόρου χώραν κατατρέχοντες ληστεύουσι, ὄντες δύσμαχοι κατὰ τοὺς πολέμους.* Plinius *Hiſt. Nat.* L. VI. Cap. 28. *Mirum dictu, ex innumeris populis pars aequa in commerciis aut latrociniis agit.* Eundem eſſe hodiernum Arabum deſerta incolentium morem, teſtantur omnes, qui oras iſtas adierunt. Cf. not. noſtr. ad Iob. XXIV, 18. Alexandrinus pro כַּעֲרָבִי בַּמִּדְבָּר reddidit *ὡς κορώνη ἠρημωμένη*, *ſicut cornix deſerta.* Legit כְּעֹרֵב. Cujus verſionis ſenſum Chrysostomus in Catena ita exponit: *Τουτέστιν, ὡς μεμονωμένη, κορώνη γέγονας, παντὸς καλοῦ στερηθεῖσα. ὑπὸ πολλῶν τε ἐχθρῶν αἰχμάλωτος γενομένη, καὶ διαφόρῳ θανάτῳ ληϊζομένη, καὶ ἔτι ἀντεῖχου τῆς κακίας. Hoc eſt, ut deſolata cornix effecta es omni bono privata, multorumque captiva hoſtium dominationem paſſa, et varia morte depraedata, et tamen malitiam retinebas.* Quae ſententia quam parum totius orationis tenori accommodata ſit, non eſt, ut demonſtremus. Sym-

Symmachus in Hexaplis Syriacis ſic vertit: ܘܡܣܟܐ ܐܢܬ ܠܗܘܢ ܐܝܟ ܒܝܬ ܡܫܪܝܐ ܕܠܠܝܐ *exſpectas illos ut diverſorium nocturnum.* Retuliſſe illum עֲרָבִי ad עֶרֶב *veſpera* patet. „Hanc verſionem diligentius perpendenti in mentem venit, forte non de Arabe praedone, ſed hoſpitali, omnes praetereuntes non excipiente ſolum, ſed et invitante, h. l. ſermonem eſſe.“ J. D. Michaelis.

3. וַיִּמָּנְעוּ רְבִבִים וּמַלְקוֹשׁ לוֹא הָיָה *Et quamvis cohiberentur imbres, ſerotinaque pluvia non eſſet,* i. e. quamvis graviſſimis afflictionibus ad reſipiſcentiam revocareris a via tua mala. מַלְקוֹשׁ quum denotet *imbrem ſerotinum,* in Palaeſtina vere, ante meſſem cadentem, רְבִבִים vi oppoſitionis erunt *pluviae primae,* quae autumno poſt jactam ſementem cadunt, alias יוֹרֶה et מוֹרֶה, Deut. XI, 14. Joel. II, 23. Vid. de utraque hac pluvia not. noſtr. ad Deut. XI, 14. Mirum quantum a noſtro textu hebraeo diſcedunt Alexandrini, qui haec habent: *καὶ ἔσχες ποιμένας πολλοὺς εἰς πρόσκομμα σεαυτῇ, et habuiſti paſtores multos in offenſionem tibi,* quaſi ורעים רבים למוקש לך legiſſent. Senſum Hieronymus hunc eſſe ait: „habuit paſtores, per quos offenderet Deum, ut qui magiſtri eſſe debuerant, ut alios ab errore prohiberent, auctores impietatis exſtiterint.“ Minus commode Theodoretus *paſtoribus* idola ſignificari putat.

4. הֲלוֹא מֵעַתָּה קָרָאתִי לִי אָבִי *Nonne a nunc,* ab hoc ſaltem tempore, *patrem me vocabis?* nonne nunc demum ſaltem reſipiſcens coles me et adhaerebis mihi? מֵעַתָּה C. B. Michaelis vertit *haud ita pridem* vocaſti me patrem. „Denotat,“ inquit, „*Joſiae annum duodecimum* (cf. I, 2.), quippe quo cultus idolorum auctoritate piiſſimi regis eſt abrogatus, 2 Reg. XXII, 2. 3. 2 Paral. XXXIV, 3., ſed populo et primatibus parum ſincere hoc inſtitutum promoventibus, imo ad idololatriam paullatim relabentibus, coll. 2 Paral. XXXIV, 8—33.“ Nonne, pergit Jova, mihi nunc dices: אַלּוּף נְעֻרַי אָתָּה *amicus*

cus juventutis meae eras? quem tanquam maritum meae juventutis (ut Prov. II, 17.) amavi, cf. supra II, 1. אַלּוּף J. D. MICHAELIS recte monet h. l. non *ducem*, ut plures vertunt, sed *familiarem, socium, amasium* designare, ab أَلِفَ *consuevit*, unde أَلُوفٌ *valde familiaris*. קָרָאת est secunda Persona feminini Praeteriti, ut supra II, 20. שָׁבַרְתִּי, ad quem loc. vid. not. Sed KIMCHI habet pro prima Praeteriti Persona, quo tanquam genuino admisso, sensum hunc esse ait: nonne ab eo inde tempore, quo te per prophetas meos *filium* mihi vocavi, tu me patrem debuisses vocare? Quod tamen verba hebraea dicere vix poterunt, nisi ante אָבִי repetas קָרָאתְ לִי. Quum vero ad marginem notetur Jod vocis קראתי redundare, esse igitur secundam femineam Personam, קָרָאתְ, ea admissa Kimchi locum ita intelligendum esse ait: nonne inde ab eo tempore quo vidisti, me pluvias tibi cohibere, ad me redire meque patrem appellare debuisses, et ducem juventutis tuae? quippe qui dux tibi et educator fuissem inde a quo te eduxi ex Aegypto, et leges tibi dedi?

5. Initio hujus Versus est לֵאמֹר subaudiendum, continuantur enim verba Hebraeorum Versu praecedente inchoata. הֲיִנְטֹר לְעוֹלָם *Num retinebit* Jova scil. iram *in perpetuum?* Si resipuero eumque patrem veneratus fuero, nonne condonaturus est mea delicta? Ad verbum הֲיִנְטֹר et אִם־יִשְׁמֹר supplendum est אַף *iram*, s. נָקָם *vindictam*, ut Ps. CIII, 9. *Non in perpetuum objurgabit*, וְלֹא לְעוֹלָם יִטּוֹר *nec in aeternum servabit* iram, ad quem loc. cf. not. Sed vix, pergit vates, illa eloquuta fueras, quae spem mihi fecerant te ad me redituram esse, ad pristinum ingenium tuum malum rediisti. הִנֵּה דִבַּרְתִּי וַתַּעֲשִׂי הָרָעוֹת *En! loquuta es et fecisti mala.* JARCHI: „Dixisti: *non veniamus amplius ad Te* (supra II, 31.), atque mala perpetras, nec animum advertis, ut te convertas.“ De דִּבַּרְתִּי idem valet quod Vs. 4. de קָרָאתִי obser-

ſervavimus. וַתּוּכָל *Et praevaluiſti,* i. e. peccaſti pro virili, toto te impetu in ſcelera projeciſti. Chaldaeus: וְאַסְגֵיתְ *et multiplicaſti* ſcil. בִּישִׁין *mala,* quod praecedit. J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 1076. collato Arabico وكل in Conjug. V. et VIII. וַתּוּכָל vertit: *et confidis,* i. e. bono animo es. Quem ſignificatum tamen dialectus Hebraea ignorat. Henslerus תּוּכָל h. l. pro tertia feminina Perſona habet, per Numeri enallagen, qualis infra XLVIII, 41. LI, 56. ad הָרָעוֹת referenda, ut vertendum ſit: *et praevalent* mala. Sed quum praecedant Verba ſecundae Perſonae, וַתַּעֲשִׂי et דִּבַּרְתְּ, pronius decurret oratio, et וַתּוּכָל pro ſecunda feminina Perſona accepta. Quod ipſum me impedit, quo minus Gaabii ſententiae accedam, וַתּוּכָל pro tertia feminina Perſona Hophal verbi כּוּל, كيل, *menſurare, ponderare* habentis, hoc ſenſu: *menſuratum eſt,* i. e. peccatorum tuorum menſura completa eſt, mox poena tibi irrogabitur. Nec credibile, hanc ſententiam Hebraice una dictione וַתּוּכָל recte exprimi.

III.

Redarguit Vates populi Judaici erga Deum impietatem, et ſcelera per omnes ordines late regnantia, cohortatur ad animos moresque emendandos, ad meliora non redituris poenas promeritas irrogandas denunciat.

Cap. III, 6 — VI, 30.

A R G U M E N T U M.

A Capitis tertii Verſu ſexto usque ad finem Capitis ſexti unum continuam concionem ſeſe porrigere, arguit cum inſcriptio, hic et Cap. VII, 1. obvia, qua concionis habitae tempus notatur, tum manifeſta omnium partium inde a Cap. III, 6. usque ad finem Cap. VI. cohaerentia, et orationis tenor ſine ullo interſtitio ac novae concionis ſigno decurrens. Secus ſtatuit Eichhornius, qui (*die Hebräiſchen Propheten* T. II. p. 50 ſeqq. et p. 9 ſeqq.) quam nos unam continuam concionem judicamus in duas diſpeſcit, quarum primam, a Cap. III, 6. ad IV, 4. decurrentem, haud longe poſt reſtauratum a Joſia cultum puriorem habitam cenſet, quo tempore, expugnatâ a Scythis Mediâ, Iſraelitis exulibus illic degentibus ſpes eſſet facta in patriam terram redeundi, alteram, a Cap. IV, 5. ad VI, 30. continuatam, anno poſt priorem illam dictam autumat, Scythis in Palaeſtinam irruentibus terramque depopulantibus, quam calamitatem Judaeos ſuis ſceleribus

bus promeruiſſe vates oſtendat, nec eſſe, cur querantur ſibi non merentibus tanta mala immitti, et Jovam injuſtitiae inſimulent. Atque illa quidem de expugnata a Scythis Media eorumque in Palaeſtinam facta irruptione Eichhornii ſententia nititur eo quod Herodotus L. I. Cap. 104. narrat, Scythas, devictis Medis univerſa Aſia potitos, recta in Aegyptum contendiſſe, iis vero jam Syriam et Palaeſtinam ingreſſis Psammetichum, Aegypti regem, occurrentem, muneribus precibusque effeciſſe, ne ulterius progrederentur; Scythas vero regredientes, quum in urbem Syriae Ascalonem perveniſſent, plerisque nullo illato damno praetergreſſis, paucos aliquot Veneris Uraniae fanum ſpoliaſſe, omnium hujus Deae templorum vetuſtiſſimum. Hanc Scytharum in Palaeſtinam incurſionem Joſiae regis temporibus accidiſſe, chronographi fere conſentiunt (vid. Usserii *Annall. V. T.* p. 62. edit. Genev., Prideaux *Connex.* T. I. p. 47. vers. teuton., et J. G. Frankii *Nov. Syſt. Chronol. fundament.* p. 194. coll. p. 276.), quibus nos haud refragamur. Illos vero tantam populationem et vaſtitatem Judaeae intuliſſe, quantam Cap. IV. V. VI. a vate noſtro deſcriptam legimus, vehementer dubitamus, quum et V. T. libri hiſtorici iſtam Scytharum incurſionem plane ſileant, et Herodotus plerosque illorum revertentes nullo damno illato Palaeſtinam tranſiiſſe dicat. Praeterea non praeſentem aut nuperam terrae devaſtationem vatem deſcribere, ſed futuram comminari, univerſus orationis habitus oſtendit. Cf. IV, 11. VI, 11. 15. 21. Cum Verſu quarto Capitis quarti, quae inde a Cap. IV, 5. ſequuntur arcte cohaerent, quum quae IV, 4. denunciantur mala Judaeis immittenda, Vs. 5 ſeqq. vividis coloribus depingantur.

Sunt vero Concionis hujus ſecundae *partes* potiſſimum *duae.* In prima parte, Capite tertio comprehenſa et duobus primis Verſibus Capitis quarti, Judae adhuc ſuperſtiti in ſua terra, vates primum ob oculos ponit exemplum *Iſraelis,* ob ſua delicta a Deo repudiati et in exi-

exilium abducti, ut Juda inde disceret, quae fit fors fua futura, quum pejorem fe et minus excufandum Ifraele praeftaret (III, 6—11.). Ne vero metu et desperatione absterrerentur, ac fi penitus et in perpetuum effent abjecti Ifraelitae, fpe eos erigit in patriam tellurem redeundi, promittitque eis, fore, ut cum Judaeis in unam rempublicam reftituti, omnium bonorum abundantia fint gavifuri, dummodo vere et ex animo utrique refipuerint (III, 12 — IV, 2.). Alteram Concionis partem per Caput quartum inde a Verfu tertio et duo, quae proxime fequuntur Capita decurrentem, orditur vates gravi ad fuos adhortatione ad animum moresque emendandos, renuentibus feveriffima a Deo infligenda fupplicia denunciando (IV, 3. 4.), a barbaris faevisque hoftibus exfequenda, quorum in Judaeam irruptionem, tanquam oculis obverfantem fuis defcribit (Vs. 5—13.), addita repetita adhortatione (Vs. 14—18.). Triftiffimo, qui menti fuae obverfatur, patriae ab hoftibus devaftatae adfpectu commotus, vates in acerbas lamentationes prorumpit, Deumque de exitu calamitatis interrogans ab eo refponfum accipit (Vs. 19—22.). Tum redit ad deplorandum terrae depopulatae ftatum depingendum (Vs. 23—28.), perftringitque vanitatem fiduciae Hierofolymitanorum in diis fictitiis pofitae, eamque in acerbum luctum mutandum declarat (Vs. 29—31.). Porro commeritas delictorum poenas illos luere oftendit, fummam omnium ordinum depravationem defcribens Cap. V., intermixtis repetitis calamitatum denunciationibus, quas Cap. VI. confirmat et amplificat.

Dicta videtur haec oratio haud longe poftquam Jofias facra emendaffet, et cultum Jovanum puritati fuae reftituiffet, quum populus, quamvis necdum melior factus, fpem feliciorum temporum conciperet. Eam vero irritam fore vates hac oratione oftendit, nifi vita moribusque in melius mutatis mala fibi imminentia averterint.

Jova

Jova mihi Joſiae regis tempore ſic III, 6.
dixit: Vidiſtine quid fecerit defectrix Iſrae-
litis? Ea per omnes arduos montes, et
ſubter omnes frondoſas arbores commeans,
ibi ſcortata eſt, meque, poſtquam illa fecit 7.
omnia, ſperante, ut ad me rediret, non
rediit. Quod conſpicata eſt perfida ſoror ejus,
Judaea. Equidem vero vidi, quod quum de- 8.
fectricem Iſraelitidem propter tot ejus adul-
terii cauſas dimitterem, eique libellum divortii
darem, adeo tamen nihil metueret perfida
ſoror ejus Judaea, ut ipſa quoque meretri-
catum iverit. Levem vero illa habuit ſuam 9.
ſcortationem terramque inceſtavit, cum ſa-
xis moechata lignisque; ac ne ſic qui- 10.
dem ad me toto pectore rediit perſida
ſoror ejus, Judaea, ſed fallaciter, inquit
Jova. Habet vero, inquit Jova mihi, ju- 11.
ſtiorem cauſam defectrix Iſraelitis, quam
perfidioſa Judaea. I, et haec verba ver- 12.
ſus ſeptentriones proclama; Redi, defe-
ctrix Iſraelitis, inquit Jova, et ego non
conjiciam in vos meum vultum, quippe qui,
ut ſum clemens, inquit Jova, non perpetuo
recorder injuriae. Tantum recognoſce tuam 13.
culpam, quae a Jova, Deo tuo deſciveris,
dum ultro citroque cum peregrinis paſſim
ſub frondoſis verſaris arboribus, neque mihi
dicto audientes eſtis, inquit Jova. Redite, 14.
defectores filii, inquit Jova, quamquam ego

vos

vos rejeci, tamen ascitos vos singulos ex sin-
gulis civitatibus, et binos ex singulis natio-
15. nibus perducam in Zionem, vobisque pa-
stores ex animi mei sententia dabo, qui
16. scite vos prudenterque pascant. Ac quum
illa tempestate multiplicati foetificaveritis in
terra, inquit Jova, non jam praedicabitur
arca Jovani foederis, nec in mentem veniet,
17. nec desiderabitur, nec amplius fiet. Illo
tempore vocabitur Hierosolyma Jovae solium,
ad eamque Hierosolymam congregabuntur
gentes omnes, ad Jovae nomen, nec amplius
suae malae mentis paversitatem sequentur.
18. Per illa tempora adibit Judaea domus
Israeliticam domum, venientque simul ex
aquilonia terra in terram, quam ego ma-
19. joribus eorum haereditatem dedi. Equi-
dem cogitaveram, te sane filiorum habere
loco, tibique elegantem terram, nobilem
haereditatem, exercitus gentium dare, fore
putans, ut tu me patrem vocares tuum, nec
20. a sequendo me te averteres. Enimvero ut
fidem fallit femina amico suo, sic vos mihi
fidem fefellistis, domus Israelis, inquit Jova.
21. Vox in cacuminibus auditur, miserabilis
Israelitarum ploratus, quod mores deprava-
22. vere suos, Jovam Deum suum obliti. Re-
dite, filii defectores, ego sanabo vestras de-
23. fectiones. „Certe nos venimus ad Te, qui
sis Jova, Deus noster. Certe vana est e
col-

collibus, vana e montibus rerum abundan-
tia; certe in Jova, Deo noſtro, eſt ſalus Iſrae-
litarum. Sed turpitudo iſta jam a pueritia 24.
noſtra patrum noſtrorum conſumſit laborem,
oves, boves, filios filiasque eorum. Jace- 25.
mus in turpitudine, et obruimur ignominia,
quod adverſus Jovam, Deum noſtrum, pec-
cavimus tum nos, tum patres noſtri, a ju-
ventute noſtra usque ad hodiernum diem,
neque Jovae Deo noſtro, obtemperavimus."
Si redieris, inquit Jova, ad me, redibis; IV, 1.
et ſi tua removeris e conſpectu meo flagitia,
non vagus eris; ac viventem Jovam vere, 2.
jure, juſteque jurabis, inque eo felices ſe
praedicabunt et ſe jactabunt gentes.

Nam ſic monet Jova Judaeos homines 3.
et Hieroſolymitanos: Proſcindite vobis no-
valem, et ne in ſpinas ſeminate. Circum- 4.
cidimini Jovae, et detrahite veſtri cordis
praeputia, homines Judaei, et incolae Hiero-
ſolymae, ne egreſſa tanquam ignis mea ira
ardeat inexſtincta, propter veſtra malefacta.
Nuntiate per Judaeam, et Hieroſolymae ſi- 5.
gnificate, tubaque clangentes in terra, et
plena voce clamate, in hunc modum verba
facientes: coite, et munitas adeamus ur-
bes! Efferte ſignum Sionem verſus! Fu- 6.
gite, ne ſtate! Nam ego ingens malum et
calamitatem invecturus ſum a ſeptentrioni-
bus. Aſcendit ex ſuo dumeto leo, gen- 7.
tium-

tiumque vaſtator proficiſcitur, exiitque e
loco ſuo, ad terram tuam in vaſtitatem redi-
gendam; urbes tuae deſtruentur, ut nullus
8. ſit incola. Hanc ob cauſam accincti cen-
tones plangite, ejulantes, quod fervor ira-
9. cundiae Jovae a nobis non avertitur. At-
que eo tempore, inquit Jova, et rex prin-
cipes exanimabuntur, et ſacerdotes obſtu-
peſcent, et vates conſternabuntur.
10. At ego, ah! Domine Deus, inquam, ergo
tu huic populo et Hieroſolymis impoſuiſti,
pacem ei pollicitus, quum gladius ad ani-
11. mam pertingat. Illo tempore dicetur huic
populo et Hieroſolymitanis: ventus arens per
deſerti cacumina tendit verſus filiam populi
mei, non ad ventilandum et purgandum.
12. Ventus plenior quam ad talia mihi venit;
13. nunc ego quoque eloquar jura eis. Ecce
autem adſcendit more nubium, quadrigis
turbini ſimilibus, equis pernicioribus, quam
14. ſunt aquilae. Hei nobis, periimus! Per-
lue a pravitate tuum cor, Hieroſolyma, ut
conſerveris. Quousque manebunt in tuo
pectore detrimentoſae iſtae cogitationes?
15. Auditur enim vox nunciantis a Dane, et
ſignificantis detrimentum a monte Ephrai-
16. mitarum. Commemorate gentibus, ac ſi-
gnificate: in Hieroſolymam cuſtodes veniunt
e longinqua terra, et in urbes Judaeae cla-
17. morem edunt, eam undique, tanquam cu-
ſto-

ſtodes agri, circumdantes, quoniam in me
rebellavit, inquit Jova. Tui mores et tua 18.
facinora iſta tibi faciunt; iſta tua pravitas
adeo acerba, ut ad cor tuum permanet.
Viſcera, viſcera mea! doleo! cordis mei in- 19.
tima! Adeo mihi turbatur cor, ut tacere
nequeam, quippe quum ego ipſe tubae ſo-
nitum, belli clangorem audiam. Calami- 20.
tas ſuper calamitatem proclamatur, nam va-
ſtata eſt tota terra, meis tabernaculis ſubito,
meis velis repente vaſtatis. Quousque ſi- 21.
gna adſpiciam? quousque tubae ſonitum au-
diam? Quoniam inſipientes mei me non 22.
cognoſcunt, dementes, non prudentes filii,
ad malum ſapientes, ad bonum indocti.
Cum reſpicio in terram, en! inanis et vaſta 23.
eſt; ſi coelum, ſua caret luce. Si adſpicio 24.
iſtos montes, en! commoventur, et omnes
colles concutiuntur. Circumſpicio, nullus 25.
adeſt homo, aëriaeque volucres omnes ſunt
extorres. Video culta inculta, deſolatis 26.
omnibus eorum oppidis a Jova, et iracun-
diae ſuae fervore. Sic enim dicit Jova: 27.
vaſta erit tota terra, ſed internecionem non
faciam. Quam ob rem lugebit terra, et 28.
ſublime coelum infuſcabitur, quandoquidem
deliberatum pronuntiavi, cujus me non poe-
nitebit, nec ab eo deducar. Ad equitum 29.
ſagittariorumque ſonitum diffugit omnis ci-
vitas; eunt in nubila, ſcopulosque ſcandunt;
om-

omnia derelinquuntur oppida, nemine in iis
30. remanente. Tu vero perdita quid facies?
coccum licet induas, licet aureo te mundo
comas, licet oculos tibi oblinas fuco, fru-
ſtra te pulchram facere ſtudes, reſpuunt
amatores te, tuam vitam petentes.
31. Etenim vocem audio quaſi parturientis,
quaſi cruciatum primo parientis, vocem
puellae Zionis, anxiae, palmas extendentis:
hei mihi! exanimor ab interfectoribus.
V, 1. Percurrite Hieroſolymae vicos, et videte,
ac noſcitate, perque ejus fora perquirite, ſi
quem eſſe comperietis, qui jus faciat, ve-
rumque ſtudeat: et ego Hieroſolymae ve-
2. niam dabo. Quodſi per viventem Jovam
3. dicunt; at pejerant. O Jova, nonne ocu-
los habes ad verum intentos? Verberas eos,
neque dolent; conficis eos, et recuſant ad-
mittere correctionem, obdurataque magis,
quam ſaxum facie, ad ſanitatem redire
4. renuunt. Equidem ſic cogitabam: at hi
quidem plebeji deſipiunt, quod Jovae viam,
5. quod Dei ſui ſententiam ignorant. Ad-
grediar optimates, eosque alloquar; nam ii
Jovae viam et Dei ſui ſententiam tenent.
Ii vero et jugum fregerunt, et vincula rupe-
6. runt. Hanc ob rem caedit eos ſylveſtris
leo, vaſtat lupus agreſtis, vigilat pardus in
eorum oppida, ita ut quisquis ex iis prodeat
rapiatur, quoniam tot ſunt eorum peccata,
et

et tanta eorum perverſitas. Poſſumne tibi 7.
iſtud ignoſcere? tui nati, relicto me, per
non-deos jurant, et a me ſatiati adulterant;
inque lupanar turmatim conveniunt. Equi 8.
ſunt ſaginati, ultro citroque vagantes, alii
in aliorum uxores adhinnientes. In iſtane 9.
ut ego non animadvertam? inquit Jova. Aut
ab iſtiusmodi gente ultionem non ſumam?
Scandite muros ejus et vaſtate, ſic tamen, ut 10.
ad internecionem non agatis: detrahite ejus
palmites, quia Jovae non ſunt. Nam mihi 11.
fidem fregerunt Iſraelitae, Judaeaque domus,
inquit Jova. Jovam abnegant, eumque 12.
eſſe, aut ſibi malum eventurum, aut ſe gla-
dium famemve viſuros, negant. Vates au- 13.
tem ventoſi ſunt, nec eſt eorum quisquam,
qui quid ſit eis futurum antea denuntiet.
Itaque ſic dicit Jova, agminum Deus; quo- 14.
niam vos iſtam rem dicitis, en! ego faciam,
ut verba mea ſint ignis in ore tuo, et illi
ligna, quae conſumat. En! ego procul in 15.
vos gentem adducam, domus Iſraelis, inquit
Jova, quae gens valida, quae gens antiqua
eſt, cujus tu gentis linguam ignorabis, ne-
que quid dicat intelliges; cujus pharetra 16.
ſimilis eſt patenti ſepulchro, fortes omnes.
Ea comedet tuam meſſem atque victum, 17.
comedet tuos filios et filias, comedet tuas
oves et boves, comedet tuas vites et ficus,
exſcindetque ferro tuas urbes munitas, qui-

18. bus tu confidis. Quamquam ne tum qui-
dem vos, inquit Jova, ad internecionem
19. delebo. Quodsi quaesieritis, quam ob cau-
sam fecerit ista omnia Jova Deus vester,
dices eis: quemadmodum relicto me diis
serviviſtis alienis in terra vestra, sic peregri-
20. nis servietis in terra non vestra. Nuntiate
hoc in domo Jacobi, et in Judaea significate
21. his verbis: Audite hoc, o insani et excor-
des homines, qui oculos habetis, nec cer-
22. nitis, et aures habetis, nec auditis. Nonne
me timebitis, inquit Jova, et meum con-
spectum tremetis? qui mari fines arenam
posui, quem aeternum terminum non trans-
eat, nec eum possint, quamvis turbati agi-
23. tentur fluctus, superare. At homines hi de-
genere contumacique mente praediti dege-
24. neres abeunt, nec ita suis in animis cogi-
tant: metuamus Deum nostrum, qui et pri-
mores et posteriores suo tempore dat im-
bres, qui nobis statos messis hebdomadas
25. custodit. Has res avertunt vestra vitia,
26. vestraque delicta vos privant bonis. Inve-
niuntur enim in populo meo impii, qui
quasi positis decipulis insidientur, exciden-
27. tes foveas, quibus capiantur homines. Ut
cavea avibus, sic eorum domus refertae sunt
28. fraudibus; ideo crescunt et ditescunt. Ac
quanto magis pinguescunt nitescuntque, tan-
to magis in improbitate progrediuntur, cau-

sam

ſam non judicant, cauſam, inquam, pupilli,
quum tamen proſpere habeant, neque pau-
perum cauſam agunt. In iſtane ut ego non 29.
animadvertam? inquit Jova, aut ab iſtius-
modi gente poenas non repetam? Stu- 30.
penda horrendaque fiunt in hac terra: va- 31.
tes false vaticinantur, et ſacerdotes juxta
eos dominantur, et populus meus id fieri
amat. Quid demum poſthac facietis?

Fugite, Benjaminitae, ex media Hiero- VI, 1.
ſolyma, Thecoae tuba clangite, atque ad
Bethcharam efferte ſignum! Nam ingens
malum e ſeptentrionibus et calamitas in-
gruit. Specioſam et delicatam exſcindam 2.
puellam Sionem. Ad quam venient cum 3.
ſuis paſtores gregibus, et ad eam per cir-
cuitum figent ſua tabernacula, et ſuum
quisque locum depaſcent. „Indicite ei bel- 4.
lum! Agite, aſcendamus meridie. Hei no-
bis! quod inclinante die veſpertinae vergunt
umbrae. Agite, aſcendamus vel noctu, et 5.
ejus evertamus palatia." Sic enim dicit Jova, 6.
agminum Deus: ſecate ligna, et jacite agge-
rem contra Hieroſolymam, urbs eſt punienda,
tota injuriis referta. Ut puteus aqua ſca- 7.
turit, ſic iſta pravitatem ebullit: crudelitas
et pernicies auditur in ea coram me aſſidue,
cruciatus et verberatio. Emendare, Hiero- 8.
ſolyma, ne ego animo a te alienato in
eam ſolitudinem te redigam, ut terra ſis in-

9. culta. Sic dicit Jova, agminum Deus: ra-
cemabuntur tanquam vites, reliquiae Ifrae-
litarum. Refer manum tuam, ceu vinde-
10. miator in qualos. Ecquos alloquar mo-
neamve, ut audiant? Quum aures habentes
praeputiatas; attendere nequeant, quum Jo-
vae dicta probro habentes, non delectentur
11. iis. Ergo Jovae ira tam plenus ego fum,
aegre ut me contineam, quin ea pariter
infantesque vicatim, invenumque concilium
perfundam. Nam viri juxta et feminae, fe-
12. nes ac aevo pleni capientur. Transferen-
turque eorum et domus, et agri et uxores
ad alios, quum eo manum incolis adferam,
13. inquit Jova. Nam parvi juxta ac magni
omnes avari funt; vates aeque ac facerdotes
14. omnes agunt nefarie, leviterque fanant po-
puli mei calamitatem pax! pax! dictitantes,
15. quum non fit pax. Pudore adficientur,
qui quum fcelerate faciant, non pudet eos
tamen, nec verecundari fciunt: itaque ca-
dent inter cadentes; quo tempore animad-
16. vertam in eos, labentur, inquit Jova. Sic
dicit Jova: ftate per vias, et antiquas videte
et quaerite femitas, ubinam bona via fit,
eamque ingredimini, et requietem animis
veftris invenietis. Illi vero, „non ingredie-
17. mur," inquiunt. Ergo ftatuam vobis fpe-
culatores: attendite tubae fonitum; „Non
18. attendemus," inquiunt. Igitur audite gen-
tes,

tes, et cognofce, quae in eis es, multitudo.
Audi terra, ego malum fum importaturus in 19.
hos homines, quale eorum cogitationibus
dignum eft, qui meis dictis non attenderint,
meamque repudiaverint legem. Quorfum 20.
mihi tandem thus adferatis ex Saba? aut
praeftabilem calamum ex longinqua terra?
Non litant hoftiae veftrae, non accepta mihi
funt veftra facrificia. Itaque fic dicit Jova: 21.
ego ifti populo opponam impedimenta, in
quae parentes fimul et liberi incurrant, vi-
cinique et eorum propinqui pereant. Sic 22.
dicit Jova: venturus eft ex aquilonis terra
populus, et gens magna e terrae lateribus
excienda, qui arcus lanceasque teneant, 23.
crudeles et immifericordes, voce ftrepentes
ut mare, equis infidentes, in pugnam viri-
liter inftructi, contra te, filia Zion! Eorum 24.
audita fama remittuntur manus noftrae, an-
gore corripimur et cruciatu, qualis eft par-
turientis. Ne exite rus, neve iter facite, 25.
nam hoftilis gladius et terror circumfidet.
O filia mei populi, amicire cilicio, provolve 26.
te in pulvere, et perinde ac fi luctu funga-
ris unici filii, fic acerbe moere, quoniam
ex improvifo vaftator invadet nos. Explo- 27.
ratorem ego te ftatui in meo populo muni-
tum, qui eorum mores rocognofcas et explo-
res. Omnes degeneres deflectunt, verfan- 28.
tes in calumniis, aenei ferreique, omnes de-

pra-

29. pravati ſunt. Anhelat follis, igne conſumi-
tur plumbum; fruſtra conflat conflator, quum
30. mali non excernantur. Argentum repro-
batum vocantur, quippe quos Jova reprobet.

N O T A E.

Cap. III, 6. מְשֻׁבָה, quod infra Vs. 8. 11. 12. recurrit, proprie *averſionem* denotans, Jarchi recte ait pro שׁוֹבֵבָה *averſam*, ſcil. a Deo, poni, et pertinaciter monitionibus renuentem deſignare; cf. שׁוֹבָבִים infra Vs. 14. 22. Non erat, cur J. D. Michaelis מְשֻׁבָה pro mero arbitrio *averſam* verti pronunciarit, et מָשְׁבָה legendum exiſtimarit, a שָׁבָה, ut ſignificetur *captiva,* jam ab hoſtibus in ſervitutem redacta, et a Deo punita. Sed forma Hophal verbi שָׁבָה, cujus Participium מָשְׁבָה eſſet, non videtur in uſu fuiſſe. Alexandrini reddunt *κατοικία*, quo Hebraeum מוֹשָׁב exprimere ſolent. Theodoretus illud h. l. exponit *ὁμοῦ πάντες, οὐχ εἷς, οὐ δεύτερος.* יִשְׂרָאֵל hic vocantur decem tribus: ſequitur enim Vs. 7. nomen oppoſitum יְהוּדָה, i. e. tribus Juda et Benjamin. הֹלְכָה הִיא *Iens ipſa* erat, fuevit ire. „Quum ea eſſet adhuc in terra ſua, priusquam deportaretur tempore Hiskiae una cum (rege) Hosea, filio Elae.“ Jarchi. עַל־כָּל־הַר גְּבֹהָה וגו׳ vid. ſupra II, 20. et ad eum loc. not. ſupra p. 97. וַתִּזְנִי שָׁם *Et ſcortata eſt ibi.* „וַתִּזְנִי noli pro ſecunda perſona habere, ſed pro tertia, He in Jod redeunte, ut in תַּמְחִי infra XVIII, 23.“ J. D. Michaelis. Ita et Kimchi. Sed magis probandus Jarchi, qui vult, Jod eſſe paragogicum, adjectivum formae defectae (וַתִּזֶן, ob praefixum Vav converſivum).

7. וָאֹמַר *Et dicebam*, „per prophetas meos, Amosum, et Hoseam, filium Beeri, ceterosque prophetas, אֵלַי תָּשׁוּב *ad me revertere.*“ Jarchi. Sed J. D. Michaelis monet eſſe וָאֹמַר *dicebam*, ſcil. apud me, i. e. ſperavi. „Non

„Non eſt alloquutio ad Iſraelitas, ſed ſpes animo concepta, quod enim ſequitur, תָּשׁוּב, per leges grammaticas nequit verti *revertere;* ſed ut tertia perſona generis feminini, *revertatur.*“ Ita et Chaldaeus: לְפֻלְחָנִי יְתוּבוּן *ad cultum meum revertentur.* Ceterum JARCHI obſervat, quod Vates *ſororem* Iſraelis, *Judam*, appellat בָּגוֹדָה *perfidam*, gravius involvere crimen, quam quod Iſraelem vocat מְשֻׁבָה *averſam.* „*Sorores* propter unam eandemque ſtirpem, unde uterque populus fuit, et arctam ad ſe invicem relationem appellantur. Utraque fuit *adultera*, propter idololatriam et foederis violationem; ſed Iſrael vocatur uxor *averſa*, Juda vero *perfida*, quia Iſrael non tantum religionis, ſed et regni et civitatis reſpectu, adeoque palam, erat a Deo alienata, Juda vero Deo, et ſedi regni ac religionis adfixa, ſed nihilominus a Deo et cultu eos defecerat, et ſub externa ſpecie populi Dei foedus ejus fregerat, quo ipſo gravius peccaverat.“ VENEMA.

8. „Moleſta interpretibus eſt vox וָאֵרֶא *et vidi.* Quid enim quaeſo hoc: *at vidi* ego Jova, *quod* ipſe *ob violatam fidem dimiſerim perfidam Iſrael?* Qui ſe ſponte atque conſilio perſeciſſe aliquid affirmat, num putandus eſt dicere, quod et ipſe viderit, id a ſe factum eſſe? Sunt quidem, qui וָאֵרֶא praecedenti commati adjungant, vertentes: *idque et ego vidi*, atque ad animum revocavi; vel: *vidi* et ipſe indignabundus: at talem vim verbi רָאָה ſeorſim poſiti ex ipſo uſu quis demonſtraverit? Nec quae ab aliis ſumitur lectio וַתֵּרֶא ſatisfacit: nam quod in Syriaca verſione exſtat ܘܚܙܬ *et vidit ipſa*, non magis efficere poteſt iſtam lectionem, quam Vulgatae, quae nihil habet, quod reſpondeat, auctoritas evincit, vere a textu hebraico abfuiſſe vocabulum, quod tamen videas ab Alexandrino et Chaldaeo expreſſe redditum. Nequaquam tamen omne Verbum abeſſe poteſt ab initio Verſus 8., niſi quae praecedunt verba וַתִּרְאֶה בָּגוֹדָה אֲחוֹתָהּ יְהוּדָה

יְהוּדָה a feptimo dicas avellenda esse, atque ad octavum referenda, quod vix feceris falvo et illaefo fenfu orationis praecedentis, qui fane hic eft: minime ignaram fuiffe perfidam gentem Judam, quam graviter a Deo monita fit gens Ifrael. Nihil igitur videmus reliqui, nifi hoc, ut mutatis vocalibus ftatuamus וָאֵרֶא, fupplendo ex proxime antecedentibus אוֹתָהּ. Poftquam dixiffet Jova, vidiffe Judaeos fuum in Ifraelitis emendandis ftudium, fubjicit, fe deinceps aliam inftruxiffe fcenam, atque etiam hoc fpectandum exhibuiffe Judaeis, ut repudiaret Ifraelitas ob morum pravitatem." Schnurrer. Elegantem Schnurreri conjecturam probavit Henslerus et in verfione fua fequutus eft Eichhornius. Nobis tamen receptum וָאֵרֶא non mutandum videtur, modo jungatur utrumque Verfus hemiftichium hoc fenfu: vidi, quod quum adulteram Ifraelitidem dimiferim, tamen non timeret ejus perfida foror Juda. סֵפֶר כְּרִיתֻת conftat notare *libellum repudii, βιβλίον ἀποστασίου,* Matth. XXIX, 7., quo maritus uxorem a fe dimiffam, nec amplius conjugii vinculo fibi junctam declarabat, ex lege Deut. XXIV, 1. 3. — וַתֵּלֶךְ *Abiitque* Schmidius recte obfervat non tam effe initii, quam progreffus, pro *porro ire, pergere.*

9. Prius hujus Verfus hemiftichium, וְהָיָה מִקֹּל זְנוּתָהּ וַתֶּחֱנַף אֶת־הָאָרֶץ, interpretum plures fic reddunt: *factumque eft propter vocem fcortationis ejus*, i. e. famofiffimam fuam fcortationem, *ut pollueret terram.* Quod Schnurrerus ita explicat: ut vero dimitterem eam, Ifraelitidem, effecit clamor fcortationis ejus, profanaverat enim terram, moechata cum lapide et ligno. Cui interpretationi non obftat quidem quod ei oppofuit J. D. Michaelis, *rumorem fcortationis* hebraice potius זַעֲקַת זְנוּתָהּ dici (coll. Genes. XVIII, 20.), quam קוֹל זְנוּתָהּ, quum, ut Schnurrerus monuit, et hoc non minus recte, quam זַעֲקַת זְנוּתָהּ pro *fama fcortationis* dici poffit, cf. Genes. IV, 10. Sed minus commoda eft haec fententia, fama fcortationis pollui terram. Nec quod Schnurrerus verba

וְהָיָה

וְהָיָה מִקֹּל זְנוּתָהּ a שִׁלַּחְתִּיהָ in Verſu ſuperiore pendere, et Pronomen ſuſſixum vocis זְנוּתָהּ ad Iſraelitidem referendum ait, probare poſſumus. Nam quum proxime, hemiſtichio altero Verſus praecedentis, vates de Juda loquutus eſſet, parum apte hic ad Iſraelem rediret. Veriſſime Leistius: „Diſplicet mihi haec interpretatio, quoniam ipſa vatem nono verſiculo idem ſatis languide repetere facit, quod ejus, qui proxime antecedit, hemiſtichio priori, modo dixerat." Sed non debebant interpretes praetermittere notam Maſorethicam voci מִקֹּל appoſitam, quae talis eſt: לית חסר בקלילותא *nusquam alias exſtat defective ſcriptum, in ſignificatione levitatis.* Eſt igitur קֹל, recte notante Kimchio, ad radicem קָלַל *levis fuit* referendum, formae nominum תֹּם, עֹז, חֹם. Neque id fugit veteres interpretes, quorum nullus *vocis* ſignificatum h. l. expreſſit. Alexandrinus hebraea ſic reddidit: *καὶ ἐγένετο εἰς οὐθὲν ἡ πορνεία αὐτῆς, et facta eſt in nihilum,* quaſi pro re levi, pro nihilo, habita eſt *fornicatio ejus.* Hieronymus: *et facilitate fornicationis ejus contaminavit terram.* Chaldaeus: מִדְקַלִּילָא בְעֵינַהָא טַעֲוָתַהָא *propterea quod leves erant in oculis ejus ſcortationes ejus.* Syrus: ܡܛܠ ܕܨܚܝܢܐ ܗܘܬ ܙܢܝܘܬܗ *quod turpiſſima eſſet ſcortatio.* Et hunc interpretem patet קֹל retuliſſe ad radicem קָלַל, quae et *vilem, contemtum* eſſe denotat. Recte praeeuntibus illis interpretibus hunc locum expoſuit Leistius: *Leve quid* nulliusque momenti, ideoque nec Deo tantopere indignandum, ipſi, ſcil. Judae, *videbatur ſtuprum quod committebat.* „Quod ad orationis," addit, „ſeriem attinet, bene ipſi accommodata eſt haec ſententia. Dixerat enim antea propheta, moneri debuiſſe Judaeos Iſraelitici regni exitio, ut ne eadem ſcelera, quae id quidem in tantas calamitates, quin ipſam hoſtium poteſtatem detruſerint, committerent; atque nunc ita pergit, ut triſti hoc exemplo ne minime quidem commotos, quanta demum ido-

idolorum cultum insequantur mala, numquam plane perpendere, sed leviorem facileque a Jova condonandum eundem putare populares suos queratur. Neque ab usu loquendi Hebraico abhorret haec interpretatio. Saepius enim הָיָה, quemadmodum in aliis linguis Verbum substantivum, significat *haberi, reputari, videri*, vid. 1 Reg. I, 21. Ps. LXXXI, 10. Prov. III, 7. Quod voci קֹל praefigitur מ hic redundat, uti simillimo loco Ezech. XVI, 20., ubi vates, exprobrata Judaeorum iniquitate, qua eadem quae a Jova acceperint, fictis numinibus sacraverint, iisque suos adeo liberos, quos Jovae acceptos referre debuerint, immolarint, addit: הַמְעַט מִתַּזְנוּתָיִךְ, num forte leve est facileque ignoscendum putasti, si Jovae fidem fallens fictos deos sectareris?" Cf. not. nostr. ad eum loc. Dathius hunc Versum cum proximo conjungit hoc modo: *Et quamquam famosa ista sua scortatione terram contaminasset* Juda, *cum lapidibus et lignis moechata, ne sic quidem ad me rediit animo sincero.* In qua tamen interpretatione Schnurrerus vere ait partium convenientiam prorsus desiderari. „Possitne in eo, quod jam effrenata esset, modumque omnem excederet libido hominum, causa poni et ratio, quae ipsa movere illos deberet ad Deum verum non colendum modo, sed et unice et ex animo colendum? Sed multo magis improbandus est J. D. Michaelis, qui, מִקֹּל mutato in מַקֵּל, vertit: *baculus est scortatio ejus*, i. e. cum baculo divinatorio, sacris sortibus, scortatur, collato Hoseae loco IV, 12. *Populus meus lignum consulit,* וּמַקְלוֹ יַגִּיד לוֹ *et baculus suus annunciat ei*, quid agendum, quid omittendum sit. Postremo Versus membro, וַתִּנְאַף אֶת־הָאֶבֶן וְאֶת־הָעֵץ *moechata fuit cum lapide et ligno*, non dubium est adorationem simulacrorum lapideorum et ligneorum significari, quae et supra II, 27. Judaeis exprobratur. Quod J. D. Michaelis idololatriam his verbis comparari ait libidini in praeternaturalem insaniam

ver-

verſae frictionibus lapidum et lignorum defectum Veneris ſupplenti, vati in mente fuiſſe valde dubitamus.

10. וְגַם־בְּכָל־זֹאת *Et etiam in omni hoc* recte Jarchi exponit: שראו בקלקלה פורענות חבריהם *dum viderunt in perverſitate* ſua *poenam ſociorum ſuorum*, Iſraelitarum. Quod vates Judam ait non rediiſſe ad Deum בְּכָל־לִבָּהּ כִּי אִם־בְּשֶׁקֶר *non toto corde, ſed falſo*, ſ. *fallaciter*, Jarchi vere obſervat illud ſpectare, quod tempore Joſiae, poſt purgata a pio rege ſacra, anno XVIII ſui regni, multi Judaeorum ſe ſimulaverint ſe eſſe pios, quum tamen improbi eſſent.

11. צִדְּקָה נַפְשָׁהּ מְשֻׁבָה יִשְׂרָאֵל מִבֹּגֵדָה יְהוּדָה *Juſtam fecit animam ſuam*, i. e. ſe ipſam *defectrix Iſraelitis prae perfida Juda*, minus rea comparet Iſraelitis quam Juda, non tantis poenis digna; rationem addit Jarchi, שלא היה לה ממי ללמוד *quod illa non habebat* exemplum *a quo disceret*, et cautior fieret, ſicut Juda exemplum habuit in poena Iſraelitarum.

12. Infinitivus הָלֹךְ pro Imperativo poſitus, uti ſupra II, 2. Jubetur vates proclamare, צָפֹנָה *ſeptentrionem verſus*, Mediam et Aſſyriam intelligit, aliasque aquilonares provincias, in quas X tribuum homines a Tiglatpileſero et Salmanaſſare deportati fuerant. שׁוּבָה *Redi* ſcil. ad me Deum veſtrum agnoſcendum et colendum. „Maſculinum poſitum eſt, ubi femininum proprie ponendum fuiſſet. Poteſt tamen haec generis permutatio per conſtructionem ad ſenſum excuſari, quod *populum*, qui generis eſt maſculini, alloquitur Deus." J. D. Michaelis. לוֹא־אַפִּיל פָּנַי בָּכֶם *Non demittere faciam vultum meum in vos*, i. e. non amplius vobis iraſcar; nam triſtem et auſterum irati et minitabundi vultum indicat haec formula; cf. Genes. IV, 5. 6. Iob. XXIX, 24. Vel, ut vult Kimchi, פָּנַי ponitur pro כַּעֲסִי *ira mea*, quod ira ſe in vultu prodit, ut Levit. XVII, 10. נָתַתִּי פָּנַי בַּנֶּפֶשׁ *ponam faciam in animam* quae rel., ad quem loc. cf. not. Chaldaeus: *cum enim converſi fueritis, non im-*

mit-

mittam furorem meum in vos. לֹא אֶטּוֹר *Non ſervo* ſcil. iram meam; cf. not. ſupra ad Vs. 5.

13. אַךְ דְּעִי עֲוֹנֵךְ *Modo agnoſcas culpam tuam.* „Priusquam te reducam ad me, neceſſe eſt, ut culpam tuam agnoſcas, et perpendas, cur ego te in alias terras deportari ſiverim, quod videlicet a Jova, Deo tuo, deſciveris; quod quum agnoveris, tu ad me redibis, et ego ad te redibo.“ Kimchi. וַתְּפַזְּרִי אֶת־דְּרָכַיִךְ לַזָּרִים *Et diſperſiſti vias tuas peregrinis,* ſ. *ad peregrinos,* huc illuc obambulaſti ad amatores quaerendos. Chaldaeus: אִתְחַבַּרְתְּ לְעַמְמַיָּא פָּלְחֵי טַעֲוָתָא *ſociaſti te populis colentibus idola.* Sed recte J. D. Michaelis. „Non peregrini populi h. l. intelliguntur, ſed peregrini Dei, ob id quod ſequitur, *ſub omni arbore viridi;* ſub his enim idololatria exercebatur.“ Concinit Kimchi: „Non unum peregrinum Deum coluiſti, ſed plures, ut ſupra II, 28. dixit: *Quot oppida, tot habes Deos.*“

14. שׁוֹבָבִים *Averſi,* qui ab aliquo vocati alio ſe convertunt, immorigeri, ut Jeſaj. LVII, 17. infra XXXI, 22. Verba כִּי אָנֹכִי בָּעַלְתִּי בָכֶם ex mente Jarchii ita ſunt vertenda: *nam ego conjugio junctus ſum vobis,* aut: *dominus veſter ſum* (quum maritus Hebraeis idem ſit dominus uxoris). Ita enim ille exponit: „Vosque nomine meo vocati eſtis; quoniam ego vobis ſum dominus, nec honore mihi erit, vos in manu inimicorum meorum relinquere.“ In hunc ſenſum et Alexandrini: *κατακυριεύσω ὑμῶν.* Vulgatus: *quia ego vir veſter.* Blandius Chaldaeus et Syrus: אִתְרְעֵיתִי בְּכוֹן *delector vobis.* Sed obſervavit jam Josephus Kimchi, referente filio, conſtrui hic et infra XXXI, 32. verbum בָּעַל cum בְּ, quum alias vel cum Accuſativo conſtruatur, ut ubi *maritandi* ſignificatum habet, Jeſaj. LXII, vel cum לְ, ubi *dominandi,* ut 1 Chron. IV, 22. Quare, quum conſonum Arabicum بَعَلَ cum بِ conſtructum idem ſignificet quod cognatum

He-

Hebraeum בָּחַל cum ב constructum (literis unius organi ע et ח permutatis), *fastidire aliquid* (Zachar. XI, 8.), et بعل الرجل بالمرأة denotet קץ בה וגרשה *fastidit vir mulierem eamque expellit*, verba nostra ita exponit: קצתי בכם בזמן שעבר אך עתה אקבץ אתכם *ego fastidivi vos*, *eo* scilicet *quod praeteriit tempore*, *at jam colligam vos*. Quam interpretationem commendavit et stabilivit Ed. Pocockius in *Notis Miscell.* ad Maimonidis Portam Mosis a se editam, p. 6 sqq., ubi ostendit et alios Hebraeorum praeter Josephum Kimchi, eodem modo utrumque locum, et hunc et infra XXXI, 32., interpretatos esse. Et jam longe antea Hebraeos fuisse, qui verba haec ita interpretarentur, inde patet, quod auctor Epistolae ad Hebraeos locum Jeremiae XXXI, 32. adducens, pro וְאָנֹכִי בָּעַלְתִּי בָם ponit: *κἀγὼ ἠμέλησα αὐτῶν*, *et ego neglexi eos.* Quibus argumentis Schnurrerus addit, grammaticam quoque rationem subesse, quae *mariti* significationem arceat ab hoc loco. „Etenim בָּעַלְתִּי, Praeteritum, non potest, nisi posthabito sermonis usu, de ea re intelligi, quae adhuc futura esset. Sequitur, alteram omnino, *fastidiendi*, *rejiciendi* significationem hic esse adhibendam. At, inquies, quae sequuntur, verba וְלָקַחְתִּי, וְהֵבֵאתִי, נָתַתִּי, de rebus futuris accipienda sunt. Ita omnino est. Sed Futuri sensum haec habent propterea, quod sint copulà Vav conjuncta cum praecedente Imperativo שׁוּבוּ, qui non potest non futurum tempus includere. At בָּעַלְתִּי non habet praefixum Vav, quo connectatur cum Verbo futuri temporis. Si nostro dicendum erat: revertimini, iterum maritus vester ero; debebat sic eloqui: שׁוּבוּ וּבָעַלְתִּי, veluti 2 Sam. XIX, 34. אַתָּה עֲבֹר אִתִּי וְכִלְכַּלְתִּי אֹתְךָ *veni mecum, et sustentabo te.* Nec Dathius, quanquam universum sensum bene reddidit, his verbis: *revertimini, peccatores, inquit Jova. Quanquam enim vos cum fastidio rejecerim, tamen vos omnes, singulos adeo ex singulis urbibus aut genti-*

tibus Sionem reducam, diligenter ſervavit uſum ſermonis hebraici, ad verbum בָּעַלְתִּי, quod et ipſi verum Praeteritum eſt, referens verba לְקַחְתִּי, הֲבֵאתִי, quae ut Futura verteret. Proprie locus conſtruendus eſt ſic: *redite filii averſi, quanquam ego vos rejeci, et ſumam,* rel.“ וְלָקַחְתִּי אֶתְכֶם אֶחָד מֵעִיר וּשְׁנַיִם מִמִּשְׁפָּחָה *Et ſumam vos, unum ex civitate, et duos e populo,* i. e. recte exponente Kimchio, etiamſi in aliqua urbe ant gente unus tantum aut duo fuerint Iſraelitae, etiam illorum non obliviſcar, ſed reducendis aggregabo. מִשְׁפָּחָה hic *populum* ſignificare obſervat, ut ſupra I, 15., ad quem loc. cf. not.

15. וְנָתַתִּי לָכֶם רֹעִים כְּלִבִּי *Et dabo vobis paſtores ſecundum cor meum,* i. e. moderatores mihi gratos et acceptos, non quales reges Iſraelis et Judae fuerunt, qui vos ad idolorum cultum ſeduxerunt. וְרָעוּ אֶתְכֶם דֵּעָה *Et paſcent vos cognitione,* i. e. prudenter. Nomen ponitur adverbialiter, ut alias ſaepe, vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 687. 5.

16. Reverſis Hebraeis in patriam tellurem, eaque magna hominum frequentia florente, futurum eſſe ait, ut לֹא־יֹאמְרוּ עוֹד אֲרוֹן בְּרִית יְהוָה וְלֹא יַעֲלֶה עַל־לֵב *non amplius praedicent arcam foederis Jova, nec* ea illis *in mentem veniat,* quorum verborum ſenſum J. D. Michaelis hunc eſſe ait: „carebit templum ſecundum arca foederis, nec ea opus erit, nec deſiderabit eam quisquam (וְלֹא יִפָּקֵד, quod ſequitur), ſenescente jam, et ad interitum vergente religione Moſaica, ut majora et diviniora ſuccedant beneficia.“ Sed rectius vatis mentem aſſequutum fuiſſe arbitor Abendanam, qui in ſuis ad Commentarium *Michlal Jophi* dictum annotatis dicit, hujus Verſus ſenſum pandere eum qui proxime ſequitur, ubi Hieroſolymam thronum Jovae vocatum iri praedicit vates. Eum igitur hoc dicere, non ſolum adytum Templi ſanctum fore, ſed totam urbem Hieroſolymitanam pro loco ſancto habitum iri. Ita et Jarchi: *„Non praedicabitur am-*

amplius arca, nam totus coetus vester erit sanctus, et in eo habitabo, ac si ipse esset arca foederis." In altero hemistichio וְלֹא יִפְקְדוּ verti potest vel: *nec invisent eam*, vel, *nec desiderabunt* eam; utrumque enim admittit usus loquendi Hebraicus. Postrema Versus verba, וְלֹא יֵעָשֶׂה עוֹד, simplicissime ita capiuntur: *non fiet amplius* scil. arca, non restituetur. Sed Jarchi ita exponit: *non fiet amplius* scil. id quod antea factum est, ut arca foederis in bellum educatur, uti factum in bello cum Philisthaeis, cum arca adhuc Silunte commorabatur, 1 Sam. IV, 11. seqq. Solebat enim arca in castra adferri spe praesentioris praesidii, uti non tantum ex adducto a Jarchio libri primi Samuelis loco patet, verum et ex aliis locis, veluti Jos III, 3. 6. 11. IV, 7. VI, 8. 13. Quam interpretationem praeivit Chaldaeus, qui verba וְלֹא יֵעָשֶׂה עוֹד sic explicat: וְלָא יְזוּעוּן וְלָא יְגִיחוּן בַּיהּ עוֹד קְרָבָא *nec commovebuntur, nec inibunt cum ea bellum.* Quo adscito Kimchi totum Versum hoc dicere ait: quantumvis hominibus abundent, et res suae floreant, non tamen aliae gentes invidiâ in eos accensi bello eos adorientur, nec opus erit deferre arcam in proelium, neque recordabuntur amplius ejus ad eum usum. Sed merito Abendana hanc interpretationem, ut minus convenientem, improbat.

17. Illo tempore Hierosolyma vocabitur כִּסֵּא יְהוָה *thronus Dei.* „Non arca erit solium Dei, sed tota Hierosolyma, in adyti morem sancta, et Numinis plena; ut Ezech. XLVIII, 35. וְשֵׁם הָעִיר מִיּוֹם יְהוָה שָׁמָּה *et nomen urbis illius*, instauratae Hierosolymae, erit: *Jova ibi* habitat." J. D. Michaelis. Cf, Joel. IV, 20. Chaldaeus: *Tunc vocabunt Hierosolymam* אֲתַר בֵּית שְׁכִינְתָּא דַיְיָ וְיִתְכַּנְּשׁוּן לְמִפְלַח בַּהּ כָּל עַמְמַיָּא לִשְׁמָא דַיְיָ *locum domus praesentiae Dei, et confluent ut serviant in ea omnes populi nomini Jovae.* Cf. Jesaj. II, 2. — וְלֹא־יֵלְכוּ עוֹד אַחֲרֵי שְׁרִרוּת לִבָּם הָרָע *Nec ibunt amplius*, neque Hebraei, neque aliae gentes, quae Hierosolymam confluent, *secundum obfirmationem* s. *malitiam cordis sui mali.* שְׁרִרוּת

Jar-

JARCHI ad h. l. et ad Deut. XXIX, 18. exponit *quod alicui videtur*, radici שָׁרַר significationem cognatae שׁוּר *videre* tribuens, ut שְׁרִרוּת לֵב sit *quod animo* placet, libido. Ita Alexandrini: ὀπίσω τῶν ἐνθυμημάτων τῆς καρδίας. Chaldaeus: בָּתַר הִרְהוּר לִבְּהוֹן *post cogitationem animorum suorum*. Syrus: ܒܬܪ ܨܒܝܢܐ ܕܠܒܗܘܢ *post voluntates animi sui*. Rectius MOSES BEN NACHMAN ad Deut. XXIX, 18. explicat התאוה גוברת ומתחזקת בלב *cupiditatem praevalentem et sese obfirmantem in corde*, ut in formula illa in contractibus signandis solenni שְׁרִיר וְקַיָּם *firmum et stabile* esto, et coll. Iob. XL, 16. שְׁרִירֵי בִטְנוֹ *firmitates ventris sui*. Hinc שְׁרִרוּת erit *obfirmatio, obstinatio, contumacia*. Possit tamen conferri Arabicum شَرَّ *malus fuit*, unde شَرَارَة *malitia*. Ita Hieronymus: *post pravitatem cordis sui*.

18. יֵלְכוּ בֵית־יְהוּדָה עַל־בֵּית יִשְׂרָאֵל *Ibunt domus Juda una cum* (עַל ut Exod. XXXV, 22.) *domo Israel*, i. e. ut recte Chaldaeus, יִתְחַבְּרוּן דְּבֵית יְהוּדָה עִם בֵּית יִשְׂרָאֵל *sociabunt se qui domus Judae sunt cum domo Israel*. JARCHI: „Israelitis sese sociabunt iisque se jungent Judaei, ut unum regnum faciant." Ita et Jesajas XI, 12. 13. praedicit, fore, ut, restitutis in patriam terram exsulibus, desinat triste illud inter Judaeos et Israelitas dissidium, sed utrique, unitis viribus in communes hostes involent.

19. „Post verba וְאָנֹכִי אָמַרְתִּי addunt LXX. γένοιτο Κύριε, ac si propheta Deum promittentem votis ac deprecationibus pro populi Israelitici salute interpellaret. Hoc Hebraice foret אָמֵן יְהוָה. Confer Alexandrinos Jesaj. XXV, 1. Non improbabilis lectio, sed quam solus Arabs ex LXX. expressit. Cf. infra IV, 10., ubi iterum propheta interpellat." J. D. MICHAELIS. Nos tamen plane improbandum judicamus illud ab Alexandrino interjectum votum, quod sensum turbat, quum manifeste continuetur

ora-

oratio Dei. Illo enim ut genuino admisso, ante verba quae sequuntur, וַיֹּאמֶר יְהוָה positum esse deberet. Absunt quoque verba illa a Latina Vulgata, et in versione Syro-Hexaplari damnantur praefixo hypolemnisco. אֵיךְ אֲשִׁיתֵךְ בַּבָּנִים *Quomodo te ponam inter filios!* אֵיךְ h. l. est exaggerantis, q. d. quanto cum honore et gloria! J. D. Michaelis haec ita explicat: „*Quam honorate te* iterum, o Israel, *in numerum filiorum meorum recipiam!* Promissio haec eo pertinere videtur, ut Israelitae post reditum in Palaestinam, plane insignia beneficia adipiscantur, et Judaeis nullo modo postponantur." Qua quidem interpretatione nihil a vatis mente alienius esse potest. Neque enim futura beneficia promittunt haec verba, sed inducit vates, uti ostendunt quae sequuntur, Jovam ea proferentem, quae secum olim reputarit, quum patribus Hebraeorum Palaestinam possidendam tradere decrevisset (cf. Vs. 18. exeuntem), et qualem de illis tum spem concepisset. Quare hoc dicunt verba hebraea: cogitabam olim, te eminenti loco inter ceteros filios meos ponere. Jarchi: „Constituam te, permixtum aliis gentibus, coetum meum et populum meum inter ceteros filios, qui astra colunt." Chaldaeus: אֵיכְדֵין אֲצַלְחִנִּיךְ בִּבְנַיָּא *quomodo te prosperabo inter filios.* Minus recte Grotius: efficiam, ut multa sobole floreas. Nam quae sequuntur ἐπεξήγησιν continent verborum אֵיךְ אֲשִׁיתֵךְ בַּבָּנִים, ostenduntque, quantis beneficiis prae ceteris populis a Jova ornatus sit populus Hebraeus: וָאֶתֶּן־לָךְ אֶרֶץ חֶמְדָּה *et dicebam apud me: dabo tibi terram desiderii,* desiderabilem, נַחֲלַת צְבִי צִבְאוֹת גּוֹיִם *haereditatem,* possessionem *decoris,* elegantissimam *agminum populorum. Terra decora,* אֶרֶץ הַצְּבִי appellatur terra Israelitica et Dan. XI, 16. 41., quae et Ezech. XX, 6. 15. צְבִי לְכָל־הָאֲרָצוֹת *omnium terrarum elegantissima* vocatur. צִבְאוֹת Kimchi in Lexico putat haberi posse pro Plurali nominis צְבִי, mutato א in י, ut significetur *possessio omnium pulcherrima gentium.* In quam ipsam cogitationem, haud con-

fulto, ut videtur, Kimchii Lexico, incidit J. D. Michaelis, qui ad h. l. haec notavit: „Verterim: *haereditatem pulcherrimam gentium*, ita ut צְבִי צִבְאוֹת ſit *decus decoris*, ſeu *ſummum decus*.“ Cui ſententiae favet Chaldaeus, qui hebraea ſic reddit: אַחְסָנַת חֶדְוַת תּוּשְׁבְּחַת עַמְמַיָּא *haereditatem laetitiae laudis populorum*. Sed quum צִבְאוֹת locis ceteris omnibus ſit ſtatus conſtructus nominis pluralis צָבָא ſignificatione *exercituum*, et ſimilis formula ſit 1 Reg. II, 5. צִבְאוֹת יִשְׂרָאֵל, vulgo recepta interpretatio relinquenda haud videtur. Alexandrini verterunt: *κληρονομίαν Θεοῦ παντοκράτορος ἐθνῶν*, nempe volunt ipſum Deum dici, primum צְבִי, deinde צְבָאוֹת, quod *παντοκράτωρ* vertere ſolent. Illud tantum beneficium, pergit Deus, ſperabam vos grata mente agnituros eſſe: וָאֹמַר אָבִי תִּקְרְאוּ־לִי *et dixi: pater meus! acclamabitis mihi*, exſpectabam, vos me patris loco habituros eſſe. Pro תִּקְרְאוּ, quod eſt in textu, Maſorethae ad marginem תִּקְרְאִי legi jubent, quod Suffixa feminina ſingularia praecedunt, qua de cauſa et quod ſequitur תָשׁוּבוּ in תָשׁוּבִי mutarunt. Sed verbis pluralibus vates alloquitur Hebraeos omnes et ſingulos, quos quum ſub imagine uxoris adulterae ſiſteret, antea Suffixis ſingularibus eſt uſus. Qua figurati et proprii ſermonis viciſſitudine in una continua oratione vatibus Hebraeis nil eſſe uſitatius, quis neſcit? Quare τὸ כְּתִיב, ut aliis locis quam plurimis, ita et hic genuinum arbitror.

20. „אָכֵן eſtne hic Particula comparativa *ſicut?* an ex conſueto uſu *profecto?* Poſterius a plerisque, etiam antiquis, ſumi video, prius poſcere videtur filum orationis.“ J. D. Michaelis. Verum אָכֵן nusquam comparationem indicat, et filum orationis poſcit Particulam adverſativam, *verum, attamen*, quomodo אָכֵן et Pſ. XXXI, 23. Jeſaj. XLIX, 4. et alias uſurpatur. Recte Jarchi per אֲבָל *ſed, verum tamen* interpretatus eſt. Ante בָּגְדָה ſubaudienda eſt Particula comparationis כְּ, ut alias ſaepiſſime. מֵרֵעָהּ *A ſocio*, i. e. marito ſuo. Senſum horum ver-

verborum bene exprimit Jarchi hisce verbis: „Verum vos non feciſtis id quod cogitaveram, ſed ſicut femina, quae perfide agit contra amatorem ſuum, qui ei non poteſt ſuppeditare ſua alimenta; ita vos perſide egiſtis contra me, qui tamen vobis ſuppedito omnia bona.“

21. Jam propheta, futura animo praecipiens, audire ſibi videtur fletum poenitentium. קוֹל עַל־שְׁפָיִים נִשְׁמָע *Vox ſuper clivis auditur.* „In clivis, ubi peccaverant, idololatriam exercentes, ejulant.“ J. D. Michaelis. Sed quod in locis editis ejulare dicuntur potius eo pertinet, ut ejulatus eorum undique exaudiri poſſit. Hinc Moabitae lugentes Jeſaj. XV, 3. et in loco parallelo apud noſtrum, infra XLVIII, 38. *tecta* conſcendere dicuntur. Et Judaei infra VII, 29. ut hic עַל־שְׁפָיִים plangere jubentur. בְּכִי תַחֲנוּנֵי בְּנֵי יִשְׂרָאֵל *Fletus ſupplicationum Iſraelitarum*, quibus reſipiſcentes deplorabunt peccata ſua. Cf. infra XXXI, 9.

22. Prius Verſus hemiſtichium continet Dei verba, Iſraelitas invitantis, ut ad ipſum redeant, revertentibusque veniam culpae promittentis hisce verbis: אֶרְפָּה מְשׁוּבֹתֵיכֶם *ſanabo averſiones veſtras*, remittam vobis peccatorum poenas, quo ſenſu eadem phraſis Hos. XIV, 5. legitur. Quum peccata conferantur *morbis*, languoribus, vid. e. c. Jeſaj. XXXIII, 24. LIII, 4., pronum erat eorum veniam *ſanationem* vocare, ut hic et Pſ. VI, 3. XLI, 5. CIII, 3. Chaldaeus: אֶשְׁבּוֹק לְכוֹן כַּד תְּתוּבוּן *remittam vobis* peccata, *ſi converſi fueritis.* אֶרְפָּה Kimchi recte notat ſcribi pro אֶרְפָּא, quod ipſum plures hic codices exhibent, contra Maſoram, qui huic voci in margine adſcripſit כצ״ל i. e. כֵּן צָרִיךְ לִהְיוֹת *ſic neceſſe eſt eſſe*, i. e. ſcribendum eſt hic per ה, teſtibus procul dubio codicibus antiquis bonae notae. J. D. Michaelis verba אֶרְפָּה מְשׁוּבֹתֵיכֶם mallet *remittam averſiones veſtras* vertere, quod רִפָּה *manum remittere* ſignificet. Male. Nam Verbum רָפָה non eſt tranſitivae ſignificationis, notatque potius *remiſſum eſſe, ceſſare.* Alexandrini

 ver-

verterunt: *ἰάσομαι τὰ συντρίμματα ὑμῶν, sanabo contritiones vestras, s. vulnera vestra,* quasi pro משובתיכם legissent משברותיכם. Quae lectio Michaeli videtur maxime notabilis. „Enimvero nomen מְשׁוּבָה verbo רָפָא junctum vides quoque Hos. XIV, 5., quem locum DATHIUS vertit: *sanabo vulnera propter defectionem ipsis inflicta,* non quod aliam ipse lectionem sequeretur, sed quod putaret, nomen nonnihil flectendum esse atque mutandum ad verbi sui similitudinem, quod similiter spectasse cur Alexandrinus interpres putari nequeat, causa non intelligitur. Omnino מְשׁוּבוֹת et hoc nostro loco non tam *aversionem* ipsam indicat, quam quae ex defectione consequuta essent gravissima damna atque incommoda. Minus igitur recte DATHIUS: *ignoscam vestrae defectioni;* rectius: *medebor quae perfidiâ vestrâ vobis parastis incommoda.*" SCHNURRERUS. Deo invitanti resipiscentes Hebraei respondent: הִנְנוּ אָתָנוּ לָךְ *ecce nos! veniemus tibi,* i. e. dicto tuo obedientes; similem Dativum vid. infra IV, 12. אָתָנוּ JARCHI exponit בָּאנוּ, est enim a radice Aramaeis magis, quam Hebraeis usitata אָתָה s. אָתָא *venit.* „Scribendum quidem legitime erat אָתִינוּ. Sed notum est primo, Verba, quae tertiam *He,* pro Vav aut Jod vicariam, habeant non modo pro ea Aleph substituere, sed totam quoque formam a finitis in Aleph mutari, veluti מַרְפֵּא a רָפָה *relaxans,* Jerem. XXXVIII, 4., quasi a רָפָא, deinde, Aleph quiescens nonnumquam supprimi, ut אָתָנוּ dictum sit pro אָתָאנוּ." SCHNURRER. Sensum expressit Chaldaeus: תַּבְנָא לְפוּלְחָנָךְ *redimus ad cultum tuum.* JARCHI recte observat, haec et quae sequuntur usque ad Capitis finem esse formulam precationis, quam vates doceat Israelitas peccata sua confitentes. Sine necessitate pro אָתָנוּ J. D. MICHAELIS אֹתָנוּ legere mallet, ut את hic sit Nominativo praepositum: *Nos ecce nos sumus tui,* et *Tu es Deus noster.* „Sic Syrus: ܗܐ ܚܢܢ ܕܝܠܟ, et LXX. ut in vulgaribus editio-

tionibus legitur, *servorum* nomine addito: *Ἰδοὺ δοῦλοι ἡμεῖς ἐσόμεθα σοι*, sed hoc ipsum *δοῦλοι*, forte a librariis additum, abest ab Hexaplis Syriacis.“ SPOHNIUS voculam *δοῦλοι* olim absuisse credit, quae sequenti tempore explicandi caussa, sit adjecta.

23. אָכֵן JARCHI recte בֶּאֱמֶת *sane, profecto* notare ait. Verba לַשֶּׁקֶר מִגְּבָעוֹת הָמוֹן הָרִים Alexandrini sic reddunt: *ὄντως εἰς ψεῦδος ἦσαν οἱ βουνοὶ, καὶ ἡ δύναμις τῶν ὀρέων.* Similiter Hieronymus: *Mendaces erant colles, et multitudo*, sive *fortitudo montium.* Quae CYRILLUS in Catena apud Ghislerium recte ita explicat: *Διαμέμνηται ὀρῶν καὶ βουνῶν, ἐπείπερ ἐν αὐτοῖς, κατὰ τοὺς ἀρχαίους ἐκείνους καιροὺς, ἱερά τε καὶ τεμένη δειμάμενοι, καὶ βωμοὺς ἀναστήσαντες τοῖς δαιμονίοις χαριεστάτας προςεκόμιζον θυσίας. Montium et collium meminit, quoniam in eis per prisca illa tempora fana delubraque exstruentes, et aras erigentes, daemonibus quam gratissimas victimas offerebant.* Nomina הָמוֹן הָרִים illi interpretes per statum regiminis juncta ceperunt, quomodo הֲמוֹן הָרִים scriptum esse deberet. Sed הָמוֹן in statu absoluto positum, quod omnes, qui nunc exstant, codices exhibent, illam versionem non admittit. Quod quum bene intelligeret LUD. DE DIEU hunc locum sic interpretandum censuit: *Sane frustra est, e collibus multitudinem offerre; sane in Domino Deo nostro est salus Israelis.* „הָרִים,“ addit, „est mihi Infinitivus Hiphil, habetque *offerendi* significationem, apud Mosen usitatissimam, unde תְּרוּמָה *oblatio.* Amabat multitudo, i. e. populus, in collibus sacrificare, atque e collibus הָרִים *elevare* victimam coelum versus; id magnae cujusdam virtutis esse existimabant, neglecto veri Dei cultu, qui in templo, non in collibus, sacrificia facere jusserat. Merito ergo *elevare victimam in collibus*, et *sperare in Deo*, inter se opponit propheta, et prius frustraneum, alterum utilissimum asserit. Posses etiam per הָמוֹן *multitudinem* non *plebis*, sed *oblationum* intelligere, ut sen-

ſenſus ſit: *Utique fruſtraneum eſt, e collibus multas oblationes offerre.* Aut ſi ſumas pro בְּהָמוֹן, ſenſus erit: *fruſtraneum eſt, e collibus cum ſtrepitu offerre.*“ Sed hiſce interpretationibus obſtat, quod Verbum הָרִים nonniſi addito תְּרוּמָה *ſacrificia offerre* denotat, nusquam abſolute poſitum. Praeterea הָרִים et גְּבָעוֹת manifeſte ut Nomina ſimilis ſignificationis conjunguntur. Verba לַשֶּׁקֶר מִגְּבָעוֹת הָמוֹן הָרִים patet conciſe enuntiata eſſe, quae non uno modo ſuppleri poſſunt. Kimchi illa ſic exponit: *in vanum* ſcil. ſperavimus ſalutem *a collibus*, in quibus idola coluimus, et in vanum fuit *turba*, qua congregabamur *in montibus* (ſubaudito עַל ante הָרִים), ſuperſtitioſi cultus cauſa. Hunc ſenſum expreſſit Chaldaeus: לְשִׁקְרָא פְּלַחְנָא עַל רָמָתָא וְלָא לַהֲנָאָה אִתְרְגֵישְׁנָא עַל טוּרַיָּא *in vanum coluimus ſuper collibus, et non in utilitatem congregavimus nos ſuper montibus.* Sed ſimplicius eſt, cum Josepho Kimchio Praefixum מִן e מִגְּבָעוֹת ante הָרִים repetere, unde ille ſenſum horum verborum hunc facit: multitudo quae exſpectatur a collibus et montibus, fallet, quia non fert opem, nec poterit ſervare. Rectius tamen vatis mentem haud dubitamus perſpexiſſe Schnurrerum, qui, „ſenſus,“ inquit, „univerſus non poteſt admodum dubius eſſe. Etenim quum proxime ſequatur hoc, in Jovae Dei poteſtate poſitam eſſe proſperitatem Iſraelis, planum eſt, *colles* dici pro locis, in quibus aliena ſacra antehac peragi conſueverint, nec vero abſimile, nomen הָמוֹן ſingnificationem hic habere *copiae, affluentiae*, quae ipſa alibi quoque cernitur, veluti Pſ. XXXVII, 16. 1 Chron. XXIX, 16. Nolim vero vertere: nequidquam a collibus exſpectanda *copia montium*, הֲמוֹן הָרִים, i. e. gregum in montanis paſcuis oberrantium multitudo, [quae eſt Staeudlinii in *den Neuen Beyträgen zur Erläuterung der bibl. Propheten.* p. 359. ſententia]; juſto enim artificioſius, nec graviter ſatis dictum eſſe videtur, non *a collibus* proficiſci *montium* ubertatem. Contra vero quid magis in promtu eſſe poſſit, quam

quam montes et ipſos commemorari propterea, quod ſacris nefaſtis illi frequentati eſſent. Hoc autem poſito atque conceſſo dubium eſſe nequit, quin voci הָרִים addendum ſit praefixum מ, et tota ſententia, Verbo haud alio ſubintellecto, quam quod reticetur etiam in altero hemiſtichio, ſic conſtituenda: לַשֶּׁקֶר מִגְּבָעוֹת לַשֶּׁקֶר הָמוֹן מֵהָרִים *vana eſt ex collibus, vana ex montibus rerum affluentia.* Confirmat hunc ſenſum quae ſtatim ſequitur (Vs. 24.) aperta confeſſio, turpem aliorum numinum cultum abſumſiſſe a multo inde tempore laborum ſuorum fructus, greges et armenta ſua."

24. הַבֹּשֶׁת *Pudor* ſunt muta idola, quae colere ſanos homines pudere debet; cf. infra XI, 13. Hos. IX, 10. et ad h. l. not. Obſervat Kimchi, Baalem בֹּשֶׁת dici ſolere, unde pro nominibus virorum אִישְׁבַּעַל, יְרֻבַּעַל uſurpata fuerint ut idem ſignificantia אִישְׁבֹּשֶׁת, יְרֻבֶּשֶׁת al. יְגִיעַ *Labor* hic ſignificat opes, labore partas, ut Deut. XXVIII, 33. Jeſaj. XLV, 14. Sunt, qui בֹּשֶׁת *obſcoenum idolum*, quale Priapus erat, fuiſſe putent, ut Conr. Dietericus in *Antiqq. bibll.* p. 368., cf. Zornii *Biblioth. antiquar. exeget.* p. 732. Parum probabile. Quod vero Iſraelitae hoc Verſu fatentur, pudenda idola conſumſiſſe et opes patrum ſuorum, et liberos ſuos pecudesque, hoc dicunt, inſanum idolorum cultum et ſacrificia illis oblata ſua omnia abſumſiſſe. Minus arridet Jarchii explicatio: idola in cauſa ſunt, cur nobis omnia male ſucceſſerint. Nec probabilis Vogelii ad Grotium ſententia, בֹּשֶׁת hic eſſe ipſa mala et miſerum ſtatum, cujus Iſraelitas puderet, quam Schleusnerus commendari judicat Verſu proximo, ubi queruntur Iſraelitae, ſe pudore ſuo oppreſſos jacere. Neque enim concinna ſententia, mala, in quibus verſentur, conſumſiſſe patrum ſuorum opes. מִנְּעוּרֵינוּ *A juventute* noſtra Kimchi exponit: nos enim vidimus inde a juventute noſtra, patrum opes noſtra culpa abſumi.

25. נִשְׁכְּבָה בְּבָשְׁתֵּנוּ *Jacemus in pudore noſtro*, proſtratis omnibus viribus, quibus poſſimus inde emergere.

וּתְכַסֵּנוּ

וּתְכַסֵּנוּ כְּלִמָּתֵנוּ *Operitque nos ignominia noſtra,* „ſicut veſtimentum," inquit Kimchi, quo induimur, quae figura de ignominia uſitata eſt ſcriptoribus ſacris, ut Pſ. CIX, 29. *Induantur oſores mei ignominiâ, et operiantur, tanquam pallio, opprobrio ſuo.* CXXXII, 18. *Inimicos tuos induam pudore.* XLIV, 16. *Pudor faciei meae operit me.*"

Cap. IV, 1. Verba אִם־תָּשׁוּב יִשְׂרָאֵל נְאֻם־יְהוָה אֵלַי תָּשׁוּב Hieronymus ſic vertit: *Si reverteris, Iſrael, ait Dominus, ad me convertere,* et ſenſum hunc eſſe ait: „Si reverteris ad me, Iſrael, et ſemel ſalutem deſiderans peccaſſe te dicis, et vocem Domini Dei tui non audiſſe, plene convertere, et crede quem negaſti, et tunc erit plena converſio." Quae ſententia languidi aliquid habet et quaeſiti. Sed accentus distinguens Tiphcha, voci אֵלַי appoſitus, vetat eam cum proximo תָּשׁוּב conjungi, jubetque ad תָּשׁוּב quod praecedit referri, unde haec prodit verſio: *Si reverteris, o Iſrael (dictum Jovae), ad me, reverteris,* ſcil. in patriam, quem ſenſum et oppoſitum in altero hemiſtichio וְלֹא תָנוּד *tunc non vagaberis* ſuadet. Ita jam Alexandrinus, niſi quod utrumque תָּשׁוּב pro tertia feminina perſona habuit: ἐὰν ἐπιστραφῇ Ἰσραὴλ πρός με, λέγει Κύριος, ἐπιστραφήσεται. Hoc quidem modo verba Graeca ſe habent in codice Alexandrino. Sed in codice Vaticano, conſentiente verſione Syro-Hexaplari, verba πρός με leguntur poſt Κύριος, ut in Hebraeo. Quomodo τοὺς LXX. et laudat Hieronymus: *ſi converſus fuerit Iſrael, dicit Dominus, ad me convertetur.* Senſum tamen recte exponit: „ſi ad me fuerit reverſus, revertetur de captivitate." Jarchi ad alterum תָּשׁוּב *reverteris* ſubaudit: ad gloriam et magnitudinem priſtinam. De reditu in ſtatum priſtinum felicem Verbum שׁוּב et Ezech. XVI, 55. legitur. Minus probandus Kimchi, qui ſecundum תָּשׁוּב *tranquillaberis* interpretatur, collato Je-

Jesaj. XXX, 15., ubi שׁוּבָה cum aliis nominibus *quietem* significantibus conjungitur; sed illic est a radice יָשַׁב pro יְשׁוּבָה. Chaldaeus: *Si converteris ad cultum meum, Israel, acceptabitur tua conversio, antequam signetur sententia tua.* וְאִם־תָּסִיר שִׁקּוּצֶיךָ מִפָּנַי *Et si removeris detestanda*, i. e. idola *tua a facie mea*, e conspectu meo, id est, inquit Kimchi, „ex omnibus locis terrae vestrae; nam idola quidem, ubicunque fuerint, sunt in meo conspecto, praecipue vero in terra vestra, ubi est sacrarium meum.“ Tò וְ ante לֹא Kimchi recte notat hic אָז *tunc* valere, ut Levit. XXVI, 3. 4., ut וְלֹא תָנוּד sit: *tunc non vagaberis*, scil. לצאת בגולה *ut egrediaris in exilium*, ut Jarchi addit, vel cum Kimchio, מארצכם *e terra vestra.*

2. Ante נִשְׁבַּעְתָּ repetendum est אִם ex initio Versus praecedentis: *et si jures: vivat Deus.* Recte Hieronymus: „Hic *jurabis* pro confessione dicitur, et ad condemnationem idolorum, per quae jurabat Israel.“ Et J. D. Michaelis: „Jusjurandum per Jovam ponitur hic ut actus religiosus, quo profitemur, nos hunc unum agnoscere sancteque colere. Vid. Deut. X, 20.“ Si, addit, per Jovam jurabis בֶּאֱמֶת *in veritate*, animo sincero, non ficte et dolose, ut illi de quibus infra V, 2. Jesaj. XLVIII, 1., בְּמִשְׁפָּט *cum judicio*, non sine justa causa, וּבִצְדָקָה *et cum justitia*, cavendo, ne quid juretur injustum sive iniquum. Quodsi, inquit, ita animo sincero Deum coletis, ita felicissimi reddimini, וְהִתְבָּרְכוּ בוֹ גּוֹיִם *ut bene sibi precentur in eo*, i. e. in te, *gentes.* Quum Verbum in persona secunda praecesserit, בְּךָ ponendum fuit; sed ejusmodi personarum mutatione nihil est apud Hebraeos frequentius. Sunt, qui בו ad Jovam referant, ut J. D. Michaelis, qui de gentium conversione ad Deum verum hic cogitat. Sed quomodo haec invicem cohaerebunt: si vos, Israelitae, animo sincero Jovam coletis, in eo sese gentes felices praedicabunt? Recte post Chaldaeum, qui pro בו posuit בְּיִשְׂרָאֵל, Jarchi: „Si feceris ita, tunc bene sibi

ſibi precabuntur gentes per Iſraelem, ita ut ſinguli ex iis ſuis filiis hac formula bene precentur: ſis ſicut aliquis Iſraelitarum!" Cf. Genes. XII, 3. XXII, 18. XXVI, 4. — ובו יִתְהַלָּלוּ *Et in eo*, Iſraele, *gloriabuntur*, i. e. eodem explicante Jarchio, qui aggregatus fuerit populo Iſraelitico ea re gloriabitur. Eodem modo hunc Verſum explicari et a Leistio video. „Florentis reipublicae ſtatus exemplo ab Iſraelitarum populo repetito, *ut ad ipſius inſtar felices ſiant, optabunt gentes*, i. e. quotiescunque felicitatem ſibi apprecabuntur gentes, talem optabunt, quali Iſraelitae gaudebunt, quum majorem cogitare haud poterunt. Verba vero ובו יִתְהַלָּלוּ *gloriabuntur de eo*, populo Judaico, aeque ac priora opulentiam indicant atque decus, Jovam rite colendo Iſraelitis recuperandum. Nemo enim facile de quopiam gloriatur, niſi honoribus opibusve is excellat; gloriamur autem de eo vel propter amicitiam, qua nos ornat, vel ſolo perculſi gaudio, quod, qui in aliis rebus nobis ſit ſimilis atque aequalis, ad tantos, quibus polleat honores opesque pervenire potuerit, quoniam inde in nosmet ipſos multa ſane lux refulget."

3. Ab Iſraelitis, ſive decem tribubus, ad Judaeos redit oratio, quos vates monet, ut ſuperiora illa et ſibi dicta putent. נִירוּ לָכֶם נִיר *Novate vobis novale*, ita vocatur novus ager, nunc primum ex inculto praeparatus et excultus, exſtirpatis ſentibus aliisque fruticibus, et expurgatis lapidibus. Servius ad *Virgil. Ecl.* I. 71. *Etiam novalia*, inquit, *dicuntur unde ſilva tollitur.* Unde J. D. Michaelis hunc Verſum accipit de ſilva, tanquam ſuperſtitionis idololatricae theatro exſtirpanda. Verum e verbis, quae proxime ſequuntur, et ex Hos. X, 12., ubi eadem formula, eam non proprio ſenſu capiendam, ſed figurate dictam eſſe apparet, quae jubeat Judaeos omnes priſtinos pravos affectus et mores deponere, ut novis, ad quos Deus eos adſueſci vult, ſit locus. Idem dicunt verba quae ſequuntur: וְאַל־תִּזְרְעוּ אֶל־קֹצִים *Nec*

ſe-

ſeminetis ad, inter *ſpinas*, quae bonam ſementem ſuffocant, i. e. deſiſtite a malis veſtris ſtudiis, ut virtutis ſemina concipere poſſitis. Jarchi: „Discite ab illis, qui colunt agrum, dum eum novellant tempore aeſtatis, ut interimant radices herbarum, ne ille ager proferat ſpinas tempore ſeminationis hyeme: eodem modo et vos faciatis, ut opera veſtra ſint bona." Chaldaeus ſenſum ſic expreſſit: *ſacite vobis opera bona, et ne quaeratis ſalutem in peccatis.*

4. הִמֹּלוּ לַיהוָה *Circumcidimini Jovae*, tollite ex animo veſtro quae divinae voluntati repugnant. Quod ipſum volunt quae adduntur: וְהָסִרוּ עָרְלוֹת לְבַבְכֶם *et removete praeputia cordis veſtri*, pravas cupiditates. Cf. Deut. X, 16. et ad eum loc. not. Chaldaeus: תּוּבוּ לְפֻלְחָנָא דַיָי וְאַעְדוּ רְשַׁע לִבְּכוֹן *vos ad cultum Jovae, et removete malitiam cordis veſtri.*

5. Suspicatur J. D. Michaelis, probante Eichhornio, (vid. ſupra p. 136.), hic novi vaticinii initium eſſe, cujus perierit titulus. Sed vere monuit Schleusnerus, ſequi nunc uberiorem deſcriptionem poenae illius, quam Vs. 4. verbis פֶּן־תֵּצֵא כָאֵשׁ וגו' *ne prodeat ignis inſtar mea indignatio*, i. e. ne cogar poenas graviſſimas vobis immittere, Judaeis denunciaverat Jova. Siſtit vates Judaeos hoſtium adventu terrore repletos mutuo ſeſe adhortantes, ut in urbes munitas, tanquam unica perfugia, ſeſe recipiant. הַגִּידוּ בִיהוּדָה *Annunciate in Juda.* „Jubet vates qui ipſum audiunt Judaeis hoſtium adventum annunciare, qui delictorum poenas ab iis ſint repetituri. וְהַשְׁמִיעוּ *Et facite audire* ſcil. praeconio, et ut eo clarius percipiatur, תִּקְעוּ שׁוֹפָר *clangite tuba.*" Kimchi. קִרְאוּ מַלְאוּ *Clamate implete*, i. e. plena, intenta voce clamate. Ita Alexandrinus: *κεκράξατε μέγα*, et Vulgatus: *clamate fortiter.* Ex uſu quidem loquendi Hebraico eo, quo Adverbia ita exprimi ſolent, ut duorum Verborum ſine copula junctorum *prius* Adverbii vicem expleat, hic dicendum erat מַלְאוּ קִרְאוּ. Sed h. l. verba *ἀνομαλῶς* trans-

posita videntur, quum accentus Mahpach voci priori adscriptus illa eo quo fecimus modo jungi jubeat. Nisi forsan hic, ut infra XII, 6. in eadem loquutione, מָלֵא sit legendum, quod ipsum et hoc loco codex Regiomontanus secundus exhibet. Quod J. D. Michaelis vertendum putat: *clamate, implete,* scil. terram clamore, non admittit accentuum ratio, de qua diximus. Nec probandi Jarchi et Kimchi, qui מַלְאוּ *congregate vos* interpretantur, ex nomine מְלֹא, quod Genes. XLVIII, 19. Jesaj. XXXI, 4. *congregationem,* vel potius *multitudinem* significat, et collato יִתְמַלָּאוּן *congregant se,* Iob. XVI, 10. Nam enasceretur ita minus elegans *ταυτολογία,* quum statim sequatur: הֵאָסְפוּ וְנָבוֹאָה אֶל־עָרֵי הַמִּבְצָר *congregate vos, ut eamus ad urbes munitas.* „Magnis pugnis victi sumus: ad urbes confugite, ut moenibus nos tueamur. Vox eorum, qui inferiores ex proeliis discesserunt." J. D. Michaelis.

6. שְׂאוּ־נֵס צִיּוֹנָה *Erigite signum Zionem versus,* i. e. recte exponente Jarchio, לברוח לציון *ad fugiendum Zionem.* „In locis altis vexilla erigebantur, tanquam signa, ad quae homines convenire debebant; vid. Lackemacheri *Observatt. philologg.* p. 3 seqq. Sic etiam h. l. vexillum erigi jubetur, quo significetur locus, ad quem exercitui in fugam verso tanquam ad asylum concurrendum erat. Alexandrini: ἀναλαβόντες φεύγετε εἰς Σιών. Videntur sensum expressisse, non vero נֵס accepisse, quasi esset a נוּס *fugere,* quae fuit Cappelli sententia, quum revera sit a נָסַס *vexillum erigere.*" Schleusnerus. הָעִיזוּ *Fugite,* ut infra VI, 1. Jesaj. X, 31., ad quem loc. cf. not. Quod *ex aquilone,* מִצָּפוֹן, mala se inducturum esse Judaeis Jova minatur, Chaldaeos designat; vid. supra I, 14. et ibi notata.

7. Leonem, qui ex perplexo proditurus dicitur, regem Chaldaeorum significari, non est dubium. Hinc pro אַרְיֵה Syrus ܡܠܟܐ ܥܫܝܢܐ *rex fortis* posuit. מִסֻּבְּכוֹ *E den-*

densa et perplexa silva sua; cf. Genes. XXII, 13. Jesaj. IX, 17. „Beth, inquit Kimchi, est cum Schva et Patach, in libris nonnullis est cum Schva tantum. In Grammatica Kimchi ait esse pro מְסֻבְּכוֹ a סְבַךְ. Vel est a סֹבֶךְ, sicut גֹּדֶל *magnitudo* facit גָּדְלוֹ. In Commentario Kimchi ita exponit: *ascendit leo*, cui nemo potest resistere, id est, rex Babel, מִסֻּבְּכוֹ, hoc est, מִסֻּכָּתוֹ, *e tabernaculo suo*, in quo jugiter cubat. Et quia fit e perplexis arboribus, ita vocatur. Beth duplicatur per Dagesch, euphoniae gratia.“ Salomo Ben Melech. Verba עָרַיִךְ תִּצֶּינָה מֵאֵין יוֹשֵׁב J. D. Michaelis recte sic reddit: *urbes tuae nudae*, desolatae *erunt, nemine* in illis *habitante*, נָצָה collato cum Arabico نضي *destringere, exuere, detergere.* Ita Alexandrinus: *καὶ πόλεις σου καθαιρεθήσονται.* Sed N. G. Schroederus in *Observatt. selectt. ad Origg. Hebrr.* p. 182. ex Arabico نصي *antias apprehendit, antiae promicarunt*, verba illa proprie valere dicit: *urbes tuae antiis promicabunt*, i. e. conflagrabunt ingenti incendio, quo flammae, ad instar promicantium antiarum, in altum se attollant et explicent, quemadmodum Aeschylo in *Prometh. vincto* Vs. 1042. fulminis acies flammea *πυρὸς ἀμφήκης βόστρυχος, ignis anceps cincinnus* dicitur. Et Seneca, Tragoedus, in *Oedip.* Vs. 309. de igne: *et summam in auras fusas explicuit comam.* Quod tamen justo artificiosius videtur, uti et illud Kimchii, patris, e נִיץ, *florere*, verba ita explicantis: *germinabunt urbes tuae,* i. e. germinantibus herbis, ob vastitatis diuturnitatem obtegentur.

8. עַל־זֹאת *Propter hoc*, quod Vs. 7. dictum. חִגְרוּ שַׂקִּים *Accingite* vobis *saccos*, in luctus gravissimi signum cf. infra VI, 26. Joel. I, 13. — כִּי לֹא־שָׁב אַף־יְהוָֹה מִמֶּנּוּ *Neque enim vertit sese ira Jovae a nobis.* „Quia nos non convertimus ad eum, ideo et ira ejus sese non avertit a nobis, sed in nos ingruet.“ Kimchi. „Qui tempore Josiae, regis pii, inter Judaeos pios sese simularunt, re-

recti et integri videri voluerunt, dixerunt: puri ſumus a culpa, et convertet ſe Jova a fervore irae ſuae contra nos (ſupra II, 35.). In occulto tamen coluerunt alios deos, et delicta cumularunt. Quapropter vates iis acclamat: lugete terrae vaſtationem! nam exſeret ſeſe ira Jovae conficiendo malos, qui in illa vivunt.“ Ottenzoser.

9. יֹאבַד לֵב־הַמֶּלֶךְ *Peribit cor,* animus *regis,* deficiet, plane concidet et deſperabit. Alii ex ſignificatione verbi Aethiopibus uſitata vertunt: *ſtultescent.* Sed cf. quae diximus ad Deut. XXXII, 28. — נָשַׁמּוּ *Stupebunt* attoniti, nec expedientes quid faciendum ſit. הַכֹּהֲנִים *Sacerdotes,* „qui in excelſis ſacra diis faciunt; ii ſtupebunt, cum intelligent vanum eſſe cultum idolorum.“ Kimchi. וְהַנְּבִיאִים יִתְמָהוּ *Et prophetae,* falſi, qui tranquilla omnia manſura promiſerant, *ſtupebunt,* ubi videbunt, multo aliter eveniſſe, quam ipſi praedixerant.

10. Jovam mala illa indicantem propheta, is interpellat, *ah, Domine, Deus,* inquiens, אָכֵן הַשֵּׁא הִשֵּׁאתָ לָעָם הַזֶּה *profecto imponendo imponere feciſti populo huic,* ſiviſti decipi populum per falſos prophetas, fauſta omnia praenuntiantes, ut ille res ſibi laetiſſimas ſpe vana fingeret. Cur, Domine, tam diu iratus ſinis falſos prophetas illudere miſerae plebi, qui huic falſo annunciantes pacem populum in errore fovent ac retinent? Verba ſonu activa Hebraeis ſignificatu ſaepe permiſſiva eſſe conſtat; cf. not. ad Ezech. XIV, 9. לֵאמֹר שָׁלוֹם יִהְיֶה לָכֶם *Dicendo pax erit vobis,* per eos, qui dicebant: ſalus erit vobis, per falſos prophetas, quorum et infra mentio VI, 14. VII, 4. 10. XXIII, 15. Pro וָאֹמַר *dicebam,* initio Verſus, Henslerus וְאָמַר efferendum putat, *dicetque* ſcil. אֹמֵר *dicens,* i. e. dicetur, dicent ſcil. mendaces illi prophetae, qui, nixi veteribus promiſſionibus divinis populo fauſta omnia praenunciarunt, irrumpentibus hoſtibus barbaris objicient Deo, eum ipſos ſpe vana luſiſſe. Tuetur Henslerus illam ſuam conjecturam Arabici interpretis aucto-

ctoritate, qui pro וַאֹמַר وَقَالُوا *et dicent* poſuit. Sed non eſt, cur receptum וָאֹמַר ſollicitemus, quum hac interpellatione vatem pateat Deum movere voluiſſe, ut decepti populi miſereatur. Quod et recte vidit Chaldaeus, qui initium Verſus interpretatur: וַאֲמָרִית קַבֵּיל בָּעוּתִי יְיָ אֱלֹהִים *et dixi: ſuſcipe deprecationem meam, Jova, Deus.* וְנָגְעָה חֶרֶב עַד־הַנָּפֶשׁ *Quum tamen pertigerit gladius usque ad animam.* Chaldaeus: וּכְעַן הָא חַרְבָּא מְקַטְּלָא בְעַמָּא *nunc autem occidit*, graſſatur *gladius per populum.*

11. Pergit Deus, prophetae deprecatione Vs. 10. interpellatus, futura mala denunciare. בָּעֵת הַהִיא *Tempore illo*, quo hoſtilis exercitus irruet. רוּחַ צַח שְׁפָיִים בַּמִּדְבָּר *Ventus* ingruit *fervidus locorum editorum in deſerto.* צַח collato Syriaco ܨܚ *aeſtuavit, incaluit,* eſt calidus, fervidus, qualis in terris Orientem verſus ſitis eſt euronotus. Chaldaeus רוּחַ טִיהֲרִין *ventus meridianus* reddidit. Alii vertunt: *ventus ſudi* (collato ضَحَى, *ſoli expoſitum*), qualis coelo ſereno, fervente ſole flare ſolet. Jarchi exponit ventum everrentem, quaſi ſcopis expurgantem et agros irriguos, qui eo deſertum fiant. Alexandrinus: πνεῦμα πλανήσεως, quem ſequutus eſt Syrus. „Legeruntne צחק, *illuſorium ſpiritum* pro deceptore accipientes? Nempe petita illis imago videbatur a ſpectris, ſeu ignibus fatuis, qui iter per deſerta facientes ſeducunt in malum errorem.“ J. D. Michaelis. Ventus vero ille fervidus hic dicitur שְׁפָיִים בַּמִּדְבָּר *locorum editorum in deſerto*, „qualis ventus,“ inquit Kimchi, „vehementior et importunior eſt, quam in terra culta, ubi vis ejus obſtaculis pluribus frangitur et minuitur, ut ſunt domus, muri, ſepes. Huic vento comparatur exercitus hoſtilis, quem irruentem nemo inhibere valet.“ דֶּרֶךְ בַּת־עַמִּי *Via filiae populi mei*, populum meum verſus. לוֹא לִזְרוֹת *Non ad ventilandum* ſcil. frumentum, ubi ſufficeret

ceret ventus minor, qui paleam rejiciat, frumenti lapsum non prohibeat. וְלוֹא לְהָבַר *Nec ad purgandum* scil. aream a paleis, qui paleas auferat, nec simul frumentum abripiat. Constat enim in istis terris ventilari frumentum in areis, quae sub dio sunt, vid. not. ad Ps. I, 4. Amos. IX, 9. „Non ad bonum venit ille ventus, sed ad malum, nempe ad deportandum viros, et parvulos et jumenta.“ Jarchi.

12. רוּחַ מָלֵא מֵאֵלֶּה *Ventus plenior*, impetuosior *illis*, quam quibus ad ventilandum et purgandum frumentum opus est. יָבוֹא לִי *Veniet mihi*, i. e. me Deo jubente. גַּם אֲנִי אֲדַבֵּר מִשְׁפָּטִים אוֹתָם *Etiam egomet* ipse, qui hucusque eos per prophetas frustra coargui, *loquar judicia cum iis*, vindictam exercendo; cf. supra. I, 16. מִשְׁפָּטִים Chaldaeus recte פּוּרְעָנוּת דִּינִי *ultionem judicii mei* interpretatur.

13. הִנֵּה כַּעֲנָנִים יַעֲלֶה *En! nubium instar ascendit* exercitus hostilis. Chaldaeus: *Rex cum exercitu suo adscendet super eos, sicut nubes, quae adscendit et operit terram.* Pro כַּעֲנָנִים Schleusnerus conjicit divisim legendum esse כַּעֲנָן יָם *sicut nubes a mari*, i. e. ab occidente, ut Exod. X, 19. רוּחַ יָם est ventus ab occidente. Potuerat et conferre 1 Reg. XVIII, 44., ubi memoratur עָב קְטַנָּה עֹלָה מִיָּם *nubes parva ascendens e mari*, i. e. ab occidente. Conjecturae illi tamen vere Schnurrerus opponit, quum id, in quo similitudo posita, sit pernicies et velocitas in adveniendo [quod ostendunt, quae subjunguntur], non multitudo ac densitas agminis, haud intelligi, quare occidentalis nubes aptior videri debeat, quam nubes quaecunque, modo sit a vento agitata. Minus etiam probandam judicat Schnurrerus alteram a Schleusnero ad h. l. propositam conjecturam, post יַעֲלֶה excidisse verba מֶלֶךְ כַּשְׂדִּים, *rex Chaldaeorum*, erasa fortasse in captivitate Babylonica. „Nam quum ventus, de quo modo verba faceret vates, non sit nisi figura et imago hostis, commode supersedere poterat nomine

enun-

enuntiando, quod rem proprie denotaret. Sic et Arabum poetae, notante REISKIO in edita a se *Taraphae Moallakah* p. 86, saepissime rem, quam designant, non nominant, propterea quod qui vel legat, vel audiat, ex epithetorum qualitate et sermonis filo facile possit sensum assequi. Ceterum haec ipsa nominis absentia efficit, ut negemus, Versum 13 avelli posse ab oratione praecedente. Non est alieni sermonis, a populo profecti, interpositio; sed ante verba אוֹי לָנוּ *vae nobis!* subintelligas formulam תֹּאמְרוּ, qua commodissime supersedere poterat vates, si non verbis solis, sed sono etiam gestuque lugubri prosequeretur atque imitaretur cives de rebus suis desperantes." וְכַסּוּפָה מַרְכְּבוֹתָיו *Et turbinis instar currus ejus,* hostis currus intellige bellicos, de quibus cf. not. ad Ps. XX, 8. — קַלּוּ מִנְּשָׁרִים סוּסָיו *Velociores sunt aquilis,* avium pernicissimis, *equi eorum.* Equorum Chaldaeorum pernicies laudatur quoque Habacuco I, 8. — כִּי שֻׁדָּדְנוּ *Quia vastati sumus.* Sine necessitate J. D. MICHAELIS vertere maluit *victi sumus,* collato Arabico شَدَّ *impetum fecit in hostem,* et in Conjug. III. *praevaluit.* Quo significatu tamen apud Hebraeos Verbum שָׁדַד non videtur in usu fuisse. Cf. infra Vs. 20., quo bis obvium vix aliud quid, nisi *vastatum esse* significare potest. Praeterea quis non sentit, *vastati sumus* fortius et gravius esse, quam *victi sumus?*

14. כַּבְּסִי מֵרָעָה לִבֵּךְ יְרוּשָׁלַםִ *Lava a malitia cor tuum, o Hierosolyma!* „Poenitentiam age non tantum externe, verum et interne, quod indicat per *cor tuum,* ut supra III, 10. dixit: *non reversa est ad me Juda toto corde suo,* sed simulate." KIMCHI. Verbum כַּבְּסִי J. D. MICHAELIS monet catachrestice positum esse, ubi non de *vestibus,* ad quas solas pertinet, sed de corde sermo est; et pertinere hoc ad mutatum jam Jeremiae tempore usum loquendi Hebraicum. Quod non ex animo et sincere poenitentiam egerint Hierosolymitani, dicunt

verba quae ſequuntur: עַד־מָתַי תָּלִין בְּקִרְבֵּךְ מַחְשְׁבוֹת אוֹנֵךְ *quousque pernoctare*, commorari *facies in interno tuo cogitationes iniquitatis tuae?* תָּלִין J. D. Michaelis negat recte verti *pernoctare facies*, quod ſic feminine תָּלִינִי ſcribendum fuiſſet, ſed vertendum eſſe perhibet cum veteribus omnibus, in tertia perſona *pernoctabunt*. Verbum ante Nomen poſitum, ſingularis numeri, eſſe loco pluralis. Ad haec Schnurrerus: „Omnino haud abhorret a more loquendi Hebraeorum cum nomine *plurali* feminino, quod rem, non perſonam ſignificat, conſtruere verbum *ſingulare* femininum, quod exemplis, etiam ex Jeremia petitis, comprobat Schroederus *Synt. Verbor.* Reg. LXII. No. IV. Sed hoc tamen loco nullus dubitaverim vertere: *pernoctare facies*, etiamſi genus haud reſpondeat. תָּלִין enim reſpicit ad ſubjectum proprium עַם יְרוּשָׁלִָם. Sic quoque ſupra III, 5. legitur וַתַּעֲשִׂי הָרָעוֹת וַתּוּכָל, ubi Michaelis, quum de ſignificatione verbi וַתּוּכָל moneret, generis tamen discrepantiam notare praetermiſit. אוֹנֵךְ ipſe reddit: *doloris tui*, i. e. quae tibi doloris et infortunii cauſa erunt. Sed quod nomini recto adjungitur pronomen, ad nomen regens pertinet: *quam diu fovebis in animo tuo conſilia vaniſſima?*"

15. Nexum hujus Verſus cum eo qui praecedit C. B. Michaelis recte indicat his verbis: *lava te*, dum licet; periculum in mora eſt, כִּי קוֹל מַגִּיד מִדָּן *ſiquidem vox* auditur *annunciantis* ſcil. adventum hoſtium *e Dane,* extrema urbe in boreali Palaeſtinae limite, per quam invaſio Chaldaeorum futura erat, cf. ſupra Vs. 6. — וּמַשְׁמִיעַ אָוֶן מֵהַר אֶפְרָיִם *Et denunciantis moerorem* (Genes. XXXV, 18.), calamitatem, *de monte Ephraim*, qui proxime attingit Judaeae fines, hoſte magis magisque appropinquante. In alia omnia abit Chaldaeus, qui mentionem Danis et Ephraimi ad idola olim ibi culta pertinere ratus, hunc Verſum ſic interpretatur: *Nam vox eſt prophetarum, qui vaticinantur adverſus eos, migraturos eſſe* in exilium, *quoniam coluerunt vitulum*

in

in Dane, et qui nunciant nuncia mala, quod videlicet *venturi ſint occiſores, contra eos, quoniam coluerunt ſimulacrum, quod Micha in monte domus Ephraim erexerat.*

16. הַזְכִּירוּ לַגּוֹיִם *Commemorate gentibus*, quanta mala Judaeis immittat Deus, ut illis quoque innotescat hoc ſeveritatis divinae in contumaces exemplum. Hieronymus: „Vult omnes in circuitu nationes Dei noſſe ſententiam; et flagellatâ Jeruſalem cunctos recipere disciplinam." Sed Kimchi praefixum לַ ante גּוֹיִם idem quo בעבור *de* valere putat, ut Genes. XX, 13. Pſ. III, 3., ubi not. vid., ut ſit: *commemorate de gentibus*, i. e. annunciate gentes barbaras haud procul abeſſe. Ita Alexandrinus: *ἀναμνήσατε ἔθνη*. עַל ante יְרוּשָׁלַםִ idem Kimchi pro ב poſitum eſſe ait, ut ſaepe. Sic quoque Alexandrinus: *ἀναγγείλατε ἐν* Ἱερουσαλήμ. נֹצְרִים *Cuſtodes*, i. e. obſeſſores. „Eſt," inquit Grotius, „*χλευασμὸς* ex ambiguo. Cuſtodes agrorum (Vs. 17.) curam adhibent, ne in agrum intretur, et obſeſſores, ne in urbem, ſed illi noxia arcent, hi profutura." Hieronymus: „Celebri," inquit, „in Jeruſalem ſermone narratur, adverſarios venire de terra longinqua, et fremitum contra eam ſurgere ululantis exercitus, qui tam diligenter obſideant civitatem, et claudant urbem munitionibus, ut non tam adverſarios putes eſſe, quam agrorum vinearumque cuſtodes." Alexandrinus נֹצְרִים hic *συστροφαὶ*, *catervae*, reddit; retulit ad צָרַר *colligere*. Nam et Hos. IV, 19. צָרַר et XIII, 12. צָרוּר Graecus interpres vertit *συστροφή*. Chaldaeum בֹּצְרִים *vindemiatores* legiſſe, ex hac ejus interpretatione patet: מַשְׁרְיַת עַמְמִין הָטוֹפִין כְּקוֹטְפִין *exercitus populorum diripientium ſicut vindemiatores.* בֹּצְרִים *vindemiatores* Chaldaeorum milites et infra XLIX, 9. et ab Abdia Vs. 5. vocantur. Hoc vero loco, recte judicante J. D. Michaele, recepta lectio retinenda eſt ob Verſum ſequentem.

17. כְּשֹׁמְרֵי שָׂדַי הָיוּ עָלֶיהָ מִסָּבִיב *Sicut cuſtodes agrorum erunt contra eam,* urbem, *circumquaque,* ita

hostes urbem observabunt, ut neque exire quenquam sinant, neque intrare. כִּי־אֹתִי מָרָתָה *Quia mihi immorigera fuit*, ut Thren. I, 18. 20. Cf. Num. XX, 24. Alexandrinus: ὅτι ἐμοῦ ἠμέλησας. Jarchi interpretatur: *ad iram me provocavit*, collato מַמְרִים Deut. IX, 7. Ita et hic Vulgatus. Sed מָרָה in Cal nusquam transitivo significatu usurpatur.

18. עָשׂוֹ אֵלֶּה לָךְ *Fecerunt*, contraxerunt *tibi haec* scil. mala. Pro עָשׂוֹ in pluribus codicibus et libris impressis legitur עָשׂוּ, Infinitivus, quem Kimchi pro Praeterito positum existimat, Jarchi vero ita explicat: facinora tua haec tibi facere, s. fieri sunt causa. זֹאת רָעָתֵךְ *Haec est malitia tua*, „hic est malitiae tuae fructus. מָר et נָגַע ob genus masculinum non construenda cum רָעָתֵךְ, sed neutraliter accipienda sunt: *amarum enim est quod pertingit ad cor tuum.*" J. D. Michaelis. Pro עַד in pluribus codicibus legitur עַל, sensu eodem.

19. Huic Versui Chaldaeus praemittit: אֲמַר נְבִיָּא *dixit propheta;* et consentiunt fere interpretes, verba sequi prophetae ipsius, gentis suae miseriam conquerentis. Sed Schnurrerus „malim," inquit, „Grotium sequi, qui solus vidit, continentem esse sermonem, omisso Verbo: *dices.* Etenim vates quum dixisset: *tua id pravitas effecit, ut aegritudo tibi orta sit, ut animum pervaserit tuum*, כִּי מָר כִּי נָגַע עַד־לִבֵּךְ, jam non subjicit, quod omnino poterat, כִּי אָמַרְתְּ, *ut querendum tibi sit hoc, quo facis, modo;* sed subito ipse vocem suam ita componit, ut civium quiritantium voces exprimat, ac fere in ludibrium vertat. Utitur autem abrupto divulsoque dicendi genere, in quo suavissima est et plane mirifica affectus veri imitatio. Cave enim verbum אוֹחִילָה jungas cum מֵעַי, sed seorsim ita vertas: *o viscera mea! viscera mea! doles, o cor meum! agitatur cor meum! continere me non possum.*" לֹא אַחֲרִישׁ, proprie, *non sileo.* אוֹחִילָה, Futurum Hiphil verbi יָחַל, quidam vertunt *ex-*

spe-

fpectabo tamen; minus congrue. Alii יָחִל rectius ejusdem cum חול f. חִיל *dolere* fignificantiae capientis, conjungunt cum מֵעַי, quod pro Accufativo habent, hoc fenfu: *ventrem meum dolere facio, dolore afficio,* vifcera mea dolentia habeo; quod Accentus pofcunt, qui verba מֵעַי אוֹחִילָה conjungunt. Quod in textu exftat, אחולה, Schnurrero vitiofum videtur, et hoc modo ortum, quod antiquiffimam fcriptionem אחלה dum librariorum alii exararent אֹחִילָה vel אוֹחִלָה, alii אָחוּלָה, effent deinceps, qui utramque lectionem fociandam effe exiftimarent. Et אָחוּלָה quidem J. D. Michaelis notat in nonnullis antiquoribus editionibus reperiri. קִירוֹת לִבִּי *Parietes cordis* praecordia fere interpretantur. Sed Schnurrerus, quemadmodum יַרְכְּתֵי הַבַּיִת *latera* f. parietes *domus* Pf. CXXVIII, 3. Amos. VI, 10. denotant interiorem domum, ita et hic קִירוֹת לֵב fignificare obfervat intimum cordis, id eft cor ipfum. הוֹמֶה־לִּי לִבִּי *Fremit mihi cor meum,* „ex dolore, Pf. XLII, 6. 12., inftar tibiarum, infra XLVIII, 36., aut citharae fufurrantis Jefaj. XVI, 11., aut maris fluctibus commoti, infra V, 22.“ C. B. Michaelis. Alexandrinus et Theodotium הוֹמֶה μαιμάσσει reddidere, quod verbum quid fignificet Hieronymus fe ignorare fatetur. Sed docuit Bochartus *Hieroz.* P. I. L. II. Cap. 55. T. I. p. 763. edit. Lips., μαιμάσσειν effe *ftrepere, turbari, tumultuari,* et, licet elegans et Atticum, tamen parum fuiffe in ufu. אַחֲרִשׁ *Neque fileo,* i. e. dolor meus continuus eft, neque poffum a gemitibus mihi temperare, Jefaj. XLII, 14. Zeph. III, 17. כִּי קוֹל שׁוֹפָר שָׁמַעַתִּי נַפְשִׁי *Quia vocem tubae audivifti, o anima mea!* Apoftrophe ad fe ipfum, qualis Pf. XVI, 2., ad quem loc. cf. not. שָׁמַעַתִּי, quod in textu habetur, eft fecunda feminina Praeteriti perfona addito Jod, ex Aramaeismo, cf. fupra ad II, 20. p. 94. Ad marginem pofitum ufitatum שָׁמַעַתְּ. Ceterum monet Kimchi, confulto dicere vatem, *animam fuam* audiviffe, non *aures,* quum eae tunc revera fonum tubae claffcum canentis nondum percepiffent, fed quod

quod mente tantum illum percepiſſet, tanquam vates, cui futura a Numine patefacta fuiſſent.

20. שֶׁבֶר עַל־שֶׁבֶר נִקְרָא *Fractio*, exitium *ſuper exitium!* unum poſt alterum, *clamatur.* Sine neceſſitate Sebast. Schmidius נִקְרָא hic, pro נִקְרָה *obviam factum eſt*, accidit, poſitum eſſe vult. Appoſite C. B. Michaelis, referente Filio, ſuo codicis Hebraei exemplo adſcripſit haec: „Recte: *clamatur;* coll. Jeſaj. XV, 5. צַעֲקַת־שֶׁבֶר יְעֹעֵר *clamorem fracturae*, exitii, *excitabunt;* et *Sur.* XXV, 14. *Clamabunt damnati in Gehenna:* ثُبُورًا *o exitium! Sed reſpondebitur iis* (Vs. 15.): لَا تَدْعُوا ٱلْيَوْمَ ثُبُورًا وَاحِدًا وَٱدْعُوا ثُبُورًا كَثِيرًا *non clamabitis hodie exitium unicum, ſed clamate exitia multa.* Sic et Sur. LXXXIV, 11.“ פִּתְאֹם שֻׁדְּדוּ אֹהָלַי *Subito vaſtata ſunt tentoria mea,* i. e. populi mei, quae ex adfectu *ſua* vocat. Indicatur talis vaſtatio, quae ad caſas et tentoria ſeſe extendet, quaeque nullum relinquet locum vel ipſis paſtoribus et gregibus. Pro רֶגַע יְרִיעֹתָי, *momento* ſcil. שֻׁדְּדוּ *vaſtata ſunt aulaea*, i. e. tentoria *mea*, Alexandrinus *διεσπάσθησαν αἱ δέῤῥεις μου* poſuit. Legit רָגְעוּ, quod proprie *turbata*, commota *ſunt* denotat, vid. infra XXXI, 35. LI, 15.

21. עַד־מָתַי אֶרְאֶה־נֵּס *Quamdiu videbo vexillum?* i. e. vexilla turmarum hoſtilium, ad iter et pugnam erecta. Significat, hanc, quam praevidit, belli calamitatem non brevi tranſituram eſſe, ſed longius protractum iri. Minus commode Kimchi hunc Verſum refert ad cuſtodes Judaeorum, qui vexillis in montibus erectis et tubarum clangore ſuis hoſtium adventum annunciant. Recte Jarchi: „Quamdiu videbo congregationes ſ. turmas illas eorum, qui ſignis elatis ad pugnandum convocantur?“ Alexandrinus prius Verſus hemiſtichium ſic reddidit: *ἕως πότε ὄψομαι φεύγοντας;* conſentientibus Vulgato et Syro: *quous-*

quousque videbo fugientem? Legerunt נֵס pro נָס, uti supra Vs. 6. „Male; vexillum hostile, quod ex urbe semper conspicitur, multo concinnius hic ponitur.“ J. D. Michaelis.

22. Respondet, recte notante Kimchio, Deus prophetae interroganti, quamdiu haec belli calamitas sit duratura, non posse aliter fieri, quam ut continuis malis populum exerceat, quum in sua stultitia perseveret, nec ad meliorem frugem redeat. Kimchi: „Si prudentes essent, et rectam viam tenerent, cogitarentque, me pro ratione factorum suorum iis bene vel male facere, non adspicerent vexilla tubaeque sonitum audirent.“ כִּי אֱוִיל עַמִּי *Nam stultus* est *populus meus*, qualis est qui castigationem spernit, Prov. I, 7. Sed Alexandrinus verba haec jungens proximis אוֹתִי לֹא יָדָעוּ sic vertit: *διότι οἱ ἡγούμενοι τοῦ λαοῦ μου ἐμὲ οὐκ ἤδεισαν, quia principes populi mei me non cognoverunt,* ut in Commentario illa reddit Hieronymus. Graecum interpretem pro אויל transpositis literis אולי legisse, patet, ut 2 Reg. XXIV, 15. אוּלֵי הָאָרֶץ sunt *principes terrae*, collato Arabico آل pro أَوَلَ *administravit, rexit, praefuit,* vel אֵילֵי, ut laudato libri secundi Regum loco ad marginem habetur, significatu haud diverso.

23. Divino responso accepto vates filum orationis repetit horridamque terrae prorsus devastandae faciem vividis coloribus pingit. „Propheta cernit in spiritu quae ventura sunt, ut audiens populus terreatur, et, actâ poenitentiâ, nequaquam sustineat quae formidat.“ Hieronymus. וְאֶל־הַשָּׁמַיִם *Et ad coelos* scil. רָאִיתִי, quod verbum tamen hoc solo loco per אֶל construitur. Kimchi putat pro אֶת, Accusativi nota, positum esse, ut Ps. II, 7. אֲסַפְּרָה אֶל־חֹק; sed cf. not. ad eum loc. Nostra verba sunt ita capienda: oculos sustollo *ad* coelum; וְאֵין אוֹרָם *sed non* est *lux eorum*, s. *ejus*. Turbatis et in summo dis-

discrimine poſitis videtur etiam ſerenum coelum tenebris obductum. Sed Grotius: „Fumus undique ſurgens nubem ſideribus obducet.“

24. הִתְקַלְקָלוּ Kimchi a radice קַל *levem eſſe* exponit: *leves facti ſunt*, tanquam in pulverem reſoluti. Alii Hebraeorum ex *abſtergendi* notione, quam verbum קִלְקַל Ezech. XXI, 21. al. 26. obtinere exiſtimant, *abſterſi*, i. e. amoti *ſunt* explicant. Sed convenit potius cum Arabico قَلْقَلَ et Aethiopico אנקלקל *commotum eſſe* (cf. not. ad laudat. Ezechielis locum), uti recte Ludov. de Dieu notavit.

25. וְכָל־עוֹף הַשָּׁמַיִם נָדָדוּ *Et omnes volucres coeli aufugerunt.* Quod Grotius refert ad fugatas aves concuſſo per clamorem militarem aëre. J. D. Michaeli imago petita videtur ab horribili tempeſtate, qua ingruente volucres etiam aufugiunt, aut ſe abſcondunt. Sed pertinet hoc ad deſcriptionem ſummae vaſtitatis. Hieronymus: „Intuitus eſt, et huc illucque circumſpexit, et ne avis quidem potuit inveniri. Hoc verum eſſe, nunc totus orbis demonſtrat, ut caeſa hominum multitudine volatilia quoque, quae ſolent habitatores ſequi, abierint et perierint.“

26. הַכַּרְמֶל הַמִּדְבָּר *Carmelus* eſt *deſertum*, in deſertum eſt redactum. Quum כַּרְמֶל proprie ſit nomen appellativum, *agrum feracem* ſignificans, quod in proprium abiit montis ſive promontorii (vid. not. ſupra ad II, 7.); quomodo hic capiendum ſit ambigi poteſt. Pro nomine proprio habent hic veteres. Hieronymus: „Ipſe Carmelus, qui mari imminet magno, oleis conſitus, et arbuſtis vineisque condenſus, ad tantam veniet ſolitudinem, ut eremi habeat vaſtitatem.“ Si ut appellativum ſumas, ſenſus erit hic: arva fertiliſſima et amoeniſſima ſunt deſerta facta. Chaldaeus utrumque conjunxit; ſic enim vertit: אַרְעָא דְיִשְׂרָאֵל דַהֲוָת מְנַצְבָא כְּכַרְמְלָא *terra Iſraelis, quae plan-*

plantata fuit ſicut Carmelus. Jarchi: „Terra, quae plantata et referta eſt omni bono, ſicut Carmelus, deſerta eſt facta.“ J. D. Michaelis verba הַכַּרְמֶל הַמִּדְבָּר negat recte verti *Carmelus deſertum* eſt factum, articulum nomini מִדְבָּר praefixum hanc interpretationem non admittere ratus. Aſyndeton hic ſtatuens verba ſic vertit: *Carmelus et deſertum, et omnes urbes ejus deſtructae ſunt,* Verbo ad ſolas urbes relato, et de deſerto et Carmelo deſtrui neſciis, catachreſtice poſito. Nec putat Carmelum promontorium intelligendum, ſed Carmelum in Arabia, urbem locumque paſtoribus nobilem Jos. XV, 55. 1 Sam. XXV, 2. Sed ejus hoc loco mentionem fieri praeter Michaelem nemini probabile viſum fuerit. Quod vero verba הַכַּרְמֶל הַמִּדְבָּר refragante Syntaxi Hebraica *Carmelus deſertum* eſt factum verti pronunciat, quod vati, ſi id dicere voluiſſet, praedicatum מִדְבָּר ſine articulo exprimendum fuiſſet, nihil eſt, quum Hebraeos Articulum indefinitum et per ה Articuli exprimere conſtet; vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 655. Pro נִתְּצוּ Alexandrinus habet ἐμπεπυρισμέναι πυρὶ ac ſi נִצְּתוּ legiſſet, ab הִצִּית *incendere.*

27. וְכָלָה לֹא אֶעֱשֶׂה *Sed conſummationem non faciam,* „i. e. vaſtabo quidem, ſed non plane perdam et delebo, ut Sodomam et Gomorrham, ſed reditus et reſtitutionis in priſtinum ſtatum ſpem aliquam relinquam; vid. infra V, 10. 18.“ J. D. Michaelis. Cf. et Levit. XXVI, 44. et ad eum loc. not. Quae quidem loca parallela tuentur communem horum verborum interpretationem, quae Leistius novo módo ita capienda cenſet: *finem non faciam* ſcil. vaſtationi, i. e. haud intercedam neque prohibebo, quo minus Babylonii omnem rem publicam Judaicam evertant, tecta cum agris depopulentur atque devaſtent, nilque intactum relinquentes, cui ferro ignive noceri poſſit, terram ita perdant, ut abductorum in captivitatem incolarum animis ne minimum quidem recuperandae patriae deſiderium illapſurum ſit.

28.

28. עַל כִּי־דִבַּרְתִּי זַמֹּתִי *Propterea* ſcil. lugebunt terra et coelum, *quod* quae *loquutus ſum* per prophetas, quae videlicet *cogitavi*, decrevi, וְלֹא נִחַמְתִּי eorum *me non poenitebit*, וְלֹא־אָשׁוּב מִמֶּנָּה *neque convertam me*, dimovebor, *ab eo* ſcil. quod decrevi et per prophetas denunciavi. „Quaſi dicat: luctuoſiſſimum hoc erit, quod propter pertinacem populi mei impietatem meum decretum irrevocabile futurum eſt.“ C. B. Michaelis.

29. מִקּוֹל פָּרָשׁ וְרֹמֵה קֶשֶׁת בֹּרַחַת כָּל־הָעִיר *A voce equitis* et *jaculantis arcu aufugit omnis urbs.* Quae poſteriora verba Alexandrinus reddidit: *ἀνεχώρησε πᾶσα ἡ χώρα*, et Chaldaeus: גְּלוֹ כָּל יָתְבֵי אַרְעָא *migrant omnes incolae terrae.* Unde J. D. Michaelis colligit, illos interpretes בֹּרַחַת כָּל־הָאָרֶץ legiſſe, quod ei quod in noſtro textu hebraeo exſtat, praeferendum exiſtimat, hac potiſſimum ratione ductus, quod non videat, cur urbes, moenibus cinctae, equites timeant, olim certe, ante inventas artes noſtras bellicas. Quam rationem vere Schnurrerus monet nonnihil valere poſſe, ſi de levioribus vagantium turmarum excurſionibus ſermo hic eſſet. „At quum univerſae terrae exitium et vaſtitatem imminere dixerit vates, facile intelligitur, clamorem ſtrepitumque bellicum innui ingentis agminis, equitatu etiam ſagittariisque permultum valentis, cujus vim atque impetum tantum abſit, ut ſuſtinere populus poſſit, ut non modo qui in agris ſint, ſed et oppidorum incolae omnes in fugam ſe ſint conjecturi. Senſum itaque magis quam verba ſi ſpectes, perinde erat vertere, vel: *fugiunt omnia oppida*, vel: *fugit omnis provincia.* Nec ſatis certum eſt, Alexandrinum et Chaldaeum vere lectionem ſequutos eſſe, quae ſit ab edita diverſa. Illud autem certum, כָּל־הָעִיר pro collectivo poſſe accipiſſe. Negat quidem Michaelis verti poſſe: *omnes urbes*, notare, potius *totam urbem* ait. Sed moroſius hoc praeceptum eſſe, vel ex eo intelligas, quod ipſe mox ejusdem commatis formulam, כָּל־הָעִיר עֲזוּבָה reddit: *alle Städte ſind verlaſſen.* Et ſic omnino ver-

vertas necesse est: aliter enim non esset, quo בָּהֶן referri queat. Si vero posterius, כָּל־הָעִיר, dictum de urbibus ipsis, in quibus habitant homines, collectivum esse possit et debeat, dubium non est, etiam prius illud, in quo metonymia est, posse pro collectivo haberi. Vertas igitur: *universa singularum urbium multitudo fuga sese proripit,* nec est, cur aliam quandam lectionem requiras." בָּאוּ בֶּעָבִים plures vertunt *veniunt,* ingrediuntur *nubes,* i. e. in altissimos montes nubibus opertos; hyperbole, qualis Jesaj. XIV, 14., ubi rex Babylonius ait se velle בָּמֳתֵי עָב *excelsa nubium* ascendere. Sed alii עָבִים *silvas densas* interpretantur, ut Chaldaeus, qui לְמֶעֱרַק בְּחוּרְשַׁיָּא *ad fugiendum in silvas* reddit, quod omnino praeferendum videtur. Nam quum statim sequatur: וּבַכֵּפִים עָלוּ *et in petras ascendunt,* subsideret oratio, si quae praecedunt, בָּאוּ בֶּעָבִים de montibus altissimis dictum esset. Ab עוּב *obscurum esse,* vel ab עָבָה *densum esse,* potuit et *nubes* et *sylva* עָב dici. Jarchi nostrum בֶּעָבִים ita exponit: ביערות עבים מקום סיבוך קוצים להטמן *in sylvas densas, in locum perplexum spinis, ut sese ibi abscondant.* Arabibus غَابٌ *densa sylva* dicitur a غَابَ *latuit.* In versione Alexandrina pro verbis בָּאוּ בֶּעָבִים haec habentur: *εἰσέδυσαν εἰς τὰ σπήλαια, καὶ εἰς τὰ ἄλση ἐκρύβησαν, ingressi sunt in speluncas, et in nemora se absconderunt.* Duas hic versiones coaluisse, recte Schleusnerus animadvertit. Veteris interpretis tantum verba *εἰσέδυσαν εἰς τὰ σπήλαια* videntur, quae sequuntur, ex alio interprete illata; absunt enim a Vulgata, et in versione Syro-Hexaplari praefixo hypolemnisco damnantur. Vetus vero interpres qui *εἰς τὰ σπήλαια* vertit, legeritne בָּחֹרִים, uti vult Michaelis, an, quae est Schleusneri conjectura, עָבִים ex Arabico غَابَ *latuit* explicarit, incertum.

30. Haec tibi, inquit, evenient miseriarum, sicque tecum se geret Deus tuus, ut nec a pronunciata adver-

sum

ſum te vaſtationis ſententia averti ſe velle ſignificarit. וְאַתִּי שָׁדוּד מַה־תַּעֲשִׂי *At tu, vaſtata,* cui vaſtatio proxime inſtat, *quid facies?* In verbis וְאַתִּי שָׁדוּד duram atque inſolitam generis enallagen eſſe ait J. D. Michaelis, Pronomine feminino אַתְּ juncto nomini maſculino שָׁדוּד, miratus etiam, nullum codicem, emendata hac anomalia, exhibere שְׁדוּדָה. „Verum," recte monet Schnurrerus, „ſi vel centenorum librorum ſcriptio exſtaret שְׁדוּדָה, haud tamen dubitaverimus, veram pronuntiare lectionem editam שָׁדוּד, nec inſolens prorſus aut novum videri debet, quod in aliis etiam locis apud Jeremiam cernitur, veluti III, 5. IV, 14., ut orationi figuratae interſpergat aliquid, quod ad perſonam propriam reſpiciat. שָׁדוּד qui putent vertendum eſſe *vaſtatum,* ſeu *vaſtatam,* errant. Hebraeorum enim Participium omnium temporum eſſe poteſt. Veluti infra XXII, 11. הַמֶּלֶךְ הַמֹּלֵךְ תַּחַת יֹאשִׁיָּהוּ אָבִיו eſt rex qui *regnavit* loco patris. At XXVIII, 16. in verbis הַשָּׁנָה אַתָּה מֵת de *morituro* dictum eſt Participium. Similiter et noſtro loco שָׁדוּד ille eſt, cui futurum, ut deformetur habeaturque ignominioſe. Ceterum שָׁדוּד non magis ad feminam pertinere, quam ad perſonam quamcunque, docet locus Jud. V, 27., ubi Siſera dicitur humi jacuiſſe שָׁדוּד *turpiter deformatus.*" Sine idonea cauſa Hensleruſ שְׁדוֹד enuntiari vult, Infinitivum, ante quem ב ſit ſupplendum, ut verba ita ſint vertenda: *tu vero in vaſtando,* i. e. in vaſtatione, quae tibi imminet, *quid es factura?* Nec, quod Gaabius proponit, שָׁדוּד eſſe neutraliter capiendum, hoc modo: *te vero quod attinet, vaſtatum, perditum eſt,* i. e. quum omnia perdita ſint, *quid facies?* vulgo receptae interpretationi praeferendum fuerit. Ceterum in illa, quam ad populum Judaicum vates direxit interrogatione apoſiopeſis eſt, ita explenda: tu quidem veluti cum Deo dimicatura auxilia tibi a falſis diis, aut a finitimis populis, idola colentibus, tibi procurabis. Quod tamen vanum futurum eſſe ita declarat vates, ut de populo Judaico tanquam de meretrice lo-

loquutus, quae ad illiciendos sibi amatores, eorumque sibi conciliandum favorem et opem, pretiosoribus se ornet et vestibus et ornamentis, et ungentis, his omnibus nihil eam efficere dicat. Qua metaphora significat, inania populo tunc futura, quae adhibiturus sit studia omnia, modosque et artes, quibus aliarum gentium favorem, et falsorum deorum opem parare contendat, vel turpissimis sacrificiorum ritibus, vel earum gentium se conformando moribus. כִּי־תִלְבְּשִׁי שָׁנִי *Si, etsi te induas cocco,* vestibus coccineis. De שָׁנִי vid. not. ad Exod. XXV, 4. — כִּי־תִקְרְעִי בַפּוּךְ עֵינַיִךְ *Si laceres stibio oculos tuos.* De פּוּךְ *stibio* f. *antimonio,* cujus pulvere in Orientis terris uti solent ad fucanda oculorum supercilia, quo fit, ut oculi vividiores et majores appareant, vid. not. ad Jesaj. LIV, 11., et *das alte und neue Morgenl.* P. IV. p. 268. No. 1007. Quum vero acus mucrone supremam cuticulam leviter scalpere soleant, ut inspergendus pulvis et fucus apte haereat; vates hic utitur verbo קָרַע *lacerandi,* ut hoc oculos fucandi studium acrius perstringat, quasi dicat: si oculos tam copiose fuco illinas, ut fere laceres, meretriciis lenociniis amores captatura. Cf. 2 Reg. IX, 30. et ad eum loc. Franc. Tsepregi Dissertat. *de authentia selectiorum Cethibim.* §. XXVI, in *Sylloge Dissertatt. sub praesid. A. et J. J. Schultensii habitar.* P. I. p. 156. Enervat hujus loquendi formulae vim et ἐνεργείαν J. D. Michaelis, qui תִּקְרְעִי collato Samaritano קרוע *variegatus, punctatus* simpliciter *pinxeris* vertendum putat. נַפְשֵׁךְ יְבַקֵּשׁוּ *Vitam tuam quaerent,* amasii tui in hostes conversi exitium tibi parant.

31. Omnes illas artes, inquit vates, gentium antehac foedere sibi junctarum favorem sibi iterum conciliandi, frustra impensas esse a populo Judaico, imo in extremum discrimen eum devenisse, inde intelligo, כִּי קוֹל כְּחוֹלָה שָׁמַעְתִּי *quod vocem audio instar parturientis,* vocem, inquam audio צָרָה כְּמַבְכִּירָה *angoris sicut primogenitum parientis,* mulier enim necdum parturitionis do-

dolorem experta majori angore corripitur, quam quae plures emiſit partus. קוֹל בַּת־צִיּוֹן תִּתְיַפֵּחַ *Vocem* audio *filiae Zionis* quae *anhelat,* prae anxietate ingemiſcit. כִּי־עָיְפָה נַפְשִׁי לְהֹרְגִים *Nam delaſſata eſt anima mea,* deficio, deliquium patior, *interfectoribus* ſuccumbens. „Paſſive, הֹרְגִים acceperunt LXX. Vulgatus et Syrus, qui vertunt: *propter interfectos.* Mihi magis receptum לְהֹרְגִים placet. Supplex hoſti femina ultimam plagam accipit,

— illi ſolvuntur frigore membra,

Vitaque cum gemitu fugit indignata ſub umbras.

[Virgilii *Aen.* XII. 951.]." J. D. Michaelis.

Cap. V, 1. Ne quis cogitet, populum Judaicum juſto gravioribus ſuppliciis caſtigari, oſtendit Jova, ſe, quamvis invitum, non poſſe cum illo aliter agere, propter praefractam ejus malitiam, quae late per omnes ordines ſerpſerit, ita ut ne unus quidem Hieroſolymis ſuperſit, qui bonus ac probitatis vere ſtudioſus ſit, ut urbi veniam apud ſe conciliare poſſet. „Et poterat omnino vates rem pauciſſimis abſolvere, ſi diceret: אֵין בִּירוּשָׁלַםִ עֹשֶׂה מִשְׁפָּט מְבַקֵּשׁ אֱמוּנָה וְאֶסְלַח לָהּ *non eſt Hieroſolymis, qui jus faciat, veroque ſtudeat, ut urbi condonare poſſim.* Sed ut certum hoc eſſe et probe exploratum perſuaderet audientibus, quaſi rem vere geſtam enarrat, fingitque, miſſos eſſe a Jova, qui urbem explorarent diligentiſſime, ut referre deinceps de ea poſſent. Neglecta autem eſt praevia formula: כֹּה אָמַר יְהוָה *ita dixit Jova.*" Schnurrerus. Quod innuit Jova, ſe, ſi unus tantum vir vere probus Hieroſolymis reperiatur, urbi veniam dare velle, manifeſta eſt alluſio ad narrationem de Abrahami pro Sodoma deprecatione, quae habetur Genes. XVIII, 26 ſqq. Quum vero Hieroſolymitanorum ſtatum ita corruptum deſcribat vates, ut neminem bonum ſceleriſque purum inter illos inveniri ſine ulla exceptione contendat, laborarunt interpretes de quaeſtione, ſitne hoc per hyperbo-

bolen dictum, an proprie capiendum. Et illi quidem, qui hyperbolen haud ſatis dignam propheta judicarent, non unum excogitarunt modum, quo illam ab hoc loco arcerent. Josephus Kimchius, referente Davide, filio, vatem putat hoc dicere, poſſe aliquem vicos et plateas Hieroſolymae diu percurrere, nec tamen unum virum bonum invenire, propterea quod pii prae metu tot malorum hominum intra domus ſeſe abſconderent, uti Baruchum et Jeremiam feciſſe legimus infra XXXVI, 19. 26. Davides Kimchi in verbis אִם־תִּמְצְאוּ אִישׁ *num inveniatis virum?* nomen אִישׁ ſignificare exiſtimat *virum honoratum, nobilem,* qui opibus et dignitate valeat. A quo haud multum differt J. D. Michaelis, qui non de civibus Hieroſolymitanis generatim, ſed de *bonis* ſolum *magiſtratibus,* quos prorſus deficere dicat vates, ſermonem hic eſſe arbitratur, ita ut עֹשֶׂה מִשְׁפָּט ſit *qui recta ac juſta exerceat judicia.* In quam interpretationem veriſſime hoc monet Schnurrerus: „Judices omnino, neque hi ſoli, ſed omnes nobiliores conditionis cives univerſe, ſacerdotes maxime, ſunt qui potiſſimum petuntur: at ſimul omnes omnium ordinum cives complectitur gravis haec objurgatio, nullo discrimine facto, niſi hoc, ut rudes ac plebejos homines ex rerum divinarum ignorantia haud parum excuſationis habere, non obſcure innuat vates (infra Vs. 4.). Quem ſi nonnihil inclementius feciſſe et juſtum modum exceſſiſſe dixeris, equidem non admodum repugno: facillime enim accidit, ut indignatio erumpens animo in praeceps feratur, nec legitimo ſe modo contineat.“

2. וְאִם חַי־יְהוָה יֹאמֵרוּ *Etiamſi: ita Deus vivat, dicant.* Quod J. D. Michaelis male de judicum jurejurando intelligit, quo ad jus dicendum obſtringantur. *Per Deum* aliquem *jurare* valere, ſe illius cultorem profiteri, vidimus ſupra ad IV, 2. Cum igitur vates Hieroſolymitanos adhibito in jurejurando Jovae nomine pejerare dicit, hoc vult, illos verbis quidem et externo cul-

cultu Jovae honorem deferre, minime vero eum sincero animo venerari et colere. Cf. infra Vs. 7.

3. „Proximum nunc erat dicere, peregisse legatos a Jova missos (vid. ad Vs. 1.) ejus mandatum, et quae oculis auribusque accepta essent, retulisse. At quum nemini dubium esse posset, quos adhibuisset ipse Jova cognitores, promte ac vere satisfecisse officio, missa iterum, quae narrantis esset, formula: *fecerunt itaque, quod jussi essent illi, et mox reversi retulerunt haec*, nuntios ipsos sine mora inducit, suo nomine verba facientes: *Tu, Jova, nonnisi quod verum est requiris; tu quidem castigasti eos, sed nullo eventu, sunt hominum pervicacissimi, nolunt ad frugem redire.*“ Schnurrerus. יְהוָה עֵינֶיךָ הֲלוֹא לֶאֱמוּנָה *Jova, oculi tui nonne ad veritatem?* scil. directi sunt, q. d. illi quidem blandiuntur sibi, se externis ritibus cultus religiosi observandis favorem tuum sibi conciliare, sed tu spectas animum sincere tui reverentem. הִכִּיתָה אֹתָם וְלֹא־חָלוּ *Percussisti eos, sed non doluerunt;* castigationibus eos corrigere voluisti, sed nullo fructu, neque enim ad serium peccati sensum perducti resipuerunt. In verbo כִּלִּיתָם *consumsisti eos* haeret J. D. Michaelis, quod ab eo qui consumtus sit, emendationem nemo sperare possit, unde per ב conjicit legendum בִּלִּיתָם *vexasti illos*, quo significatu בָּלָה Dan. VII, 25. usurpatur. Schnurrerus dubitationem illam de voce כִּלִּיתָם recte scripta tolli posse hac observatione existimat, quod quae vel Deus, vel ipsius nomine propheta, facere dicitur, haud raro capiendum sit de praedictione. Unde verba הִכִּיתָה et הִכִּיתָם vertit: *significasti, te eos percussurum esse, atque adeo exstincturum.* Quod tamen in hac oratione languidius est. Sed non stricte et proprie כִּלִּיתָם capiendum est, quasi prorsus a Deo confectos Hebraeos dicat vates. Recte Kimchi illud explicat: הבאתם עד קרוב לכליה *prope ad exitium eos redegisti*, et C. B. Michaelis: paene *consumsistis eos*, i. e. gravius quoque percussisti, ut sentirent.

4. Quum

4. Quum quod Verſu ſuperiore dixiſſent a Jova miſſi exploratores, Judaeos ſeveriſſimis affectos caſtigationibus non ſolum non meliores, ſed pertinaciores etiam factos eſſe, fere non poſſet non fidem omnem ſuperare; „jam inſtat vates, ſperare ſe, rem aliter compertum iri, nonniſi in plebejos homines iſta convenire poſſe, qui, quo ſint rerum divinarum rudiores, negligentiores etiam ſint officii; ſeſe vero optimates exploraturum eſſe, qui ſint rebus divinis inſtructiſſimi; quod certe eo dictum eſt, ut graviſſime pungeret civitatis proceres.“ Schnurrerus. אַךְ דַּלִּים הֵם *Tantum pauperes*, indoctum et ignobile vulgus (ut infra XXXIX, 10. LX, 7.) tales *ſunt*, qui ſe nolunt convertere.

5. אֵלֲכָה־לִּי אֶל־הַגְּדֹלִים *Eam mihi ad magnos*, i. e. magnates, optimates, ut Vulgatus vertit, ut infra VI, 13. לִי, Dativus, quem vocant, commodi, *πλεονάζει*, vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 736. „Erat nunc quidem narrantis, impetratam a Deo moram fuiſſe, ut primores reipublicae conveniret, ipſorum animos moresque exploraturus. Sed miſſis iterum omnibus, quae interjecto tempore facta eſſent, ſubito ad id properat, quod caput rei eſſet, ſubjiciens Verſus 5. hemiſtichio altero, etiam hos, primarios civitatis viros, jugo excuſſo libidine ferri et ſcelere.“ Schnurrerus. אַךְ הֵמָּה יַחְדָּו *Sed illi una*, pariter, nobiles aeque ac plebeji, שָׁבְרוּ עֹל נִתְּקוּ מוֹסֵרוֹת *fregerunt jugum, ruperunt vincula*, ſcil. legis et omnis diſciplinae, ut ſupra II, 20. Chaldaeus: מְרַדוּ מִן אוֹרַיְתָא אִתְרַחֲקוּ מִן אוּלְפָנָא *rebelles defecerunt a lege, elongabant ſe a diſciplina.*

6. Auditis quae retuliſſent exploratores, Deus pergit Verſibus quatuor, qui proxime ſequuntur, promeritas poenas illis denunciare. עַל־כֵּן הִכָּם אַרְיֵה מִיַּעַר *Propterea percutiet eos leo e ſylva*, ubi laſtrum habet, raptum egrediens; cf. infra XII, 8. Amos. III, 4., et Theocriti *Idyll.* I. 72. *ἐκ δρυμοῖο λέων.* „Verbum הִכָּה proprium de leone, magnis unguibus feriente et vulne-

rante, vide 1 Reg. XV, 36.“ J. D. Michaelis. Chaldaeus: על כן מלך במשריתיה יסק עליהון כאריא מחורשא ויקטלינון *propterea rex cum exercitu ſuo aſcendet contra eos ſicut leo e ſylva et eos occidet.* זאב ערבות plerique *lupum veſperarum,* i. e. ſingulis veſperis, uti ſolent animalia rapacia (cf. Pſ. CIV, 20.), praedatum exeuntem, interpretantur, ut idem ſit quod זאב ערב Habac. I, 8. ad quem loc. cf. not., et Zeph. III, 3. E veteribus ita Vulgatus, Syrus et Chaldaeus, qui hebraea ſic exponit: עממיא דתקיפין כדיבי רמשא יבזונון *populi, qui fortes* ſ. *feroces* ſunt, *ſicut lupi veſpertini, ſpoliabunt eos.* Obſtat tamen huic interpretationi, quod nomen maſculinum ערב nusquam alias cum terminatione feminina Pluralis occurrat. Simpliciſſimum fuerit, ערבות pro plurali nominis ערבה *deſertum* (ſupra II, 6.), habere. Quemadmodum igitur אריה מיער eſt *leo ſylveſtris,* ita זאב ערבות erit *lupus deſertorum,* deſerticola, qualis, propterea quod rarius praedam ei obtingat, ferocior et rapacior eſt. Lutherus quoque *der Wolf aus der Wüſten* vertit. Graecus Alexandrinus interpres hebraea ita reddidit: *καὶ λύκος ἕως τῶν οἰκιῶν ὠλόθρευσεν αὐτούς, et lupus veſpertinus usque ad domos vaſtavit eos,* quaſi diviſis vocibus et literis nonnihil mutatis עד־בית legerit. Ita lupi ſignificarentur, qui fame coacti interdum domos irrumpere, et circum urbes et vicos oberrare ſolent. „Senſu,“ inquit Bochartus *Hieroz.* P. I. L. III. Cap. 10. T. II. p. 158. edit. Lips., „non omnino incommodo, ſequitur enim: נמר שקד על־עריהם *pardus vigilat ſuper urbes eorum.*“ שקד, proprie *vigilans* (ſupra I, 12.), hic inſidioſum denotat, qualis eſt pardus, ſubito in praetereuntes inſiliens, vid. Hos. XIII, 7., et cf. Bochartum l. l. Cap. 7. p. 105. Chaldaeus: שולטנין דתקיפין כנמרא כמנין על קרויהון *dominatores, qui ſunt fortes ſicut pardus inſidiantur ad urbes eorum.* „Sunt, qui leonem, lupum et pardum diſtinguant [i. e. tres diverſas hoſtium irruptiones indicari exiſtiment]. Venema ad tres Chaldaeo-

daeorum expeditiones refert, Hieronymus [ufi et Jarchi] ad Chaldaeos, Perfas, et Graecos. Vereor, ut recte fic ftatuatur. Videtur potius imago proponi terrae, ab omni ferarum genere vaftatae. Ne certum quidem eft, figurate haec de hoftibus dici: poffint enim et proprie accipi de multiplicatis feris. Vid. Levit. XXVI, 22., et de tempore vaftari coeptae Palaeftinae ab Affyriis, 2 Reg. XVII, 25.“ J. D. Michaelis. Tribus rapacibus animalibus hoc Verfu commemoratis Ottenzoser ait quendam e Chriftianis interpretem (חכם אחר מחכמי העממים) indicari exiftimare tres infignes illas calamitates, quae terris vaftitatem inferre foleant, peftem, bellum et famem. Neque tamen a quonam Noftrum prolata fuerit illa interpretatio, haud omnino fpernenda, dicere habeo.

7. In primo Verfus membro, אֵי לָזֹאת אֶסְלַח־לָךְ, negotium faceffit interpretibus vocula אֵי. R. quidam Menachem, Jarchio laudatus, illam אֵין *non eft, non* valere dixit, ut fenfus verborum hic fit: non parcam tibi propterea quod filii tui me dereliquerunt, rel. Legit fortaffe אִי, nam אֵי nusquam fimpliciter negat. Ipfe Jarchius illam per interrogationem cum admiratione exprimendam putat: forfitan propter hoc, quod facis, parcam tibi? Salomo Ben Melech אֵי exiftimat decurtandum pro אֵיךְ *quomodo?* quod eft fine exemplo. Quum אֵי alias *ubinam?* denotet, ut Genes. IV, 6. 1 Sam. XXVI, 16.; Junius hunc locum fic vertit: *ubi eft huic urbi, unde condonem tibi?* Dure. Ludov. de Dieu אֵי לָזֹאת idem effe autumat quod לָמָּה, ut vertendum fit: *ad quid* f. *ob quid*, quare *parcam tibi?* „Sicut enim,“ inquit, „אֵי זֶה, Chaldaice אֵידִין, idem eft quod מִי *quis?* fic אֵי זֹאת idem quod מָה *quid?* ergo אֵי לָזֹאת idem quod לָמָּה. ל autem inter utramque compofitionis partem inferitur, ficut מ in אֵי מִזֶּה *ex quo?* fupple loco, id eft *unde?*“ Quod jufto eft artificiofius, nec fenfum fatis commodum dat. Nobis fimpliciter interrogationis nota hic videtur אֵי, ut vertendum fit: *num propter hoc condonem tibi?*

 Si-

Similiter Danzius ad Noldii *Concordantt. Particular.* p. 17. ed. Tymp. not. *r.* אִי merum esse interrogationis indicium ait, spiritu anhelo remissius modo, modo intensius prolatum et eundem illum sonum, qui Belgis *Hoe?* et Germanis *Hae?* in vulgari sermone frequentissimus. Pro אֶסְלוֹחַ, quod in textu est, in margine legitur אֶסְלַח, quae est forma usitata Verborum tertiae radicalis gutturalis; sed אסלוח est obsoletum adeoque genuinum. בָּנַיִךְ *Filii*, i. e. cives *tui*, o respublica Judaica, ut supra II, 30. ubi cf. not. וַיִּשָּׁבְעוּ בְּלֹא אֱלֹהִים *Jurant per eos qui non* sunt *dii*, per idola s. mera simulacra; ἐπεξήγησις praecedentis עֲזָבוּנִי, *me*, cultum meum *reliquerunt*. Nam qui per Deum aliquem jurat, ejus sese cultorem profitetur, vid. supra ad IV, 2. Recte Alexandrini: ἐν τοῖς οὐκ οὖσι θεοῖς, et Chaldaeus: בְּשׁוּם טַעֲוָתָא *in nomine idolorum*, quibuscum consentit Syrus. Quos immerito reprehendit Noldius in not. 911. ad *Concordantt. Particular.*, ita vertendum jubens: *per* ea quae *non* sunt *Deus*, i. e. per res creatas, non per Deum verum. Sed falsos Deos, idola, vates supra II, 11. vocat לֹא אֱלֹהִים, cf. בְּלֹא־אֵל Deut. XXXII, 21. Pro וָאַשְׁבִּעַ אוֹתָם *et jurare eos feci*, adjuravi eos jurejurando mihi obstrinxi (ut 2 Chron. XXXVI, 13.), inito cum ipsis matrimoniali foedere, uti C. B. Michaelis interpretatur, non dubitamus legendum esse וָאַשְׂבִּעַ אוֹתָם, per *Sin*, *satiavi eos*, quod plures codices et libri editi a De-Rossio enumerati, et veteres interpretes omnes exhibent. Sensus est hic: defecit a me populus ingratus, bonis omnibus a me cumulatus. Recte Kimchi confert Deut. XXXII, 15. וַיִּשְׁמַן יְשֻׁרוּן וַיִּבְעָט *sed quum pinguis factus esset Jeschurun, recalcitravit.* „Describitur populus ut nimia satietate et abundantia rerum omnium lasciviens.“ J. D. Michaelis. וּבֵית זוֹנָה יִתְגּוֹדָדוּ *Et in domo meretricis turmatim sese congregant.* Ultimum hujus Versus verbum Jarchi recte יתקבצו גדודים *congregant se turmatim* exponit. In duobus de-Rossii optimae notae codicibus legitur יִתְגּוֹדְרוּ, cum du-

duplici Refch, fignificatu haud diverfo, nam Hithpoel verbi גּוּר *congregavit fefe* et notat Hos. VII, 14. Eodem modo verbum in fuo codice fcriptum reperit Alexandrinus, fed *commorandi*, *divertendi* fignificatione cepit. Sic enim vertit: *καὶ ἐν οἴκοις πορνῶν κατέλυον.* Ceterum *adulteria* et *meretricii amores* hic non per metaphoram deorum alienorum cultum defignant, ut fupra II, 23. feqq. III, 1. 2. 9., fed proprie funt capienda, ut ex pofteriore Verfus proximi hemiftichio apparet.

8. מוּזָנִים, quod eft in textu (כְּתִיב), non dubium eft *faginatos*, *bene paftos* fignificare, eft enim Participium Hophal verbi זוּן, Chaldaeis magis ufitati, *alere*, *pafcere*, *fuftentare* fignificantis. Sed quod ad marginem Maforethae legi jubent, מְיֻזָּנִים, Participium Pyhal verbi יָזַן *armare*, exponunt *armatos* fcil. membro genitali. Ita Jarchi: המיוזנים בקושי אבר תשמיש *armati rigidis membris coitus.* Sed A. Schultens in Indice ad *Clav. dialector.* et ad Haririi *Confeff.* II. p. 47. collato Arabico وَزَنَ *libravit*, *ponderavit*, *trutinavit rem gravem* סוּסִים מְיֻזָּנִים denotare putat *equos praeditos ponderibus*, i. e. probe vafatos, eaque pondera librata trahentes in Venerem, ut defcribantur admiffarii omnem mulierem adhinnientes. *Pondera* pro tefticulis ufurpat Catullus in Carm. *de Attine* Vs. 5. Chaldaeus אַגְרִיסִין *agreftes*, i. e. feroces reddidit. Alexandrinus *θηλυμανεῖς*, quod fequutus Hieronymus: *amatores in feminas.* מַשְׁכִּים veteres Graeci interpretes, praeter Alexandrinum, qui vocem praeteriit, a verbo מָשַׁךְ *trahere* *ἕλκοντες* reddunt, quafi מַשְׁכִּים fit pro מוֹשְׁכִים, ex Chaldaismo, ut פַּרְסִין Dan. V, 25. *Equos trahentes* Bochartus *Hieroz.* P. I. L. II. Cap. 9. T. I. p. 130. edit. Lips. refractarios interpretatur, ex phrafi Arabum, quibus a جَرَّ *trahere* فرس جرور eft *equus refractarius.* Similiter A. Schultens in *Animadverff. philologg.* ad h. l. *equos* tra-

trahentes incitatos, rapidos esse putat, quemadmodum Arabibus فرس جذب *equus trahens* est سريع *rapidus*. Et Verbum جذب *trahere* Dschauhari in Conjug. VII. exponit *cito, velociter incedere.* Sic a خلج itidem *trahere* est اخليج *praestans et velox* equus. Ipse tamen Schultens, collato Arabico مَسَكَة *alimentum quod corpus reddit robustum*, et مُسكَة *robustus, validus*, mallet per מַשְׁכִּים *robustos* designari. Sed quum res, de qua agitur, suadeat, vatem epitheto usum esse, quo libido, aut ejus explendae studium notetur, nos in versione sequuti sumus Simonis in *Lexico* sub rad. השׁכים propositam sententiam, מַשְׁכִּים esse Pluralem Participii Hiphil a Singulari מַשְׁכֶּה a radice inusitata שָׁכָה, significatum obtinente Aethiopici שכי *oberravit, vagatus est*, quod bene quadrat tum in equos indomitos oestroque venereo percitos, tum in homines libidine aestuantes. Neque tamen improbandum quod Hebraei fere מַשְׁכִּים habent pro Participio Hiphil verbi השׁכים *mane surgere*, quo saepe significatur aliquid serio et summo studio agere, ut apud Nostrum infra VII, 13. 25. XI, 7. XXI, 3. 4. Zeph. III, 7. Quemadmodum igitur Jesaj. V, 11. intemperantes illi ad potandum dicuntur *mane surgere*, ita hic summopere libidinosi ad scortandum. Nec obstat, quod Participium hic est singulare, Verbum, הָיוּ, plurale, quum id in distributivo sermone frequens sit, vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 713. 3. *a.* Potest igitur locus plene ita reddi: *equi bene pasti* sunt, quorum quisque *mane surgit* exitque ad libidinem explendam. Sic et in altero hemistichio nomen singulare אִישׁ *vir*, unusquisque, jungitur verbo plurali יִצְהָלוּ *hinniunt* ad uxorem proximi. Non est igitur, cur מַשְׁכִּים per syncopen scriptum pro מַשְׁכִּימִים sumamus, uti voluit J. D. Michaelis, aut מַשְׁכִּימִים e codice Regiomontano secundo in textum recipiamus. Libido equorum maxima celebratur a veteribus, vid. e. g. Vir-

Virgilii *Georg.* III. 250 feqq., unde Graeci voce *ἱππόβινες* hominem fignificant ad infaniam usque libidinofum vid. Drusii *Proverb.* II. 4. 36. Hinnitum porro libidinis teftem effe conftat, vid. Sirach XXXIII, 6.

9. הַעַל־אֵלֶּה לוֹא־אֶפְקֹד *Num propter haec*, tot et tanta malefacta, *non animadvertam?* לְאַיְתָאָה עֲלֵיהוֹן בִּישְׁתָא *adducendo contra eos malum*, uti Chaldaeus addit.

10. Hortatur nunc Jova Hebraeorum hoftes, ut mandata ipfius de poenis populo ingrato irrogandis ftrenue exfequantur. עֲלוּ בְשָׁרוֹתֶיהָ *Afcendite* igitur *muros ejus,* Hierofolymae. שָׁרוֹת Kimchi notat effe pluralem formae femininae nominis שׁוּר, in fingulari formam mafculinam habentis, mutato praeterea Cholem in Camez, ut a יוֹם eft יָמִים, a ראשׁ fit רָאשִׁים. Aliis שָׁרוֹת funt *ordines vitium* (ob fequens נְטִישׁוֹת *propagines)*; vid. Hackmanni *Praecidanea SS.* p. 62. In editione Stephaniana Bibliorum in folio minore legitur בְשִׂרוֹתֶיהָ, per *Sin,* typothetae haud dubie errore. Id tamen cupide arripiens J. D. Michaelis duplicem, et uti fibi videtur, concinniorem vulgari interpretationem admittere exiftimat, alteram hanc: *afcendite in immaturos fructus ejus,* collato Arabico بُسْر, quod *dactylos immaturos* fignificat, ut ב fit radicale; cui tamen ipfe orthographiam obftare dicit, quum Hebraei per *Samech,* בֹּסֶר fcribere foleant, vid. infra XXXI, 29. Alteram hanc: *afcendite contra colocynthides ejus* (vitem agri Hebraeorum), collato شَرِيَّة et شَرْي *colocynthis.* „Sic," addit, „bene quadrabit fequens, ubi propagines hujus vitis non effe Dei, fed fpuriae, dicuntur." Verum ut taceamus, fupra II, 21. Michaelem *colocynthidem* Hebraice סוּרִיָּה fcribi voluiffe, nec certum effe, Arabicum شَرِيَّة fignificare illam plantam (cf. not. ad II, 21.); plane inconcinna eft phrafis *contra colocynthides afcendere.* שָׁרוֹת veteribus interpretibus omnibus funt *muri.*

muri. Clarissime Syrus vertit: ܣܩܘ ܒܫܘܪܝܗ *ascendite in muros ejus.* Chaldaeus: סַקוּ בְקִרְוָהָא *ascendite in urbes ejus.* Alexandrinus: *ἀνάβητε ἐπὶ τοὺς προμαχῶνας αὐτῆς.* Hieronymus: *ascendite muros*, sive *propugnacula ejus.* וְשַׁחֵתוּ *Et perdite.* Alexandrinus eleganter *κατασκάψατε diruite* vertit. וְכָלָה אַל־תַּעֲשׂוּ *Sed consumtionem*, s. *finem, ne faciatis*, i. e. populum tamen non exstirpetis penitus, ut supra IV, 27. Sed ut eo loco, ita et hic, Leistius verba sic intelligit: *non faciatis finem* scil. vastationi. Eodem modo ante eum Junius: „ne his quidem rebus gestis existimate vos consummavisse judicia mea; plura et mihi et vobis restabunt facienda." Et Grotius: „Ne satis hoc putate, sed omnem gentem de terra hac tollite." Sed vulgo receptum sensum tuetur locus Levit. XXVI, 44., ubi promittit Deus, se populum Hebraeum numquam ita confici permissurum, ut populus esse desinat. Quo eodem pertinet, quod vates addit: הָסִירוּ נְטִישׁוֹתֶיהָ *removete propagines ejus*, trunco relicto, unde futuro tempore novi surculi repullulaturi sint. Cf. Jesaj. VI, 13. *Sicut in terebintho aut quercu, quibus caesis truncus tantum superest*, ita *semen sanctum erit ille truncus.* Hoc tamen loco tale quid non subjungitur, quia tollendarum propaginum ratio additur haec: כִּי לוֹא לַיהוָֹה הֵמָּה *neque enim Jovae illi sunt*, quem dereliquerunt idola colendo, quare ille eos non curat. Chaldaeus: אֲרֵי לָא רַעֲוָא קֳדָם יְיָ בְּהוֹן *quia Deus eis non oblectatur.* Sensu contrario posterius hemistichium reddit Alexandrinus: *ὑπολίπεσθε τὰ ὑποστηρίγματα αὐτῆς, ὅτι τοῦ Κυρίου εἰσί*, *relinquite sustentacula ejus, quia Domini sunt.* Pro הָסִירוּ interpres legit, recte monente Schleusnero, הַשְׁאִירוּ, et לוא non expressit. Per *ὑποστηρίγματα* interpres videtur *fundamenta* intellexisse, quomodo Syrus vertit: ܫܒܘܩܘ ܫܬܐܣܝܗ *relinquite fundamenta ejus.* Ea נְטִישׁוֹת dicta forsan hinc putavit quod latius sese extendunt quam culmina murorum, nisi

שְׁחוֹתֶיהָ

שְׁתוֹתֶיהָ legerit, vid. Pf. XI, 3. Jefaj. XIX, 10. Chaldaeus נְטִישׁוֹתֶיהָ reddidit בִּירָנְיָתְהָא *palatia ejus*, quae poëtice urbis five murorum ejus *propagines* dicta exiftimavit. Quidam ex Hebraeis נְטִישׁוֹת *eminentias* murorum, quas pinnas vocamus, fignificare rati funt. Multo minus probandus Gussetius, cui נְטִישׁוֹת funt munimenta et propugnacula extra muri ambitum excurrentia, ramorum inftar; parum profecto huic loco congruenter. Sed, ut infra XLVIII, 32., ita et hic per metaphoram, per *propagines* urbis indicantur ejusdem incolae.

12. כִּחֲשׁוּ בַּיהוָה *Abnegant Jovam*, negant eum exiftere, ut Jefaj. LIX, 13. Jos. XXIV, 27. Quod difertius ftatim ita exprimit: וַיֹּאמְרוּ לוֹא־הוּא *et dicunt: non eft,* fcil. Jova. Alii: *non eft* is, qualem defcribunt prophetae. Quod pro lubitu fupplent. Alii: *non* erit *illud*, quod praenunciant prophetae. Ita Alexandrinus: οὐκ ἔστι ταῦτα. Hieronymus duplicem verfionem conjunctam habet: *non eft ipfe*, *five non funt haec*. Chaldaeus: לָא מִן קֳדָמוֹהִי אָתְיָא עֲלָנָא טָבְתָא *non venit ab eo nobis bonum*. Venema: *dicunt: nihil hoc eft*, quod fcil. Jovam abnegant; nullius hoc effe momenti, nihil inde metuendum mali effe opinantur, quod Jovae cultum debitum denegant.

13. וְהַנְּבִיאִים Chaldaeus interpretatur נְבִיאֵי שִׁקְרָא *prophetae falfi*, ut hic Verfus contineat verba vatis, falfos prophetas perftringentis. Sed Verfus proximus oftendit, continuari hoc commate orationem impiorum, minas prophetarum irridentium. Ita recte jam Hieronymus: „Nec famem fuftinebimus obfidionis, et quidquid loquuti funt prophetae, in ventum loquuti funt, et irrita omnia tranfierunt.“ Quod fequitur, וְהַדִּבֵּר אֵין בָּהֶם, plures fic vertunt: *et qui loquatur* fpiritus divinus, *non eft in iis*, quafi Articulus ה pofitum fit loco Pronominis relativi אֲשֶׁר, ut Jos. X, 24. 1 Chron. XXVI, 28. (cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 654. 5. 2.). Rectius alii דִּבֵּר habent pro nomine formae קְטֵל, qualia funt קִטֵּר *fuffimentum*, in-

infra XLIV, 21., כִּסֵּא *thronus*, חֲבַל *malus;* cf. not. ad Hos. I, 2., ubi hoc ipsum nomen דִּבֵּר in statu regiminis legitur. *Verbum* vero hic intelligitur *divinum*, quod impii illi veris prophetis inesse negant. Recte Alexandrinus: *καὶ λόγος Κυρίου οὐχ ὑπῆρχεν ἐν αὐτοῖς.* Hieronymus: „Nec habuerunt responsum, sive sermo Dei non fuit in illis." כֹּה יֵעָשֶׂה לָהֶם *Ita fiet* s. *fiat eis*, J. D. Michaelis sic interpretatur: „Sed quidquid sibi sperent, certo tamen certius Deus ea implebit, quae per prophetas praedixit." Verum sensum indicavit Grotius: „in ipsorum capita recidant tristes illae ominationes. Hucusque verba impiorum."

14. יַעַן דַּבֶּרְכֶם אֶת־הַדָּבָר הַזֶּה *Propterea quod haec loquuti estis*, sunt verba prophetae. Dei prophetam alloquentis sermo incipit altero Versus hemistichio: הִנְנִי נֹתֵן דְּבָרַי בְּפִיךָ לְאֵשׁ *en! ego do verba mea in ore tuo in ignem*, i. e. quae illis meo jussu denuncias mala evenient eosque brevi consument, ut ignis consumit ligna. Simili modo certe eventura esse quae divino jussu denunciaturus sit vates mala, declaratur supra I, 10.

15. Quae futura sint illa mala, quibus consumendus sit populus, jam exponit. הִנְנִי מֵבִיא עֲלֵיכֶם גּוֹי מִמֶּרְחָק *En! ego adduco contra vos populum e longinquo*, quod ipsum praecepta divina neglecturis minatus est Moses Deut. XXVIII, 49. Hic vero populus ille barbarus, cui Jova poenas Judaeis irrogandas exsequi demandavit, disertius describitur. Populum illum, quo Chaldaicum intelligi vix est dubium, vocat אֵיתָן, quod proprie *perennem* denotat, uti docuit A. Schultens in *Origg. Hebrr.* L. I. Cap. 8. ex Arabico وتن *perennnis fluxit aqua.* Populum *perennem* vero J. D. Michaelis existimat esse *non recentem, ut torrentes ex imbribus collecti, ortum, sed antiquum, perpetuo rivo comparandum.* Sed quum proximum גּוֹי מֵעוֹלָם *populum antiquum* denotet; ingrata foret *ταυτολογία*, si אֵיתָן idem significaret. Recte

Jar-

Jarchi nostrum אֵיתָן per תַּקִּיף *validum, fortem* exposuit, nam quae perennia sunt et per longum tempus durant, eadem sunt valida. גּוֹי מֵעוֹלָם *Populum antiquum*, qui a multis retro seculis famosus est propter bellandi peritiam. Hieronymus: „*Gentem antiquam*, cujus quondam dominatus est Nimrod gigas.“ Verba גּוֹי אֵיתָן הוּא גּוֹי מֵעוֹלָם הוּא in Alexandrina versione omissa sunt. „Suspecta,“ inquit J. D. Michaelis, „quodammodo sunt verba, quod descriptioni Chaldaeorum Jesaj. XXIII, 13. contraria videntur.“ Cui dubitationi tamen Michaelis ipse jam occurrerat in *Spicil. Geogr. Hebraeor. ext.* P. II. p. 82., ubi haec scripsit: „Recens Jesajae est populus Chaldaeorum, nec antea fuit. Id quidem de Chaldaeis universim dici nequit, Abrahami jam tempore inclytis, et quorum summam antiquitatem laudat Jeremias V, 15.; at potuerunt in Chaldaea *prope Babylonem* novi et recentes esse, videturque colonia eorum, Nomadum antea errantium, certas ibi sedes ab Assyriorum regibus paulo ante Jesajam accepisse.“ Venema hic non solum Chaldaeos intelligit, sed maxime Scythas, quorum in Asiam, Aegyptum usque, irruptionem describit Herodotus L. I. Cap. 105. 106. Sed vid. de hac sententia, quae diximus supra p. 137. גּוֹי לֹא תֵדַע לְשֹׁנוֹ *Populum cujus non intelliges linguam*, id quod auget mali gravitatem, „est enim malorum solatium, si illos habeas hostes, quos possis rogare, et qui tuas intelligant preces.“ Hieronymus.

16. אַשְׁפָּתוֹ כְּקֶבֶר פָּתוּחַ *Pharetra ejus est ut sepulchrum apertum.* „Non valde placet haec sententia. Vix enim videtur pharetra commode comparari sepulchro posse, quippe in quam non incidunt caesi, sed ex ea tela sumuntur. Fortasse scripsit propheta שְׂפָתוֹ *labium ejus*, quod ex commate sequente colligere licet. Syrus certe *guttur* vertit.“ J. D. Michaelis. Conjectura non modo supervacanea, verum quae et horum verborum vim plane enervat. Eorum sensum optime declaravit Grotius hisce verbis: „Sicut in uno sepulchro plures sunt mortui, sic

et

et una Chaldaei pharetra multos dabit mortuos.“ Similiter Kimchi: „Sicut fepulchrum devorat homines, ita Chaldaeorum pharetrae promte letiferis fagittis eosdem abfumunt. *Sepulchrum patens* eft quod excipiendis mortuis eft paratum.“

17. וְאָכַל *Devorabit* hoftis. Chaldaeus prius hujus Verfus hemiftichium ita reddit: *Diripiet meffem tuam, et cibum tuum, necabunt filios tuos tuasque filias, abducet ovillum et bovillum tuum pecus, diripiet fructus vitium tuarum et ficuum.* De verbo רָשַׁשׁ *destruere* cf. not. ad Mal. I, 4. Recte Chaldaeus יְפַגֵּר *demolietur* vertit. Alexandrinus: *ἀλοήσουσι, triturabunt,* quafi יְדֻשׁ, a דוּשׁ, legiffet, quod aliis locis eodem illo Graeco verbo interpretes illi reddere folent. Arabicus interpres, qui alias Graecam Alexandrinam verfionem exprimit, hic tamen vertit يُسْتَأْصِلُونَ *radicitus evellent,* quafi יְרֹשֵׁשׁ per literarum metathefin pro יְשָׁרֵשׁ pofitum exiftimaffet. Hemiftichii fecundi verba Jarchi hoc modo ordinanda jubet: יְרֹשֵׁשׁ בֶּחָרֶב אֶת־עָרֵי מִבְצָרֶיךָ אֲשֶׁר אַתָּה בֹּטֵחַ בָּהֵנָּה *diruet gladio*, bello, *urbes tuas munitas, quibus tu confidis;* חֶרֶב autem *exercitus hoftilis* indicare dicit, uti Levit. XXVI, 6. וְחֶרֶב לֹא־תַעֲבֹר בְּאַרְצְכֶם *gladius non pertransibit terram veftram.*

18. Malorum comminationem iterum, ut fupra Vs. 10. IV, 27. mitigat Jova hac promiffione, fe non ad unum omnes exftirpaturum, fed reliquias fupereffe curaturum, fuo tempore reftituendas. Sed fenfu plane contrario Grotius, uti fupra Vs. 10. ita et hic fenfum hunc effe ait: „nondum abftinebo punire vos; quod reftat eft longa fervitus, de qua jam aget.“ Similiter Leistius, qui verba fic exponit: *„diebus illis calamitofis finem*, fervandae veftrae reipublicae caufa alias forte a me ftatuendum, *non faciam*, i. e. haud arctiora reddam conceffi Babyloniis ad depopulandam Palaeftinam temporis fpatia; five: nul-

nullum vobis contra hostes feram auxilium neque impediam, quo minus tam diu furori suo indulgeant, donec prorsus devastata atque perdita sit vestra patria." Ad quam interpretationem comprobandam monet, יָמִים hoc loco, uti Ps. XXXVII, 13. CXXXVII, 7. *dies* esse *fatales et calamitosos*, praefixumque huic nomini ב se pro mera Dativi nota habere, ut Cohel. II, 24., quod vero אִתְּכֶם שֶׁי inest אֵת Dativum commodi exprimere, ut Jesaj. LXVI, 14. Hos. III, 1. Zachar. VII, 9., ut אִתְּכֶם valeat: *ad vestram salutem*, s. *vindicandae vestrae salutis causa*. Quae quam coacta sint, et usui Particularum ב et אֵת repugnantia, unusquisque intelliget ipse.

19. כִּי תֹאמְרוּ *Si dixeritis;* utitur secunda persona, per communicationem pro: *si dixerit populus tuus*. וְאָמַרְתָּ אֲלֵיהֶם *Et dices ad illos.* Oratio subito vertitur ad prophetam, et de Judaeis, quos modo alloquutus erat Deus, in tertia persona fit mentio. Subaudienda est formula, saepius omissa: *dixit mihi Jova.* Ceterum Jova se cum Judaeis jure talionis agere ait: juxta se enim ponuntur hic *Dii peregrini* et *populi peregrini*, *terra propria* et *terra aliena*.

20. הַגִּידוּ זֹאת *Nuntiate hoc*, vos omnes, qui hoc auditis." Kimchi. Est imperfonaliter capiendum: *nuncietur hoc.*

21. Summa populi obsurdescentis vecordia iisdem verbis Deut. XXIX, 3. Jesaj. VI, 9. describitur.

22. Duo proponit Jova argumenta, cur debeatur sibi reverentia, omnipotentiam, in eo conspicuam, quod mobili ac tenui arena impetuosum mare coërcet, et benignitatem in dandis pluviis et temporibus frugiferis, Vs. 24. וַיִּתְגָּעֲשׁוּ *Ita ut, quamvis commoveant se* scil. גַּלָּיו *fluctus ejus*, quod sequitur. וְלֹא יוּכָלוּ *Non tamen praevaleant* ad perrumpendum terminum.

23. סָרוּ וַיֵּלֵכוּ *Refragantur euntque*, i. e. continuo magis magisque refragantur, cf. not. ad Genes. VIII, 3.

24.

24. De יוֹרֶה וּמַלְקוֹשׁ *pluvia prima et serotina* vid. supra ad III, 3. Pro וְיוֹרֶה Masorethae ad marginem praecipiunt legi sine copula, quasi יוֹרֶה esset Adjectivum nominis גֶשֶׁם Sed recte Ludov. de Dieu: „At non dubito, quin τὸ כתיב rectum sit, et mens prophetae, Deum dare primo pluviam in genere, quae toto anni tempore ad quosvis usus hominum, animalium et plantarum necessaria est, deinde etiam certis anni temporibus tempestivam et serotinam in usum frugum, quod et Kimchius recte animadvertit." Gaabius observat, retento ו ante יורה vertendum esse: *dans pluviam tum primam, tum serotinam*; illo vero omisso ita: *dans pluviam, primam* nimirum *et serotinam.* שְׁבֻעֹת חֻקּוֹת קָצִיר יִשְׁמָר־לָנוּ *Hebdomadas* videlicet *statuta messis servat nobis,* „i. e. septem hebdomadas a die XVI Nisan usque ad festum Pentecostes, quibus messis per totam Palaestinam peragebatur, et inter quas singulari beneficio divino nullae pluviae Palaestinae immittuntur, messoribus obstiturae. Cf. 1 Sam. XII, 15. et Russel's *Natural History of Aleppo* [P. I. p. 90. vers. teuton.]. Ἑβδομάδας hic recte verterunt Aquila, Symmachus et Chaldaeus. Alii per *Sin* extulerunt שְׂבֻעוֹת, et *saturitatem*, i. e. abundantem messem intellexerunt. LXX. κατὰ καιρὸν πληρώσεως προστάγματος θερισμοῦ, i. e. dat nobis pluviam usque ad tempus statutum plenae messis. Vulgatus: *plenitudinem annuae messis custodientem nobis.*" J. D. Michaelis. Sunt, qui שבעות *jurajuranda* interpretentur. Ita Ludov. de Dieu: „*Juramenta statutorum messis servat nobis,* i. e. jurata statuta messis, sicut juravit Genes. IX, 1. (al. VIII, 22.)" Quam interpretationem vindicare studuit J. C. Schultze in Dissert. *de sacrosancto jurisjurandi divini in observando messis ordine fide, ad Jerem.* V, 24. Viteberg. 1755. Verum de jurejurando laudato Geneseos loco nil legitur.

25. עֲוֹנוֹתֵיכֶם הִטּוּ־אֵלֶּה *Scelera vestra declinare fecerunt haec*, i. e. a regula, ordine, via, quam quidem illis

illis praescripseram, uti nonnulli exponunt. Mallem, cum J. D. Michaelis: „peccata vestra effecerunt, ut haec bona, pluvia tempestiva, et coeli serenitas tempore messis, per aliquot annos vobis non contingerent, id quod clare docet membrum parallelum, מָנְעוּ הַטּוֹב מִכֶּם *cohibuerunt bonum illud a vobis.*" Ita et Jarchi: „*Peccata vestra averterunt* a vobis statuta illa messis, in causa sunt, cur ego ea vobis non custodiam, ut vos fame consumamini."

26. כִּי־נִמְצְאוּ בְעַמִּי רְשָׁעִים *Nam inveniuntur in populo meo impii.* „Non puto," inquit J. D. Michaelis, „hunc sensum esse: *aliquos tantum in populo inventos malos esse,* hoc enim quis aliter vel sperare audeat in magno populo? sed perambulata urbe, et inquisitione facta (Vs. 1.), nullos inventos esse, nisi injustos, aliorumque oppressores." יָשׁוּר *Speculatur,* i. e. insidiatur unusquisque eorum. Ita Jarchi recte per יארוב hoc verbum exponit; quo eodem significatu et Hos. XIII, 7. legitur, ad quem loc. cf. not. Fuisse olim codices, in quibus יָשִׁיר, per *Jod,* existeret, ex hisce Hieronymi verbis colligere licet: „Quodque nos diximus: *insidiantes quasi auceps,* et in LXX. non habetur, Aquila et Symmachus transtulerunt *Jasir quasi rete aucupis,* quod etiam qui bonus inter eos videtur et rectus, instar aucupis tendat insidias." Sed *rectum* Hebraice יָשָׁר dici constat. In codice Syro-Hexaplari illa ab Hieronymo memorata Aquilae et Symmachi interpretatio haud comparet; cf. Spohnii ad h. l. not. In explicandis verbis כְּשַׁךְ יְקוּשִׁים dissentiunt interpretes. שַׁךְ quidem esse constat Infinitivum verbi שָׁכַךְ, formae רַד, Jesaj. XLV, 1., ubi cf. not. Sed quum verbum illud *residere, quiescere, cessare* denotet (vid. Genes. VIII, 1. Esth. II, 1. VII, 10.); quaerunt, qua ratione ea significatio huic loco, ubi de aucupio agitur, sit accommodanda. Ludov. de Dieu locum hunc in modum interpretatur: „Tam improbi inveniuntur in populo meo, ut nunquam cessent occasiones nocendi explorare; ipsis au-

aucupibus avidiores ſunt, qui tempora ſua habent, quibus quiescant. Nam neque noctu, neque omnibus anni tempeſtatibus venari poſſunt, nec volunt; habent ſua tempora, quibus avibus parcant. At hi numquam quiescunt, ſed ſemper ſpeculantur et obſervant.“ Cui interpretationi et Gaabio probatae, nescio annon ſit praeferenda haec a Gussetio (ſub rad. שָׁכַךְ) propoſita: „*Speculatur* improbus quisque populi mei *ut aucupum quieſcere*, h. e. ut id aucupes faciunt, quando ſedati ac immoti tacitique ſedent, exſpectantes, num avis aliqua in retis ſeſe induat, nolentes eas inde avertere ſtrepitu.“ Magis tamen placet C. B. Michaelis interpretatio: *ſecundum deſidere*, i. e. ſicut per inſidias deſidunt *aucupes*. Nihil eſt, quod obvertit filius, Jannes Davides, שָׁכַךְ proprie de ſubſidente aqua dici; quidni enim et de hominibus humi deſidentibus ut inſidientur et obſervent potuit uſurpari? Minus congruit, quod ipſe שַׂךְ h. l. nomen eſſe vult, quod Num. XXXIII, 55. Iob. XL, 31. *ſpinas*, *hamos* et alia acuta denotet, ab Arabico شَكَّ *transfixit haſtâ*, unde شَكْشَكَةٌ *arma acuta*. Hinc noſtro loco palum indicari putat a venatore in decipula occultatum, in quem fera ſe infigat. Verum illud Arabico conveniens nomen hebraicum utroque, et Numerorum et Iobi loco, ſcribitur per *Sin*. Nec in aucupio illiusmodi palorum eſt uſus. Quod quum ſignificationi, quam voci שַׂךְ tribuit, obſtare videret Michaelis, יָקוּשׁ non hic *aucupem* proprie ſic dictum intelligere mallet, ſed *venatorem*. Is [illegible] hebraice dicitur צַיָּד, vid. infra XVI, 16. Hinc addit Michaelis: „Si tamen malis in propria *aucupis* ſignificatione acquieſcere, illum intelliges, qui aquilas, accipitres, milvos capit, quibus ſaepe aculeus ponitur, in quem ſe infigant.“ Sed ad rariorem hunc alites rapaces capiendi modum, Hebraeis forſan ne uſitatum quidem, vatem alluſiſſe parum eſt credibile. הִצִּיבוּ מַשְׁחִית *Statuunt perden-*

dentem, scil. laqueum, seu decipulam. Sic de instrumento ad perdendum מַשְׁחִית et Ezech. XXI, 36. legitur. Graecus Alexandrinus voces כְּשַׁךְ יָשׁוּר omisit, יְקוּשִׁים conjunxit cum הִצִּיבוּ, et מַשְׁחִית cum אֲנָשִׁים, unde haec prodiit versio: παγίδας ἔστησαν διαφθεῖραι ἄνδρας, καὶ συνελαμβάνοσαν. Rectius Hieronymus: *Insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes et pedicas ad capiendos viros.*

27. De כְּלוּב, *cavea* reticulari forma contexta, qua continentur captae aves, vid. not. ad Amos. VIII, 1. מִרְמָה Kimchi recte explicat ממון מקובץ במרמה *opes dolo concervatas* s. *partas.*

28. שָׁמְנוּ עָשְׁתוּ *Pingues sunt nitent*, s. pinguefacti nitent, Chaldaeus recte עֲתָרוּ אַף קְנוֹ נִיכְסִין *divites sunt, et pararunt opes* interpretatur. Verbum עָשַׁת Hebraei *nitere* significare statuunt collato Cant. V, 14., ubi עֶשֶׁת שֵׁן est *nitor eboris.* Pinguedo, ut bene Kimchi notat, cutem reddit nitentem. J. D. Michaelis adhibito *cogitandi, fabricandi* significatu, quo עֲשַׁת Chaldaeis est frequens, vertit: *cogitant*, vel *fabricant*, nempe quae deinde sequuntur, דִּבְרֵי־רָע *res malas.* Ita et Gaabius: *pinguefacti sunt*, i. e divites et potentes evaserunt, et tamen nihil *meditantur* nisi malum. Priorem illam interpretationem poscunt Accentus, qui voces שָׁמְנוּ עָשְׁתוּ arcte jungunt et ab iis, quae sequuntur, dirimunt. Verba גַּם עָבְרוּ דִבְרֵי־רָע *etiam transeunt res mali*, i. e. malas, s. malum, דִּבְרֵי redundante, ut infra VII, 22. דִּבְרֵי עוֹלָה, Jarchi ita exponit: si iis occasio ad malum faciendum obveniat, non recedunt ab eo, sed transeunt ad illud perpetrantque. Haud satis commode. Melius Kimchi: „Non contenti divites esse, et rapinam ac violentiam exercent, ita ut transeant omnia facta mali hominis (עד שעברו כל דברי איש רע), quasi dicat: pejores sunt aliis malis hominibus, antecellunt iis in pravitate.“ Similiter C. B. et J. D. Michaelis: *transcendunt mala*, i. e. enormiter et supra modum peccant. Id Dathius sequutus

nec modum statuunt scelerum vertit. Junius: *Etiam transscendunt res malas*, i. e. non vincuntur adversitatibus, sed eas superant. Quod quaesitum. Ludov. de Dieu רַע quidem, ut Kimchi, ad personam refert, nec tamen impium, sed *tristem*, *miserum* et *afflictum* significare putat, eodem sensu quo dicuntur פָּנִים רָעִים *facies malae*, i. e. tristes, Genes. XL, 7, et פָּרוֹת רָעוֹת *vaccae attenuatae*, macilentae (addere potuisset לֵב רַע *cor moestum*, Prov. XXV, 20. Nehem. II, 2.). Hinc ita verba hebraea vertit: *etiam praetereunt res afflicti*, i. e. divites facti miserorum et afflictorum res tractare non dignantur, sed eas praetereunt et superciliose contemnunt, quod sequentibus explicatur: *judicium non judicant* rel. Alio modo vertit Chaldaeus: אַף עֲבַרוּ עַל פִּתְגָּמֵי אוֹרָיְתָא עֲבַדוּ דְבִישׁ *etiam transgressi sunt verba legis, fecerunt malum.* Quem sensum verba hebraea admittunt, si דִּבְרֵי capias pro בְּדִבְרֵי, ut ad verbum sit: *transgressi sunt* scil. legem *rebus malis*, i. e. faciendo res malas. Graecus Alexandrinus simpliciter vertit καὶ παρέβησαν, omissis verbis דִּבְרֵי־רָע. Conjungit igitur cum sequente דִּין, καὶ παρέβησαν κρίσιν, consentientibus Syro et Arabe. Sed verba דִּבְרֵי־רָע exprimunt Symmachus, Theodotio et Hieronymus, qui sic vertunt: παρέβησαν τοὺς λόγους μου εἰς πονηρὸν, *praeterierunt sermones meos pessime.* Legerunt דְּבָרַי, quod J. D. Michaelis masorethico דִּבְרֵי praeferendum putans, locum sic vertit: *cogitarunt* (עָשְׁתוּ) *et transgressi sunt verba mea ad malum*, i. e. deliberato migrarunt leges meas. Verum sententiam, quam constituunt verba textus recepti, ex interpretatione Kimchiana, multo esse graviorem et exquisitiorem vulgari illa et quotidiana sententia, quam Michaelis probat, nemo fuerit, qui non sentiat. דִּין לֹא־דָנוּ דִּין יָתוֹם *Judicium*, causam *non judicant, causam*, inquam, *pupilli.* וְיַצְלִיחוּ *Et tamen prospere agunt*, impune jus negligunt, nemine puniente aut objurgante. Minus congrue Jarchi: *ut prosperentur*, ut bene sit scil. pupillis. Nec quem

Chal-

Chaldaeus reddit fenfum ferunt verba hebraea: וְאִלּוּ הֲווֹ דַיְּנִין דִּין יְתַמָּא הֲווֹ מַצְלִיחִין *fi judicaffent caufam pupilli profpere egiffent.* Alexandrinus וְיַצְלִיחוּ non expreffit. Hieronymus et Syrus, repetito ex antecedente לֹא, fic vertunt: *caufam pupilli non dixerunt.* וּמִשְׁפַּט אֶבְיוֹנִים לֹא שָׁפָטוּ *Et judicium pauperum non judicant.* „Aut jus illis non reddunt, aut prave judicant. Eas autem perfonas maxime nominat Deus, quae per fe impotentes publici auxilii maxime egent.“ Grotius.

29. Repetit interrogationem fupra Vs. 9. propofitam.

30. שַׁמָּה וְשַׁעֲרוּרָה נִהְיְתָה בָּאָרֶץ *Stupor et horror,* i. e. res ad quam ftupeas et cohorrescas, *fit in hac terra.* Intelligit quod Verfu proximo dicit.

31. הַנְּבִאִים נִבְּאוּ בַשֶּׁקֶר *Prophetae, vaticinantur cum mendacio,* i. e. vana et falfa proferunt meo nomine, a me edoctos fe effe mentiuntur, vid. infra XIV, 15. XXIII, 25. 26. Ezech. XIII, 6. Verba, quae fequuntur, וְהַכֹּהֲנִים יִרְדּוּ עַל־יְדֵיהֶם, modo non uno explicantur. Hieronymus: *et facerdotes applaudebant manibus fuis.* „Transtulit verba LXX. interpretum, quae tamen male intellexit. Sic legitur: *καὶ οἱ ἱερεῖς ἐπεκρότησαν ταῖς χερσὶν αὐτῶν.* Male Hieronymus legit *αὑτῶν.* Senfus eft: *et facerdotes plauferunt in manibus eorum,* nempe prophetarum: non enim legerunt יִרְדּוּ, fed יָרְדוּ, ad verbum: *et facerdotes defcenderunt in manus eorum,* id eft, affenfi funt falfis prophetis; affentiuntur enim, qui aliorum manibus applaudunt, et in eas quafi defcendunt. [Grabius edidit *ἐπεκράτησαν*, fed *ἐπεκρότησαν* exhibent, praeter Hieronymum, Arabicus interpres, codex Syro-Hexaplaris, Theodoretus, codex et Vaticanus et Alexandrinus.] Ut autem nunc legitur, יִרְדּוּ, eft a רָדָה, quod interdum *dominari*, interdum *capere* [ut Jud. XIV, 9] fignificat. Hinc alii [ut Kimchi]: *et facerdotes capiunt,* videlicet munera *per manus eorum* [aut: *fuper manus fuas*]. Alii: *dominantur per manus eorum,* id eft, ut vult Junius, operâ eorum, ut prophetae minifterium

praebuerint ſacerdotibus ad dominium eorum amplificandum. [Similiter J. D. Michaelis: *ſacerdotes per prophetas dominantur,* nempe dum falſorum prophetarum vocibus populum regunt, et ad quaevis obſequia adigunt.] Id autem Hebraei potius dicerent בִּידֵיהֶם, hoc enim eſt *per manus eorum,* et miniſterium plerumque denotat. At עַל־יְדֵיהֶם proprie eſt: *ſecundum manus eorum, juxta eos.* עַל־יַד paſſim pro *juxta,* Exod. II, 5. Num. XIII, 29. Jos. XV, 15., ut et apud Syros ܥܰܠ ܝܰܕ ܝܰܡܳܐ eſt *κατὰ τὴν θάλασσαν.* Hinc quando de perſonis dicitur, uſurpatur ſaepe de eo, juxta quem quis ita eſt, ut manum ejus, id eſt, ductum, regimen et nutum ſequatur. Sic 1 Chron. XXV, 2. dicuntur conſtituti filii Aſaphi, ut eſſent עַל־יַד אָסָף הַנִּבָּא עַל־יְדֵי הַמֶּלֶךְ *ſub ductu Aſaphi, qui prophetabat ſub ductu regis,* ut et Vs. 3. filii Jeduthun et Vs. 6. filii Heman dicuntur fuiſſe עַל־יְדֵי אֲבִיהֶם *ſub ductu patris ſui in cantu domus Jovae;* ubi et Aſaph, Jeduthun et Heman dicuntur fuiſſe עַל־יְדֵי הַמֶּלֶךְ *ſub ductu regis.* Dicitur et de eo, juxta quem quis ordine ſaltem eſt, ut praeeuntem ordine ſequatur. Sic 2 Chron. XVII., ubi principes Joſaphati ordine recenſentur, Vs. 14. primus nominatur *Adna,* deinde עַל־יָדוֹ יְהוֹחָנָן *poſt eum Joannes,* וְעַל־יָדוֹ עֲמַסְיָה *et poſt eum Amaſia,* ut recte vertit Vulgatus. Junius: *et ſecundum eum.* Eandem phraſin in ordinibus Levitarum vide 2 Chron. XXXI, 15., et in ordinibus eorum, qui unus poſt alium reſtaurationi templi incumbebant Nehem. III, 2. 4. 5. Ita et hoc loco capio, ubi primo loco collocantur prophetae, qui mendaciter prophetabant, deinde adduntur ſacerdotes, qui עַל־יְדֵיהֶם *ſecundum manus eorum,* i. e. poſt eos, eorumque ductum et auctoritatem ſequentes, dominati ſunt. Sic interpretatur Jarchi. עַל־יְדֵיהֶם, inquit, eſt כלומר לאחריהם כמו וְהַמֶּלֶךְ עֹבֵר וְכָל הָעָם עֹבְרִים עַל־יָדוֹ *quaſi dicat: poſt eos, ſicut 2 Sam. XV,* 18. 23.: *Et rex transibat, et totus populus transibat poſt eum.* Sed et

Kim-

Kimchi adferens fententiam eorum, qui יִרְדּוּ hic capiunt ענין ממשלה fignificatione *dominii*, dicit עַל־יְדֵי הַנְּבִיאִים tum effe כרצונם *fecundum voluntatem eorum*, adeo ut non tam minifterium, quam auctoritas eorum hic indicetur, qua fulti facerdotes pro arbitrio funt dominati. Majoris enim auctoritatis erant prophetae, quam facerdotes, quia illorum extraordinarium, horum ordinarium erat munus. Aliam plane interpretationem dat Jonathan: וְכָהֲנַיָּא מְסַיְעִין עַל־יְדֵיהוֹן *et facerdotes juvant fuper manus fuas*, id eft, falfos prophetas quafi fuper manus fuas capiunt ut geftant, atque ita juvant eos. יִרְדּוּ fumpfit *capiendi* fignificatione: nec eft interpretatio quam dat inepta; imo vix aliam caperent verba, fi legeretur יִרְדּוּם *capiunt eos;* facile autem Affixum fubintelligitur. Tum fenfus eft, fummum inter falfos prophetas et facerdotes effe confenfum; hos illis non tantum non refiftere, fed et fupra manus fuas capere, ut tueantur et adjuvent. Id fane fimplicius eft, quam ut intelligas, accepiffe eos in manus fuas munera, quod voluit Kimchi." Ludov. de Dieu. Nos quidem haud dubitamus, priorem illam a Viro Doctiffimo ufu formulae עַל־יְדֵיהֶם fatis probatam interpretationem genuinum loci fenfum exhibere. Minus accurate eum Schnurrerus exponit hoc modo: accommodant, quae ipfi docent, prophetae, ad confilia facerdotum, quibus id unice conftitutum eft, ut fuam auctoritatem tueantur, et fuo, non publico, commodo inferviant. וְעַמִּי אָהֲבוּ כֵן *Et populus meus amat ita,* fe tractari, non illubenter fe decipi patitur. Schleusnerus ante אָהֲבוּ excidiffe לא fuspicatur, et כֵּן hic *rectum,* virtuti et probitati confentaneum, ut Exod. X, 29. Cohel. XIII, 10., fignificare exiftimat. Quam conjecturam merito improbat Schnurrerus. „Quid enim," inquit, „poffit magis ad illud apposite dici, quam hoc: et populus, qui meus effe debebat, amat hoc ita effe, fubintellecto הֱיוֹת ante כֵּן, hoc eft: libenter fe decipi patiuntur homines ifti a me abalienati." וּמַה־תַּעֲשׂוּ לְאַחֲרִיתָהּ *Ecquid vero*

fa-

faciatis ad finem ejus? tam ſtupendae et horrendae rei, שַׁמָּה וְשַׁעֲרוּרָה Vs. 30., ad quae nomina Suffixum femininum vocis poſtremae hujus Verſus referri vult KIMCHI. Sed rectius SCHNURRERUS: „In voce לְאַחֲרִיתָהּ femininum affixum habet locum neutrius, ut in מִמֶּנָּה, ſupra IV, 29. אַחֲרִית non eſt *finis* ipſe, ſed quod ſupereſt, ſive propius, ſive longius abſit, tempus. Verte: *quid demum poſthac facietis?* Duplicem hoc ſenſum ſuſtinet, ſive hunc, quem DATHIUS expreſſit: quousque tandem ruetis? ſive hunc: quid olim facietis, irruentibus divinis ſuppliciis." GROTIUS: *„Quid facietis poſthac?* i. e. quo non evadet iſta improbitas, niſi ego eam poenis repreſſero?"

CAP. VI, 1. Quia Judaeos obſtinatis animis in malitia perſeverantes non pungebant minae, nunc poenas quaſi ante oculos ſubjicit hoſtesque illas exſequuturos jam adventantes ſiſtit. Hortatur Hieroſolymitanos, ut agros ſuos et villas ſuas defenſum irent contra hoſtem appropinquantem. הָעִזוּ *Fugite!* ut ſupra IV, 6. „Male hic LXX. et Vulgatus: ἐνισχύσατε, *corroboramini!* Videtur quidem illis favere quod ſequitur, *medium Hieroſolymae;* verum non eſt בְּקֶרֶב, ut vertit Vulgata, ſed מִקֶּרֶב, conſentientibus cum impreſſa lectione non Syro modo et Chaldaeo, ſed ipſis LXX., ἐκ μέσου vertentibus. [Eſt quidem in verſione Syro-Hexaplari in margine, ut varians lectio, notatum: ἐν μέσῳ. Sed ſcite monet SPOHNIUS, ortum hoc videri ex correctione, quia ἐνισχύειν et ἐκ dure dictum eſt]. Sententia ergo haec eſt, ne in ipſa quidem Hieroſolyma tutos futuros eſſe Benjaminitas, obſeſſum iri urbem, adeoque fugiendum eſſe. Et tamen Hieroſolymam omnes confugiſſe videntur, in qua tolerarunt obſidionem." J. D. MICHAELIS. JARCHI voce הָעִזוּ vatem hortari Benjaminitas ait, ut exeant ad urbes ſuas cuſtodiendas et propugnandas. KIMCHI vero haec על דרך גחוכא *per ironiam* ſ. ſarcaſmum a vate dicta putat.

„Fu-

„Fugite," inquit, „ex Hierofolyma, quanto magis ex ceteris urbibus; quum et ipfa Hierofolyma futurum fit, ut capietur; nullus enim vobis relinquetur locus, quo confugere poffitis. Nifi hoc velit: fi quis vobis fit locus, quo fugiatis, eo fugite ex Hierofolyma, nam et haec capietur. Alloquitur Benjaminitas, qui Hierofolymae habitabant (pertinebat enim haec urbs ad utramque tribum, et Judam et Benjaminem), utpote fuos populares, quum et ipfe Anathotis, urbe tribus Benjamin, oriundus effet. Popularium vero magis quam aliorum infortunia dolemus." וּבִתְקוֹעַ תִּקְעוּ שׁוֹפָר *Et Thecoae clangite tubâ*, ut populus de adventu hoftis admoneatur, feque in tutiora loca recipiat, ut fupra IV, 5. De Thecoa, urbe tribus Judae, patria Amofi, prophetae, vid. not. ad Amos. I, 1. „Thecoae jubet clangendum, ut hofte jam circa Hierofolymam verfante aufugiant paftores in altiora deferta. Sita enim Thecoa ad initium deferti Arabici, ut ex Hieronymo in Amofum liquet: *ultra nullus eft viculus, ne agreftes quidem cafae .... usque ad mare rubrum.*" J. D. Michaelis. Chaldaeus תְּקוֹעַ non pro nomine loci proprio habuit, fed pro Infinitivo verbi תְּקַע, ut ad verbum fit vertendum: *clangendo clangite tubâ.* Sic enim ille: אֲרֵי קָל צְוָחַת קַרְנָא אִשְׁתְּמַעַת בְּאַרְעָא *nam vox clangoris tubae auditur in terra.* Sed interpretibus veteribus reliquis omnibus תְּקוֹעַ eft nomen loci proprium. Ceterum obferva paronomafiam in vocibus תְּקוֹעַ et תִּקְעוּ, qualis et eft in iis quae proxime fubjunguntur, וְעַל־בֵּית הַכֶּרֶם שְׂאוּ מַשְׂאֵת, in duabus ultimis vocibus. *Super Beth-Carem*, inquit, *erigite fignum!* בֵּית הַכֶּרֶם Hieronymus ad h. l. ait effe unum vicorum, quos quotidie oculis ipfe cernat, eum lingua Syra et Hebraica *Betha-Charma* nominari, et in monte pofitum effe. Sed Chaldaeo et hoc nomen, ut תְּקוֹעַ, eft nomen appellativum. Vertit enim haec verba ita: וְעַל בֵּית בִּקְעַת כַּרְמַיָּא זְקַפוּ עַמְמַיָּא סִמְוָתָא *fuper domo planitei vinearum erigite, populi, figna.* Kimchi quoque בֵּית הַכֶּרֶם *domum vi-*

neae

neae exiſtimat denotare turrim altam in mediis vineis ad eas cuſtodiendas exſtructam, qualis memoratur Jeſaj. V, 2. Sed pro nomine loci habuerunt jam Graeci interpretes, qui Βαιθαχαρμὰ poſuerunt; vid. quae modo ex Hieronymo attulimus. מַשְׂאֵת a נָשָׂא *ſuſtollere* in univerſum proprie *elationem* notat, hoc vero loco de ſigno militari in altum ſublato uſurpari patet. Quum id nomen Jud. XX, 38. 40. de *incendio* ſ. *flamma* aſcendente dicatur, poſſint hic ignes intelligi in altis locis accenſi, quibus hoſtium adventus ſignificetur, quales Graeci Φρυκτοὺς appellarunt. Eos Suidas ait eſſe faces e ligno factas, quas ſuper muros ferentes ſignificent vicinis aut ſociis cum vident hoſtes adventantes. Vegetius *de re milit.* L. III. Cap. 5. dicit, *ſi diviſae ſint copiae, per noctem flammis, per diem fumo ſignificari ſociis.* Plura vid. in Boothi *Animadverſſ. SS.* L. I. Cap. 11. et in Lydii *Syntagm. de re milit.* L. V. Cap. 3. p. 185. נִשְׁקְפָה *Proſpicit*, imminet, ut Jud. V, 28. 1 Sam. XIII, 18. מִצָּפוֹן *E ſeptentrione* imminere ait malum, ut ſupra I, 14., ad quem loc. cf. not.

2. Verba הַנָּוָה וְהַמְּעֻנָּגָה דָּמִיתִי בַּת־צִיּוֹן Hieronymus ſic vertit: *ſpecioſae et delicatae aſſimilavi filiam Sion.* Quod Syrus et plures recentiorum ſequuti ſunt. Verum *aſſimilare* verbum דָּמָה nonniſi in Piel notat, conſtruiturque tum per לְ aut אֶל, vid. Jeſaj. XL, 18. 25. XLVI, 5. Thren. II, 13. Cantic. I, 9. Recte Josephus Kimchi monuit, דָּמָה eſſe hic *exſcindendi* ſignificatu capiendum, quo Hos. IV, 5. legitur, ad quem loc. cf. not. נָוָה, alias *manſio, habitaculum, paſcuum*, quod tamen huic loco non convenit, eſt contracte pro נָאוָה, *pulchra, decora*, הַ vero huic loci et proximae praepoſitum eſt Vocativi nota, ut vertendum ſit: *o decora et delicata! exſcindam filiam Zionis*, i. e. te, loco Pronominis repetit Nomen, ut Genes. V, 1. XVI, 16., cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 741. No. 4. A noſtro textu hebraeo plane recedit verſio Graeca Alexandrina, quae talis eſt: καὶ

ἀφαι-

ἀφαιρεθήσεται τὸ ὕψος, θύγατερ Σιών. Pro הַמִּיתִי interpres videtur רָמוּת *alta* legiſſe, et pro הַמְּעֻנָּגָה, uti conjicit Spohnius, מְעֻבָּרָה, nam יַעֲבִרוּ *auferent* infra XI, 15. Graecus interpres reddidit *ἀφελοῦσιν*.

3. אֵלֶיהָ יָבֹאוּ רֹעִים וְעֶדְרֵיהֶם *Ad eam*, filiam *Zionis*, ſ. Hieroſolymam, *venient paſtores eorumque greges*, quibus hic duces hoſtiles cum exercitibus ſuis, omnia quaſi depaſturis ſignificari, res ipſa docet. רֹעִים *paſtores* ſaepius duces notare, notum, vid. ſupra III, 15. Chaldaeus: יֵיתוּן לַהּ מַלְכִין וּמַשִׁרְיָתְהוֹן *venient ad eam reges eorumque exercitus.* וְרָעוּ אִישׁ אֶת־יָדוֹ *Et depaſcent quisque manum ſuam*, i. e. quod juxta ipſum eſt, locum quem occupat, ita יַד de ſpatio et dicitur Genes. XXXIV, 21. Num. II, 17. Deut. XXIII, 14. Jeſaj. LVI, 5.

4. Inducuntur hoſtes ad oppugnandam Hieroſolymam ſe mutuo animantes. קַדְּשׁוּ עָלֶיהָ מִלְחָמָה *Sacrate*, i. e. parate *contra eam bellum!* „*Bellum ſacrari* dicitur, ubi ſolennibus ceremoniis victimisque mactatis, rite ſuscipitur, militesque ad ſacramentum adiguntur; vid. infra XXII, 7. LI, 27. 28. Joel. IV, 9. Zeph. I, 7. Jeſaj. XIII, 3. Ceremonias ejusmodi, quales illo tempore apud Chaldaeos uſitatae erant, deſcripſit Ezechiel XXI, 26. 27. 28.“ J. D. Michaelis. Cf. not. noſtr. ad Jeſaj. XIII, 3. Alexandrinus קַדְּשׁוּ recte *παρασκευάσασθε* reddidit, pro quo in Aldina et Argentoratenſi editione *παρατάξασθε* legitur, quod Doederlein Symmachi verſionem eſſe conjicit. קוּמוּ וְנַעֲלֶה בַצָּהֳרָיִם *Agite! aſcendamus in meridie*, ſine mora, nihil curantes aeſtum meridionalem. „Oſtendit his verbis, quanta fuerit Chaldaeis aviditas exſcindendae urbis.“ Grotius. אוֹי לָנוּ כִּי־פָנָה הַיּוֹם *Vae nobis! nam inclinat dies.* Indignantur, primo adventus die non potuiſſe rapi urbem. Verbum פָּנָה, quod proprie *reſpicere*, *ſeſe convertere* ſignificat, hic de die inclinante, quae quaſi in eo eſt ut diſcedat, uſurpatur, quia, quis diſcedit, *faciem vertit* ad locum, quo tendit et abit. כִּי־יִנָּטוּ צִלְלֵי־עָרֶב *Quia extenduntur umbrae veſpertinae*, uti Virgilius

Ecl.

Ecl. I. 84.: *Majoresque cadunt altis de montibus umbrae.* Cf. Pf. CIX, 23.

5. קוּמוּ *Surgite!* agite tamen! Animum fumunt ad pergendum. אַרְמְנוֹתֶיהָ Schnurrerus ut infra IX, 20. ita et hic non *palatia*, quae alias femper eo nomine nuncupantur, fed *munimenta*, *caftella*, indicare autumat. „Iis," inquit, „et VI, 9. locus multo aptior eft, quam palatiis; nam qui urbem expugnare velint, munimentorum prius copiam fibi faciant neceffe eft, quam ad palatia ipfis aditus patefiat." Sed recte Gaabius monuit, non effe a poeta exfpectandum, ut femper jufto ordine procedat.

6. Verbis כִּי כֹה אָמַר יְהוָה צְבָאוֹת *Sic enim dicit Jova agminum Deus* Kimchi indicari notat, haec omnia evenire Deo ita volente, qui hoftes excitarit ad urbem perdendam. כִּרְתוּ עֵצָה *Caedite arbores* five *ligna*, ad fabricandas machinas obfidionales. עֵצָה, terminatione feminina, denotat, recte notante Jarchio, collectivum, ut דָּגָה *pifcium multitudinem*, Ezech. XLVII, 9., ad quem loc. cf. not. Graecus Alexandrinus vertit τὰ ξύλα αὐτῆς, *ligna ejus*, fcil. urbis. Legit עֵצָהּ cum *He mappikato*, quomodo codices Orientales, i. e. Babylonici, habent, et pauci quidem a de-Roffio memorati. „Difplicet," inquit J. D. Michaelis, „Suffixum, quia non apparet, quo pertineat. Arbores enim quae caeduntur ad circumvallandam urbem, non funt ipfius urbis arbores, fed ex agris filvisque petitae." Attamen Deut. XX, 19., ubi in urbis oppugnatione arboribus frugiferis parcendum praecipitur, עֵצָהּ *arbores ejus*, fcil. urbis, funt agri urbani arbores. וְשִׁפְכוּ עַל־יְרוּשָׁלַםִ סֹלְלָה *Fundite*, aggerite *contra Hierofolymam aggerem* (uti χῶμα a χέω), admovete urbi aggerem. Vegetius *de re milit.* IV. 15. *Agger autem ex terra lignisque attollitur contra murum, de quo tela jactantur.* Quod lignorum caedendorum mentio praecedit, hinc J. D. Michaelis colligit, aggeres Hebraeorum palis praeacutis eo fere modo

mu-

munitos fuiſſe, quem ſaepe CAESAR in Commentariis de bello Gallico deſcribit. Verum ligna caedenda erant non ad aggerem fundendam, ſed, uti diximus, ad turres, baliſtas, aliasque machinas ad obſidionem neceſſarias fabricandas. הִיא הָעִיר הָפְקַד *Haec eſt urbs* in quam *animadvertitur*, quae punienda eſt. Subaudiendum עָלֶיהָ *contra eam.* JARCHI: שבאה פקודתה *cujus poena venit.* Chaldaeus: הִיא קַרְתָּא דְאִתְפְּקִידוּ לַהּ חוֹבָהָא *haec eſt urbs cujus peccata viſitantur.* Quum forma Hiphil verbi פָּקַד ſignificet: alicui *aliquid ad cuſtodiendum committere,* ſ. *deponere cuſtodiendum*, ut Pſ. XXXI, 6. 2 Chr. XII, 10. infra XL, 7., Hophal hic uſurpatum COCCEJUS ſic interpretatur: „ubi *depoſitum eſt*, ſcil. quidquid Deus hominibus concredidit, Rom. III, 2., ubi theſauri Dei collati ſunt.“ Quod ab hoc loco plane alienum eſt. Poteſt Hophal h. l. vix aliter quam paſſive in ſignificatione *animadvertendi*, *puniendi* capi, quam forma Cal ſaepius habet. VENÈMA et J. D. MICHAELIS verbo הָפְקַד jungunt כֻּלָּה, quod ſequitur, hoc ſenſu: haec eſt urbs, cujus univerſum punitur, quo vitetur anomalia generis Verbi masculini הָפְקַד cum nomine feminino עִיר juncti. Quae tamen et ita vitatur, ut הָפְקַד neutraliter capiatur, ut nos ſupra fecimus. Accentus diſtinctivus major *Sakeph katon*, voci הָפְקַד appoſitus, vetat eam cum כֻּלָּה jungi. Si vero jungas, haud parum derogabitur de vi et gravitate ſententiae, quae verbis כֻּלָּה עֹשֶׁק בְּקִרְבָּהּ ineſt. Ea enim hoc ſibi volunt: in urbe illa, *quanta quanta eſt*, conſpicitur oppreſſio, vis, injuria. Graecus Alexandrinus pro הָעִיר הָפְקַד poſuit ὦ πόλις ψευδής. Videtur עִיר הַשֶּׁקֶר *urbs fraudis* legiſſe, quod quidem J. D. MICHAELIS Maſorethico הָפְקַד immerito praeferre mallet. Praetermitto alias ab eo propoſitas vanas conjecturas, quas refutavit LEISTIUS in *Sylloge Commentatt.* Vol. II. p. 225.

7. כְּהָקִיר בּוֹר מֵימֶיהָ כֵּן הֵקֵרָה רָעָתָהּ *Sicut ſcaturire facit* indeſinenter et copioſe *puteus aquas ſuas*, *ita ſcaturire facit* urbs illa *malitiam ſuam*, nova ſemper ſuc-

succrescit. Jarchi: כן נובעת רעתם תמיד מוסיפים ומחדשים *sic ebullit malitia eorum*, videlicet *continuo addunt renovantque suam malitiam*. בור i. q. בְּאֵר, quod non tantum *cisternam*, in qua aquae pluviatiles colliguntur, ut supra II, 13., verum et *puteum effossum vivae et jugis aquae* significat, ut Arabicum بِئْر, ad quod propius accedit, quod in margine h. l. legi jubetur, בַּיִר. Graeci Alexandrini haec est interpretatio: ὡς ψύχει λάκκος ὕδωρ, οὕτω ψύχει κακία αὐτῆς, quod sequutus Hieronymus sic vertit: *Sicuti frigidam facit cisterna aquam suam sic frigidam fecit malitiam suam*, quod in Commentario satis frigide hoc modo interpretatur: „sic in medio Jerusalem malitia, quae in ea est, omnem calorem perdidit vitae." Similiter Symmachus in codice Syro-Hexaplari: *Ut servat puteus aquam frigidam in se, ita servavit frigus malitiam suam.* Eos interpretes patet הֵקִיר ad radicem קָרַר *frigidum esse* retulisse. Quod tamen forma vocis non admittit, nisi forte dixeris, verba קור et קָרַר communes habere significationes, quemadmodum סוּךְ et סָכַךְ, et alia hujusmodi Verba. Quod et Gaabio placet, qui הֵקִיר *refrigerare* hic recentem identidem reddere, renovare indicare existimat. חָמָס וָשֹׁד יִשָּׁמַע בָּהּ עַל־פָּנַי תָּמִיד *Violentia et vastitas auditur in ea ante faciem meam jugiter.* Chaldaeus: קָל חֲטִיפִין וּבְזוּזִין מִשְׁתְּמַע בָּהּ קֳדָמַי תְּדִירָא *vox eorum qui direpti et spoliati sunt auditur in ea coram me continuo.* Verba Versus postrema, חֳלִי וּמַכָּה *vulnus et plaga*, Chaldaeus sic exposuit: עַל כֵּן אַיְתֵיתִי עֲלַהּ מְרַע וּמָחָא *propterea adduci super eam morbum et plagam.* Quod sequutus Grotius: haec a me ipsis reddentur pro iniquitate et direptione. Hanc vero sententiam si exprimere voluisset vates, eum saltem עַל־כֵּן praemisisse credibile est. Conjungenda sunt, recte monente Kimchio, duo illa nomina cum יִשָּׁמַע ut sit: *auditur in ea* (urbe) *vulnus et plaga*, i. e. clamor eorum qui vulnerantur et percutiuntur a potentioribus,

bus, ut Jeſaj. III, 15. וּפְנֵי עֲנִיִּים תִּטְחָנוּ *et facies pauperum commolitis.* חֳלִי, quod in univerſum *infirmitatem, morbum* denotare conſtat, hic eſt infirmitas ex vulnere ut Verbum 1 Reg. XXII, 34., ubi Achabus ſagittâ percuſſus exclamaſſe narratur: הָחֳלֵיתִי *infirmatus ſum* ex vulnere, vulneratus ſum.

8. הִוָּסְרִי *Caſtigare*, i. e. caſtigationem admitte, ſine te emendari. Cf. Pſ. II, 10. et ibi not. Graecus Alexandrinus finem Verſus praecedentis cum initio hujus Vs. conjunxit hoc modo: *πόνῳ καὶ μάστιγι παιδευθήσῃ Ἱερουσαλήμ.* Sic et Hieronymus: *per omne flagellum et dolorem erudieris, Hieroſolyma.* פֶּן־תֵּקַע נַפְשִׁי מִמֵּךְ *Ne ſeſe diſſolvat anima mea a te*, ne cogar tibi omnem amorem meum ſubtrahere. נֶפֶשׁ de animo benevolo in aliquem et bene erga eum affecto dicitur et infra XV, 1. Eadem, quae hic, phraſis legitur apud Ezechielem XXIII, 17., ad quem loc. cf. not. Chaldaeus: דִלְמָא יִרְחַק מֵימְרִי יָתִךְ *ne abjiciat te verbum meum.*

9. Hoſtes ſubinde reverſuros eſſe denuntiat ad ſpolia Judaeae exportanda, donec penitus exhauſta fuerit. עוֹלֵל יְעוֹלְלוּ *Racemando racemabunt*, veluti poſt factam vindemiam, quo ſignificatu Verbum עָלַל praeter hunc locum et Levit. XIX, 10. Deut. XXIV, 21. Judic. XX, 45. legitur. Graecus Alexandrinus: *καλαμᾶσθε, καλαμᾶσθε*, quaſi repetitum Imperativum עוֹלְלוּ עוֹלְלוּ legiſſet, oratione ad hoſtes directa, ut ſupra Vs. 4., et ſicuti ſtatim ſecundo hujus Verſus hemiſtichio Jova regem hoſtilem hortatur his verbis: הָשֵׁב יָדְךָ *reverti fac*, i. e. iterum iterumque et ſaepius refer *manum tuam*, refectis uvis plenam, quos vindemiator indit corbibus, עַל־סַלְסִלּוֹת, de quo nomine cf. J. D. Michaelis *Supplemm. ad Lexicc.* p. 1786.

10. „Poſſim, inquit vates, alicui videri nimis rigidus eſſe in annunciandis Dei judiciis, quum probabiliter ſuperſint, qui melioribus monitis locum dent, ſed עַל־מִי אֲדַבְּרָה *quemnam colloquar?*" C. B. Michaelis. וְאָעִידָה

Et

Et quem conteſtabor? Verbum hoc Jarchi ait ſignificare aliquem admonere adhibitis teſtibus, ne, ſe monitum eſſe, abneget. וְיִשְׁמָעוּ *Ut audiant*, וִיקַבְּלוּ אוּלְפָן *ut accipiant doctrinam*, reddidit Chaldaeus. הִנֵּה עֲרֵלָה אָזְנָם *Sed ecce! praeputiata eſt auris eorum*, veluti pelle aut carne obvelata et obſtructa. Similes loquendi formulas, quibus ſumma contumacia ſignificatur, vid. Levit. XXVI, 41. Jeſaj. VI, 10. — דְבַר־יְהוָה לָהֶם לְחֶרְפָּה *Verbum Jovae eſt iis in opprobrium*, admonitiones et objurgationes juſſu divino a prophetis ad eos directas tanquam rem vilem contemnunt et conviciis excipiunt.

11. וְאֵת חֲמַת יְהוָה מָלֵאתִי *Ira Jovae plenus ſum.* „חֲמַת יְהוָה non eſt *zelus* pro *Jova*, ut multis videtur, ſed ira Jovae in populum, cognita prophetae et perſpecta et revelationibus divinis, ut ſenſus ſit, tot tamque gravia ſe a Deo mandata accepiſſe ad populum, de ſumma ipſius indignatione publice declaranda, ut ſentiat, ſe jam diutius tacere non poſſe, ſed debere tandem, rupto ſilentio, graviſſima quae reipublicae inſtent ſupplicia denunciare." Schnurrerus in *Animadverſſ. ad* Pſ. LXXXI, 11. in *Diſſertatt.* p. 159., ubi et obſervat, divina mandata a prophetis ad homines perferenda comparari cibo ori eorum ingeſto, coll. Pſ. CXIX, 131. Ezech. II, 8 ſqq., eandemque figuram et Arabibus eſſe uſitatam, quippe qui verbum أَلْهَمَ, quod proprie eſt *glutiendum praebere*, uſurpare ſoleant quam maxime de inſpiratione divina, dicantque أَلْهَمَهُ اللّٰهُ هٰذَا *inſpiravit ei Deus hoc illudve*; cujus loquendi uſus exempla praebuit A. Schultens in *Animadverſſ.* et in *Commentar.* ad Proverb. XVIII, 8., quibus alia addidit Schnurrerus in *Obſervatt.* ad h. l. in *Commentatt. theologg.* Vol. II. p. 94. Ceterum verbum מָלֵא cum Accuſativo ejus nominis, quod rem, qua quis vel quid repletus vel repletum eſt, indicat, jungi conſtat. Male itaque J. D. Michaelis ad h. l.: „Ve-

„Venit mihi in mentem, annon ואת, quod secundum puncta redundanter positum videri possit, forte melius efferatur וָאֵת, ita ut מָלֵאתִי et נִלְאֵיתִי sint pro more Jeremiae secunda persona generis feminini.“ נִלְאֵיתִי הָכִיל *Defatigatus sum continendo*, non possum me amplius continere, quin proferam Jovae populo indignantis comminationes. שְׁפֹךְ plerique interpretes pro Imperativo habent, inter eos et J. D. Michaelis, qui voci illi hanc notam adscripsit: „Sunt haec verba Dei ad prophetam: *effunde* ergo in quemvis obvium.“ Quod tamen, vere observante Schnurrero, justam aliquam dubitationem videtur habere. „Etenim Dei haec ad prophetam verba si dicas, ad Deum quoque, quae proxime antecedit, vocem conversam esse statuas necesse est; quod haud videtur admitti posse, quum dictum sit חֲמַת יְהוָה, דְּבַר יְהוָה, non חֲמָתְךָ, דְּבָרְךָ. Alexandrinus quidem reddit ἐκχεῶ ἐπὶ νήπια ἔξωθεν, verum cave hinc lectionem effingas אֶשְׁפֹּךְ. Enimvero, quod N. G. Schroederus vidit (*Syntax. Verbor.* Reg. LIV.), Infinitivus est שְׁפֹךְ, positus loco Futuri אשפך, ut infra VII, 9. *Num furari? latrocinari, et moechari?* pro: num furabimini, latrocinabimini, moechabimini?“ Ad שְׁפֹךְ repetendum esse חֲמַת יְהוָה, i. e. effundam Dei indignantis comminationes, vix monitu opus. Gravissima mala omni aetati et sexui denuntiabo. עַל־עוֹלָל בַּחוּץ *Super puerum in platea;* solent enim pueri in plateas excurrere. וְעַל סוֹד בַּחוּרִים יַחְדָּו *Et super congregationem juvenum simul*, super juvenum choros, ut bene Grotius expressit; intelligendi enim laeti et hilares juvenum conventus, ut infra XV, 17. De nomine סוד vid. not. ad Ps. XXV, 14. — זָקֵן *senem* hic esse senescentem, ut vere Grotius monet, docet additum מְלֵא יָמִים *plenus dierum*, „quod summum senium indicat, habetque se ad זָקֵן, ut antea בַּחוּר ad עוֹלָל.“ J. D. Michaelis. Sed Schleusnerus mallet מְלֵא יָמִים *florentem aetate*, qui matura est aetate, denotare. Quod tamen gradatio, quae in hisce verbis observatur, non admittit. Nam

Nam progreditur vates a puero ad ſenem decrepitum. Notant et Hebraei, מְלֵא יָמִים plus eſſe quam זָקֵן. Mediam aetatem indicat אִישׁ עִם־אִשָּׁה quod praecedit. יִלָּכֵדוּ *Capientur* ſignificat perniciem, in quam quaſi illaqueati praecipitantur.

12. וְנָסַבּוּ בָתֵּיהֶם לַאֲחֵרִים *Revolventur domus eorum ad alienos,* i. e. peregrinos, hoſtes. Idem praecepta divina neglecturis minatur Moſes Deut. XXVIII, 30. — כִּי־אַטֶּה אֶת־יָדִי *Nam extendam manum meam,* ad infligendam plagam, ut infra XV, 6.

13. כִּי מִקְּטַנָּם וְעַד־גְּדוֹלָם *Nam a parvo eorum usque ad magnum eorum,* i. e. plebeji et ignobiles aeque ac in dignitate conſtituti et auctoritate pollentes, ut ſupra V, 5. infra VIII, 10., ubi eaedem quae hic phraſes repetuntur. כֻּלּוֹ בּוֹצֵעַ בָּצַע *Omnis ille lucrans lucrum,* omnes inhiant lucro in aliorum damnum. כֻּלּוֹ עֹשֶׂה שָּׁקֶר *Omnis ille facit mendacium,* impoſtores ſunt, perfide ac fallaciter agunt.

14. וַיְרַפְּאוּ אֶת־שֶׁבֶר עַמִּי עַל־נְקַלָּה *Sanantque,* ſanare ſtudent, *contritionem* vulnus et morbum graviſſimum, *populi mei ſuper levi,* leviter, brachio levi tractant. Graecus Alexandrinus: ἐξουθενοῦντες, *flocci pendentes.* Ita et Grotius: tanquam res eſſet leviſſima. „Phraſis," inquit C. B. Michaelis, „utrumque ſignificare videtur, et contemtum vulneris, et inſufficientia et inadaequata remedia." Filio, Jo. Davidi, omnium maxime quidem vero accedere videntur, qui interpretantur: *leviſſime, cura palliativa.* „Sed," addit, „hac explicatione admiſſa non ſolum redundare videtur עַל, ſed etiam enallage generis ſtatuitur, nam שֶׁבֶר eſt generis maſculini, נְקַלָּה vero feminini." „At enim vero," recte monet Leistius, „ad שֶׁבֶר plane non reſpicit vox נְקַלָּה, quippe quae per ſe ſit explicanda, ita quidem, ut femininum hoc quoque loco idem ſit ac Latinorum neutrum, vicemque ſubſtantivi expleat. Quod autem ad particulam עַל attinet, ea vim adverbii nomini, cui addita eſt, h. l. tri-

tribuit, ut Pf. XXXI, 24. עַל־יֶתֶר *abundanter*, ideoque nequaquam redundat." Hoc vero vult vates: prophetae et facerdotes quum populum vitiis corruptiffimum graviffime reprehendere, improbitatis ferio coarguere, et fuppliciorum comminatione terrere deberent, illum fictis vaticiniis confolantur et fecurum reddunt, faufta et felicia omnia rei promittentes, ut fequitur: לֵאמֹר שָׁלוֹם *dicendo: pax* fcil. erit, omnia pacata et tranquilla erunt, וְאֵין שָׁלוֹם *quum tamen nulla* futura fit *pax.* Hunc genuinum loci fenfum effe docet huic plane geminus Ezechielis locus XIII, 10., ubi vates prophetis mendacibus poenas denuncians haec dicit: „*Propterea quod in errorem feduxerunt populum meum dicendo, pacem, quum pax non fit, et quem exftruxit ille murum, illi tectorio obducunt* (cf. not. ad eum loc.). Et ibid. Vs. 15. 16. *Et in murum, et in eos, qui eum trulliffant, iram meam confumam, diceturque vobis, neque murum jam effe, neque truliffatores, vates Ifraelitas, qui Hierofolymae vaticinantur, et ei pacis praefagiunt oracula, quum non fit pax.* Similiter idem Ezechiel XXII, 28. *Prophetae truliffant eis incondite, vana praedicentes eis, et mendacium divinantes.* Recte igitur Chaldaeus עַל־נְקַלָּה hic reddidit בְּמִלֵּי שִׁקְרֵיהוֹן *verbis mendaciorum fuorum.* Quod fequutus Jarchi locum fic exponit: „Leve eft prophetis mendacibus ore fuo verba proferre, et dicere: pax erit vobis, atque hoc fermone fanare ftudent contritionem, quae eis fuperveniet." Eberh. Scheidius in *Differtat. in Cantic. Hiskiae* p. 185. שָׁלוֹם *integritatis, fanitatis* fignificatu capit, quem quidem nomen illud faepe alias obtinere conftat, hoc tamen loco minus aptius videtur, ob loca, quae attulimus, parallela Ezechielis.

15. הוֹבִישׁוּ Chaldaeus explicat עֲלֵיהוֹן לְמִבְהַת *eorum erat pudore fuffundi,* pudore affici debebant, quod abominanda fecerunt; illos enim erubescere verbis proximis negat vates. Hiphil verbi יָבֵשׁ, ejusdem ac בּוֹשׁ fignifica-

cationis, intranſitive, ſive reciproce capitur, ut ſupra II, 26. infra X, 14. Joel. I, 11. Alii vim formae Hiphil propriam urgent. Ita Junius: *feceruntne ut erubeſcerent cum abominationem fecerunt?* i. e. an unquam prophetae iſti populum reprehenderunt maleficiorum nomine? Ita omiſſa interrogationis nota, ut alias haud raro (vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 833.), ſubaudiendum eſſet אֹתָם poſt הוֹבִישׁוּ. Sebast. Schmidius: *pudefacti* quidem *ſunt,* hac addita nota: „*pudefieri* vero h. l. non eſt erubeſcere, ſive pudorem ſuum agnoſcere, ſed *confuncti* et *de re pudenda convinci.*" Ita et Venema: „conſternati tandem ſunt et confuſi, ſpe pacis, quam fecerant ſibi et aliis, plane et palam eluſa." Verum hoc loco non de pudore eorum, quos ſpes ſua fruſtrata eſſet, ſed de pudore, quo quis ob flagitia affici deberet, vatem loqui, oſtendit additum כִּי־תוֹעֵבָה עָשׂוּ. Praeterea Hiphil verbi יָבֵשׁ ſemper *intranſitive* uſurpari, docent loca in Lexicis allata, quum contra Hiphil verbi בּוֹשׁ *tranſitive* uſurpari ſoleat. Acquieſcimus itaque in Chaldaei ſupra allata interpretatione. Verba enim Hebraeorum ſaepe non actum, ſed debitum vel officium denotare, pluribus exemplis docuit Glassius *Philolog. S.* p. 199. ed. Dath. Vid. Genes. XX, 9. Mal. II, 7. *Abominandum,* תּוֹעֵבָה, cujus pudere debuiſſet vates et ſacerdotes, eſt illud, quod officii ſui immemores, quos vitiorum coarguere et minis terrere debuerunt, vanis promiſſionibus ſecuros reddiderunt. גַּם repetitum in membro proximo valere *et — et* conſtat, unde illud ſic vertendum: *nec erubeſcunt, nec ſe ignominiâ affici ſciunt,* ne pudoris quidem ſenſum habent. הַכְלִים quum alias fere tranſitivum ſignificatum habeat, Junius hic ita reddidit: *neque iſti prorſus erubeſcunt, neque ignominiâ afficere alios ſciunt,* objurgationibus, et ita in viam rectam ducere, ut iterum, uti ſupra ex Junii interpretatione, Accuſativus, quem dicunt, objecti ſit ſubaudiendus. Kimchi: „non commoventur pudore, quo ſuffundunt eos homines ob eorum malefecta." Sed הַכְלִים hic intranſitive

ſive

ſive reciproco ſenſu capiendum eſſe, docet locus parallelus infra VIII, 12., qui duos, qui hic leguntur Verſus 14. 15., iisdem verbis repetit, ubi pro הַכְלִים ponitur Niphal הִכָּלֵם, *ignominiae ſenſu,* pudore *affici.* Grotius: „Eſt ἐπανόρθωσις: quid dico eos pudefactos? imo pudoris nihil iis reſtat." לָכֵן יִפְּלוּ בַנֹּפְלִים *Propterea cadent* falſi prophetae et ſacerdotes impii, *inter cadentes* reliquos Judaeos.

16. כֹּה אָמַר יְהוָה *Sic dicit Jova.* „Bene quidem ſenſum reddidit Dathius, vertens: *Ita enim eos admonere ſolebam: ſtate juxta vias,* rel. At quae expreſſa leguntur verba hebraica, ſola ad hunc ſenſum non ſufficiunt. Formulae enim, כֹּה אָמַר יְהוָה, vis atque ſignificatio, quod omnibus conſtat, haec eſt: Dei verba ſunt quae ſequuntur; vel preſſius: haec ſunt, quae Deus mecum communicavit a me renuntianda; nec formulae ambitus in ſolis verbis עִמְדוּ — לְנַפְשְׁכֶם conſiſtit, ſed latius patet, et omnem, quae ſequitur, orationem complectitur. Ut igitur habeat וַיֹּאמְרוּ *et dixerunt,* ſub finem Verſus, quo referri poſſit, quemadmodum proximo Verſu idem וַיֹּאמְרוּ praemiſſum ſibi habet verbum וַהֲקִמֹתִי, omnino poſt formulam כֹּה אָמַר יְהוָה ſupplendum eſt Verbum אָמַרְתִּי, et nunc demum apparet, verum ſenſum eſſe hunc: antea quidem eos admonui vias, diſpicere, et rectam illam ſciſcitari, qua ipſis procedendum ſit, ut tranquillum locum conſequantur." Schnurrer. Hortatur Jova Judaeos, ut ad ſe redeant, et quinam exitus ſit futurus ejus quam nunc tenent vivendi agendique rationis reputent. Imitari eos jubet iter facientes, qui ſubinde dubii, num recta via procedant, ſubſiſtunt, et locorum gnaros interrogant, quaenam via ipſis tenenda ſit. וְשַׁאֲלוּ לִנְתִבוֹת עוֹלָם *Et interrogate de ſemitis antiquis,* a longo inde tempore calcatis, quae opponuntur deviis et minime ſtratis infra XVIII, 15. Intelligitur illa religionis via, quam pii illi gentis Hebraeae majores, Abrahamus, Iſaacus, Jacobus, tenuere. Cf. not. ad Pſ. CXXXIX, 24. p. 1897. edit. ſec. Kimchi: „Reſpicite ad priſca tempora, et inve-

venietis, bene eis fuiſſe qui viam rectam ſequuti, male vero, qui viam, a prophetis mendacibus vobis praeſcriptam, tenuere." Praeterea conferre jubet Deut. XXXII, 17. 1 Reg. XVIII, 21. Diſpicite, pergit, אֵי־זֶה דֶּרֶךְ הַטּוֹב *quaenam ſit via boni,* i. e. ſalutis, felicitatis, ad ſalutem ducens. Neque enim, vere monente Gaabio, טוֹב, hic eſſe poteſt Adjectivum, quum ſtatim ſequatur Suffixum femininum ad דֶּרֶךְ referendum, in verbis וּלְכוּ־בָהּ וּמִצְאוּ *ite in ea, et invenite,* i. e. invenietis, quomodo, ſi duorum Imperativorum prior conditionem continet, illorum alter ut Futurum eſt capiendus, vid. Genes. XX, 7. XLII, 18. מַרְגּוֹעַ, quod vulgo, nec male, *requietem, locum quietis* vertunt, Schnurrerus a ſignificatione verbi Arabici رَجَعَ *rediit,* recte dicit proprie locum denotare, in quem ſubinde redeas, h. e. quem lubentius frequentes, quo maxime delecteris, ut ſit idem fere quod מְנוּחָה. Graecus Alexandrinus reddidit ἁγνισμὸν, ſive, ut alii legunt, ἁγιασμόν. Cujus interpretationis rationem haud improbabilem Schleusnerus reddit hanc, quod interpres מַרְגּוֹעַ de reditu ad Deum, ſeu ad meliorem mentem ceperit, quemadmodum nomina مَرْجِعٌ et مَرْجُوعٌ in Corano uſurpantur. לֹא נֵלֵךְ *Non ibimus* ſcil. בְּדֶרֶךְ הַטּוֹב.

17. צֹפִים *Speculatores* a Jova Judaeis conſtituti h. l. ut Ezech. III, 17. ſunt prophetae, qui de imminentibus malis illos admonerent eo fine, ut illa vitae morumque emendatione averterent. Quod ante verba הַקְשִׁיבוּ לְקוֹל שׁוֹפָר *attendite ad ſonitum buccinae* Schnurrerus vult אֹמְרִים *qui dicerent* ſubaudiri, quaſi haec eſſe deberent prophetarum verba, merito reprehendit Gaabius, et recte notat, eſſe potius לֵאמֹר ſubaudiendum; quod vero ſenſum ait eſſe hunc: conſtitui Judaeis ſpeculatores, quibus injunxi, ut ad tubae hoſtilis ſonitum attenderent, illi vero (ſpeculatores) ſe attendere velle renuerunt; dubito hanc vatis mentem eſſe. Nam uti ſupra Vs. 1. et IV, 5. *clan-*

gor

gor tubae eſt ille, quo ſpeculatores populo ingruentem hoſtium irruptionem annunciant, ita et hic *clangor tubae* erit ille, qua ſpeculatores a Jova conſtituti populum de imminentibus periculis admonere debuerunt. Erit igitur ante הַקְשִׁיבוּ ſubaudiendum: לֵאמֹר לָכֶם *dicendo vobis,* Judaeis: הַקְשִׁיבוּ לְקוֹל שׁוֹפָר *auscultate voci tubae,* i. e. admonitionibus prophetarum. Recte hunc Verſum expoſuit Jarchi: „Quemadmodum tempore belli ſuper turres conſtitui ſpeculatores ſolent, qui cum exercitum hoſtilem appropinquare urbi vident tubae ſonitu populum admonent, ut ad urbem defendendam ſeſe accingant; ita ego conſtitui prophetas, qui vobis imminentem poenam annuncient, ut admoniti vitam moresque emendetis, quo vos ex imminenti periculo eripiatis."

18. Talis, inquit Jova (cf. Vs. 19.), quum ſit hujus populi conditio, audite, vos gentes, coetu condicto, quam contra eos pronunciabo ſententiam. דְעִי עֵדָה: *Cognosce, o coetus!* non Judaeorum, ſive Iſraelitarum, uti voluit Chaldaeus, ſed populorum. Eſt enim, vere obſervante Venema, עֵדָה h. l. coetus condictus ad publicum judicium, ubi ſtatuta fiunt, cauſae examinantur, et ſententiae pronunciantur. Audi, inquit, אֵת־אֲשֶׁר־בָּם *quae in iis* ſcil. faciam, i. e. quanta mala ex decreto jam a me promulgando ipſis infligenda erunt a vobis, uti haec verba recte exponit Leistius, qui et obſervat, בָּם hic idem valere quod לָהֶם, quemadmodum Cohel. II, 24. אֵין־טוֹב בָּאָדָם שֶׁיֹּאכַל *non eſt bonum homini ut comedat,* coll. Vs. 3. VIII, 15. Minus commode Chaldaeus אֵת־אֲשֶׁר־בָּם interpretatus eſt יַת חוֹבֵיהוֹן *peccata eorum,* et Jarchi, את הרעה אשר בירם *malitiam quae in iis eſt.* Melius Hieronymus: *quanta faciam iis.* Alterum Verſus hemiſtichium Symmachus, referente Hieronymo, ſic reddidit: *et cognoscite teſtimonium quod in iis eſt.* Pro וּדְעִי eum וּדְעוּ legiſſe patet (quod et pauci quidam Kennicotti et de-Roſſii codices exhibent), et עֵדָה *teſtimonii* ſignificatu cepit, quem quidem Genes. XXXI, 52. et alias ob-

obtinet. Comprobat Symmachi interpretationem J. D. Michaelis, ex qua gentes exterae convocarentur ad audienda teſtimonia de Judaeorum malitia. Verum haec ſententia ita enuncianda fuiſſet: וּדְעוּ אֶת־עֵדָה אֲשֶׁר־בָּם. Quod Michaelis vulgo receptae interpretationi, *o coetus!* obvertit, Vocativum praemiſſo ה (הָעֵדָה) exprimendum fuiſſe, nihil eſt, quum ה vocandi ſaepiſſime omitti conſtet, e. c. vid. Jeſaj. I, 2. Iob. XVI, 18. Jos. X, 12. Graecus Alexandrinus לָכֵן שִׁמְעוּ הַגּוֹיִם vertit *διὰ τοῦτο ἤκουσαν τὰ ἔθνη*, quaſi שָׁמְעוּ legiſſet; poſterius vero Verſus hemiſtichium ita dedit: *καὶ οἱ ποιμαίνοντες τὰ ποίμνια αὐτῶν.* Legit וְרֹעֵי עֶדְרֵיהֶם. „Quorum verborum hunc eſſe crediderim ſenſum, ut, quia Judaei tanta impudentia audire renuerunt, quae eis ſalubriter data erunt monita, audierint certe gentes, a quibus vaſtandi quam primum ii erant, et principes ducesque exercituum, quos et ſupra Vs. 3. *paſtores gregum* appellavit, audierint, inquam, quae ipſis mandaverit Deus, convocans eos ex aquilone adverſum rebellem Judae populum.“ Ghislerius.

19. פְּרִי מַחְשְׁבֹתָם *Fructum cogitationum eorum,* Jarchi recte exponit שכר מחשבותם *mercedem*, quam pravis ſuis cogitationibus commeruerunt. Idem quod Jeſaj. III, 10. פְּרִי מַעַלְלֵיהֶם *fructus facinorum eorum.* Graecus Alexandrinus vertit: *τὸν καρπὸν ἀποστροφῆς αὐτῶν.* Eodem modo et infra XVIII, 11. מַחְשְׁבוֹת, unde veriſimile, interpretem ſenſum, non propriam vocis ſignificationem expreſſiſſe, nec vero, ut nonnulli volunt, utroque loco משובתם legiſſe. וְתוֹרָתִי וַיִּמְאֲסוּ־בָהּ *Et legem meam* quod attinet, *reprobarunt eam.* וְתוֹרָתִי Nominativum eſſe, quem dicunt, abſolutum, וַ vero ante יִמְאֲסוּ *ἀποδοτικὸν*, ut Arabum فَ, recte docuit Ludov. de Dieu ad h. l. Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 723.

20. לְבוֹנָה מִשְּׁבָא תָבוֹא *Thus* quod *ex Saba venit,* Arabiae regione, vid. not. ad Ezech. XXVII, 22. Ejus in ſacrificiis adolendis uſus eſt notus. Virgilius *Aen.* I. 417.

Cen-

Centumque Sabaeo thure calent arae. קָנֶה הַטּוֹב *Canna odorifera, calamus odoratus*, de quo vid. not. ad Exod. XXX, 23. טוֹב h. l. est *suave-olens*, ut Arabic. طيب, vid. Ed. Pocockii *Not. ad Carm. Tograi* p. 92.

21. מִכְשֹׁלִים *Offendicula*, ad quae quis appactus cadit et perit, indicant hic hostium irruptiones, Judaeis perniciosas, quae in Versibus proximis pluribus describuntur. אָבוֹת וּבָנִים וגו' *Patres et filii simul vicinus ejusque amicus*, i. e. omnes promiscue. Pro יאבדו *peribunt* ad marginem וְאָבָדוּ *et perierunt*, s. *peribunt* legi jubetur.

22. Describitur populi barbari, cui Jova mandavit poenas in Judaeos decretas exsequi, immanitas et bellandi peritia. Eadem, quae hic, leguntur infra L, 41. 42. 43. יֵעוֹר *Excitabitur* scil. a me, Jova. מִיַּרְכְּתֵי־אָרֶץ *E lateribus terrae*, i. e. ejus extremis, cf. not. ad Jesaj. XIV, 13. et ad Amos. VI, 10.

23. קֶשֶׁת וְכִידוֹן יַחֲזִיקוּ *Arcum et jaculum tenent*, i. e. scite et perite tractant. De כִּידוֹן, non *clypeum*, ut plures voluerunt, sed *hastam missilem, gaesum* significante, copiose et docte disputarunt Bochartus *Hieroz.* P. I. L. II. Cap. 8. T. I. p. 861 seqq. edit. Lips., et J. F. Fischerus in *Proluss. de Versionn. Graecis V. T. literar. hebraicc. magistris* p. 135 seqq. קוֹלָם כַּיָּם יֶהֱמֶה *Vox earum instar maris fremet*, quod tum advenientium incessum cum ingenti strepitu, tum multitudinem indicat. וְעַל־סוּסִים יִרְכָּבוּ *Et equis vehuntur.* Chaldaei equitatu suo formidabiles et Habac. I, 8. describuntur. עָרוּךְ כְּאִישׁ לַמִּלְחָמָה *Dispositus, ut vir* scil. unus *ad bellum.* Ad כְּאִישׁ subaudiendum אֶחָד ex Jud. XX, 8. 11. Non singuli et dispersi vagabuntur, sed condensa et conferta acie, quasi omnes unus vir essent, Judaeos aggredientur.

24. Initio hujus Versus est אָז תֹּאמְרוּ *tunc dicetis* subaudiendum. שָׁמַעְנוּ אֶת־שָׁמְעוֹ Simul ac *audivimus* fa-

famam ejus, adventantis hostilis exercitus tam formidabilis. Cf. Deut. II, 25. רָפוּ יָדֵינוּ *Remissae sunt manus nostrae*, consternatione debilitatae, pavor privavit nos animo pugnandi. חִיל כַּיּוֹלֵדָה *Tremor* corripit nos *instar parturientis*, cf. supra IV, 31. Jesaj. XIII, 8.

25. Verba אַל־תֵּצְאוּ *ne in agrum exite, et in via* אַל־תֵּלְכוּ *ne ambulate*, ut in margine legi praecipitur, Hierosolymitanorum se mutuo monentium interpretum plures esse putant. Verum quum quae in textu exstant Imperativi generis feminei, תֵּצְאִי, אַל־תֵּלֵכִי *ad populum* sint referendi, quem vates proximo Versu בַּת־עַמִּי *filia populi mei* alloquitur, et hunc Versum prophetae, Hierosolymae aliarumque urbium incolas monentis, verba continere arbitramur. Durius enim videtur quod proposuit Gaabius, posse filiam Zionis, i. e. populum Hierosolymitanum, hic se ipsum, ne exeat, monentem induci. כִּי חֶרֶב לְאֹיֵב מָגוֹר מִסָּבִיב *Nam gladius hostilis* et *formido undiquaque* imminet. Ante לְאֹיֵב esse אֲשֶׁר subaudiendum (*gladius qui* est *hosti*) monitu vix opus. De nomine מָגוֹר vid. not. ad Ps. XXXI, 14. Sed ut eo loco Aquila, ita hic Chaldaeus מָגוֹר a radice אָגַר *colligere* denotare *turbam collectam* existimavit, sic enim vertit: *nam gladius hostis* מְקַטְּלָא לְמִתְכַּנְּשִׁין מִסְּחוֹר סְחוֹר *occidit qui sese congregant undiquaque.* Alexandrinus, qui ita reddidit: ὅτι ῥομφαία τῶν ἐχθρῶν παροικεῖ κυκλόθεν, videtur לְאֹיְבִים גּוּר legisse. Verbum גּוּר *commorari* valere notum. Utrique huic interpretationi nostram esse praeferendam, nemo facile dubitarit.

26. חִגְרִי שָׂק Vid. supra IV, 8. הִתְפַּלְּשִׁי בָאֵפֶר *Consperge te cinere.* הִתְפַּלְּשִׁי Jarchi interpretatur התגלגלי *voluta te.* Rectius Alexandrinus καταπάσαι *consperge te*, quod Hieronymus et Syrus sequuntur, et Chaldaeus: חֲפוֹ רֵישֵׁיכוֹן בְּקִטְמָא *operite capita vestra cinere.* Neque enim in cinere se volutare, sed caput illo conspergere solebant ob graves casus lugentes. Ita 2 Sam. XIII, 19. וַתִּקַּח תָּמָר אֵפֶר עַל־רֹאשָׁהּ *Imposuit Thamar capiti suo* cine-

cinerem. Et Jos. VII, 6. ſenes Iſraelitarum וַיַּעֲלוּ עָפָר עַל־רֹאשָׁם *capiti ſuo pulverem* impoſuerunt. Achilles mortem Patrocli lugens *Iliad.* XVIII, 22.

Ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἑλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν
χεύατο κακκεφαλῆς,

ambabus manibus ſublatos cineres fudit ſuper caput. Quod totidem verbis refertur de Laerte *Odyſſ.* XXIV, 315. Hinc Perſice خاك بر سر *pulvis ſuper capite* eſt *moeror, angor,* et graviter lugens clamare ſolet: اه چه خاك به سر من امد *ahi tſcheh chak be-ſer-men amed!* i. e. ah! quantum pulveris capiti meo ſupervenit; vid. Morier's *Second Journey through Perſin* p. 59. אֵבֶל יָחִיד *Luctus unigeniti,* qualis ob mortem filii unici inſtitui ſolet, cf. not. ad Amos. VIII, 10. — מִסְפַּד תַּמְרוּרִים *Planctum amaritudinum* i. e. amariſſimum ſcil. עֲשִׂי־לָךְ *ede tibi,* quod praecedit; cf. infra XXXI, 15. Vocem עָלֵינוּ Jarchi ſic exponit: כביכול עלי ועליך *quaſi, ſi ita dicere fas eſt: contra me* (inquit Deus) *et contra te.* Videlicet quum huic percopae ſupra Vs. 22. verba כֹּה אָמַר יְהוָה praemittantur, et Verſu proximo Jova loquatur, et hoc Verſu Dei verba contineri exiſtimavit; forſan et nomine בַּת־עַמִּי populum Judaicum a nemine alio niſi a Deo compellari poſſe opinatus eſt. Sequutus eſt Jarchi doctores Talmudicos, qui, notante Breithaupto, in codice *Gittin* fol. 58. a. hunc locum ita exponunt: „non dicitur hic: *contra te* (uti contextus ratio poſcere videbatur), ſed: *contra nos;* eſt igitur, ſi ita fas loqui, ſenſus hic: *contra me,* Deum, *et contra te, filiam* populi mei, venit vaſtator.“ Docent enim Hebraeorum magiſtri, Deum, cum male eſt Judaeis, etiam ipſum quodammodo affici. Verum quam parum congruenter Deus vaſtatorem a ſe Judaeis immittendum, eundem adverſus ſe venturum dicat, non eſt, ut demonſtremus. Conſtat vero, prophetas ſermonibus divinis ſua ipſorum verba frequentiſſime ita interſerere, ut Deus

Deus et qui ipſius juſſu loquitur vates veluti unam eandemque perſonam conſtituere videantur. Quod vero compellationem בַּת־עַמִּי attinet, eam, quum idem quod בְּנֵי עַמִּי valeat (vid. Gesenii *Not. ad Jeſaj.* I, 8.), tam a Jova ut ſupra Vs. 14. infra IX, 6., quam a vate, de ſuis popularibus loquente, uti Jeſaj. XXII, 4. Thren. II, 11. IV, 6. 10., recte uſurpari poſſe apparet.

27. Concluſio totius concionis, qua primum Jova prophetam confirmat in demandato ei a ſe munere (hoc Vs.), deinde vero propheta, tanquam rebus cognitis et exploratis, ſummam totius concionis repetit, de improbitate et reprobatione populi. In primo hujus Verſus hemiſtichio explicando interpretes et veteres et recentiores mirum in modum diſſentiunt. Et primam quidem Commatis vocem, בָּחוֹן, quod attinet, quum cognatae בָּחוֹן ſ. בָּחִין Jeſaj. XXIII, 13. et בַּחַן Jeſaj. XXII, 14. *ſpeculam, turrem ſpeculatoriam* denotent, eodem ſignificatu et hic בָּחוֹן plures capiunt. Neque tamen hi in verborum contextu explicando conſentiunt. Quidam enim בָּחוֹן pro Accuſativo habent. Ita Gussetius, qui (ſub rad. בָּחַן lit. I.) locum ita exponit: *Speculatoriam turrim conſtitui te in medio populi mei, arcem munitam, et cognoſces et ſpeculaberis viam eorum.* Sed parum congruenter vates turris ſpeculatoria dicatur. Hinc alii, ut Junius et Coccejus, ſubaudito ב ante בָּחוֹן et מִבְצָר, ſic vertunt: *in exploratoria ſpecula conſtitui te apud populum meum, in munitione.* Verum duplicem ellipſin Praefixi ב ſtatuere durius videtur. Jarchi בָּחוֹן interpretatur חזוק *fortem*, quod turres in munimentis urbium ſunt. Quod ſequutus Grotius locum ſic explicat: *ut arcem aut munitiſſimum locum poſui te in populo meo*, i. e. perge conſtanter, ego te protegam, ut arcem munitiſſimam; nec difficile tibi erit, velut in ſublimi conſtituto, explorare quid agant ſinguli. Verum quum vates in iis quae ſequuntur *metallorum exploratori* comparetur, vix dubium, בָּחוֹן eſſe nomen adjectivum formae

Par-

Participialis בָּחוֹן (vid. Gesenii *Lehrgeb.* §. 120. no. 3. p. 487.) a verbo בָּחַן *metalla exploravit.* Ita jam Alexandrinus, qui δοκιμαστὴν vertit, et eum sequutus Hieronymus *probatorem*, atque Syrus ܒܚܘܢܐ eundem significans. Quare verba בָּחוֹן נְתַתִּיךָ בְעַמִּי מִבְצָר sic vertimus: *exploratorem dedi te in populo meo, et velut munimentum*, i. e. exploratorem te ab hostium violentia tutum constitui. Recte Hieronymus: „Datur propheta populo incredulo probator robustus, instar urbis firmissimae, ut nullas populi pertimescat insidias.“ Respicit qui loquens hic inducitur, Jova, quod in prophetae inauguratione supra I, 18. eum se לְעִיר מִבְצָר *urbi munitae* similem *reddere* dixit, ad quem loc. cf. not. A vero sensu aberravit Chaldaeus, qui Hebraea sic reddidit: בְּחִיר בְּעַמִּי יְהַבְתָּךְ בְּקַרְתָּא תַקִּיף *electum dedi te in populo meo in urbe munita forti.* Infeliciter Venema: *exploratorium constitui te populo mihi arcis*, i. e. dedi te lapidem exploratorium in populo meo in munimento scil. degente, quod addi putat, ut Hierosolymitani designarentur, et simul fiducia eorum in arce munita illa, civitate Davidis, et metropoli regni et religionis posita, prostitueretur. בָּחוֹן vult idem valere quod Jesaj. XXVIII, 16. אֶבֶן בֹּחַן, quod male *lapidem exploratorium* s. Lydium interpretatur, quum potius *lapidem probatum* significet, vid. not. ad eum loc. Plane vero refragante linguae hebraeae syntaxi עַמִּי מִבְצָר *populum mihi arcis* vertit. Sine causa alii vocem מִבְצָר sollicitant, ut J. D. Michaelis, qui מְבַצֵּר legendum suspicatur, i. e. *spectantem*, collato Arabico بَصَرَ *vidit, conspexit*, ut significetur probator, qui spectet probum metallum, distinguatque ab adulterino. Verum illa radicis بصر *videndi* significatio ita priva est Arabibus, ut, illam apud Hebraeos et Aramaeos obtinuisse, ne vestigium quidem appareat. Henslerus ו voci חָרָשׁ praefixum ad nomen מִבְצָר, tan-

tanquam Pronomen affixum, tracto, ut legatur מִבְצָרוֹ תֵּדַע, vertere mallet: *argentum ejus cognoscere debes;* contra usum nominis מִבְצָר, quod constanter *munitionis* significationem tenet. Gaabius denique exigua mutatione מִבְּצָר (pro מִבְצָר) legere mallet, ut sit nomen בֶּצֶר *aurum* s. *argentum*, Iob. XXXVI, 19., praemisso מ privativo, hac sententia: *constitui te exploratorem in meo populo, qui non* est *aurum.* Sed non esse, cur in voce illa quid mutetur, vidimus antea. Graecus Alexandrinus בְּעַמִּי מִבְצָר ἐν λαῷ μου συγκεκλεισμένῳ vertit, uti Theodoretus illius verba affert; est enim codicum Graecorum h. l. diversitas, de qua vid., quae notavit Spohnius. Intellexisse ille interpres videtur Hierosolymitanos obsidione cinctos. In altero Versus hemistichio declarat Deus, quem in finem prophetam exploratorem constituerit: וְתֵדַע וּבָחַנְתָּ אֶת־דַּרְכָּם *ut cognoscas et explores viam eorum,* ut instituta exploratione cognoscas quales sint illi. Similiter Zachar. XIII, 9. וּבְחַנְתִּים כִּבְחֹן אֶת־הַזָּהָב *probabo, explorabo eos sicut explorari argentum solet.* Ceterum notat Masora, esse codices, qui pro אֶת־דַּרְכָּם exhibeant אֶת־לִבָּם *cor eorum,* cujus tamen nec in versionibus antiquis, nec in codicibus, qui hodie exstant, reperitur vestigium.

28. כֻּלָּם סָרֵי סוֹרְרִים *Omnes illi* sunt *contumaces contumacium,* i. e. contumacium contumacissimi, nam verba סור et סָרַר uti literis sunt proxime cognata, ita et significatione conveniunt. Et סור quidem, quod proprie *decedere* significat, *rebellem, contumacem esse,* ut סָרַר, valet Hos. VII, 14. Solent vero Hebraei per duo nomina ejusdem significationis, tam Substantiva, quam Adjectiva, per regimen juncta, gradum quem vocant superlativum exprimere, ut Ezech. XXXII, 21. אֵלֵי גִבּוֹרִים *fortes validorum* sunt fortissimi; plura exempla vid. in Glassii *Philolog. S.* p. 84. edit. Dath., cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 692. Minus commode J. D. Michaelis ver-

vertit *recedentes maleficorum*, (coll. Arab. شر *malum fecit, malus et improbus fuit*), i. e. divertunt ad maleficos, eorumque vestigia premunt. Chaldaeus: כָּל רַבְרְבָנֵיהוֹן מְרָדִין *omnes principes eorum sunt contumaces*, consentientibus Aquila (in codice Syro-Hexaplari), Syro et Vulgato. Videlicet סָרֵי i. q. שָׂרֵי *principes* esse putarunt, Kimchio probante. Idem innuit Masora, quae huic voci adscripsit: לית כתיב סמך, i. e. praeter hunc locum nusquam per Samach scribi. Praeterea XXII codices Kennicotti, et XVIII de-Rossii in textu habent שָׂרֵי. Horum auctoritatem sequutus J. D. Michaelis mallet vertere *antesignani* s. primarii *maleficorum*. Nobis tamen cum Jarchio, qui סָרִים מן הדרך *recedentes de via* explicat, potius videtur, סָרֵי pro Participio verbi סור habere. הֹלְכֵי רָכִיל *Ambulantes cum obtrectatione* s. *delatione*, i. e. delatorie, ut Levit. XIX, 16. רָכִיל est Accusativus adverbialiter capiendus, ut alias ubi verbum הָלַךְ cum nominibus construitur, quae agendi modum indicant, veluti Jesaj. XXXIII, 15. הֹלֵךְ צְדָקוֹת *qui ambulat juste*, vid. et Mich. II, 11. Prov. VI, 12. Nomen רָכִיל Kimchi proprie *mercium delationem*, et hinc metaphorice *verborum* significare ait, sicut enim mercator lucri causa merces, sic delator s. detractor verba hinc inde collecta sive audita aliis refert, ut inde forsan aliquid commodi referat. נְחשֶׁת וּבַרְזֶל *Aes et ferrum* sunt, non vero nobile metallum; respicit enim ad explorationem metallorum, de qua Versibus duobus, qui sequuntur, plura. Chaldaeus hoc incisum sic reddidit: מְהַלְּכִין בִּנְכִילוּ כְּמָה דִמְעָרַב נְחָשׁ עִם פַּרְזְלָא *incedunt fraudulenter quasi qui miscet aes cum ferro*. Quam interpretationem sequutus Kimchi haec verba ita exponit: sicut aes mixtum cum ferro (ut hoc facile fundatur), sic illi se conjungunt, ut aliis dolo malo noceant eosque perdant. כֻּלָּם מַשְׁחִיתִים הֵמָּה „morali sensu plerique accipiunt: *omnes illi male agunt*, ut ad Judaeos ipsos pertineat, nec hac voce quod

in

in antecedentibus figurate dictum erat continuetur. Quum tamen verbum שָׁחַת in lingua Syriaca in conjugatione *Aphel* ad *aeruginem metallorum* referatur, atque hic de metallis fermo fit, fuspicari incipio, vocem מַשְׁחִיתִים h. l. fenfu metallico accipiendum, ac locum ita vertendum effe: *omnes illi ferrum et cuprum funt, et praeterea aeruginofum.* Confer Jac. V, 3. *Aurum veftrum et argentum veftrum* ܐܫܚܬ *aeruginem fibi contraxit,* ܘܫܘܚܬܗܘܢ *et aerugo eorum erit teftimonium contra vos.* Ex collatione hujus loci apparet, conjugationem Aphel h. l. effe a Syro eodem fenfu paffivo adhibitam, ut a propheta Hiphil." J. D. Michaelis. Sed Hebraeis מַשְׁחִיתִים illo fenfu in ufu fuiffe vehementer dubitamus, nec veterum ullus, ne Syrus quidem, qui ܡܚܒ̈ܠܢܐ *corruptores* vertit, de illa Syriaca verbi fignificatione h. l. cogitavit. Propria hic tropicis mixta funt, ut locis aliis innumeris.

29. Prima hujus Verfus verba, נָחַר מַפֻּחַ, plerique interpretes vertunt *aduftus f. combuftus eft follis,* נָחַר pro Niphal verbi חָרַר *aduftus fuit* accepto, ut dicatur, tantum ignem catino fubjectum effe, ut prae aeftu follis aduftus fuerit. Sententia minus congrua. Nam, ut recte monuit J. D. Michaelis, combufto folle non comburetur plumbum, fed moderatior fiet ignis, et tota officina ceffabit. Quare affentior Michaeli, נָחַר idem effe exiftimanti quod Arabicum نَخَرَ *fonum emifit fpiritumve cum fono duxit per nares,* unde نَخْرَةٌ *vehemens flatus venti,* ut vertenda fint noftra verba: *flavit fpiravitque vehementius follis.* מֵאֵשְׁתָּם עֹפָרֶת *Ab igne eorum plumbum* fcil. abfumitur. „Plumbum ab iis, qui metalla liquant, in tefta argento addi folet, eo fine, ut argentum a vi flammae conferve, ejusque impuritates, accedente igne, fimul fecum auferat." C. B. Michaelis. Pro מֵאֵשְׁתָּם,

quod

quod est ab אֵשָׁה, forma feminina nominis אֵשׁ, Masorethae ad marginem legere jubent duas voces מֵאֵשׁ תַּם *ab igne consumtum est plumbum.* Ludov. Cappellus in *Crit. S.* p. 189. veteris librarii negligentia duas voces illas in unam existimat coaluisse. Nobis contra a Critico quodam male sedulo מֵאֵשְׁתַּם videtur in duas voces diremtum fuisse, ut clarior redderetur sensus. Ceterum nihil habet difficultatis, quod feminino עֹפֶרֶת jungitur masculinum תַּם, quum ea generis enallage satis sit frequens, vid. Gesenii *Lehrg.* p. 716. Nec igitur necesse est, ut Gaabius vult, ut legatur תֹּם, nomen in regimine positum, et verba sic vertantur: *ab igne consumtio est plumbi.* לַשָּׁוְא צָרַף צָרוֹף Sed *in vanum,* frustra *conflavit conflando* scil. aurifaber; vel potest צָרוֹף, pro Adjectivo haberi formae עָשׁוֹק, ut supra Vs. 27. בָּחוֹן, *conflatorem* denotans, qui igne metalla liquat, a scoriis purgat, et unum metallum ab altero separat. וְרָעִים לֹא נִתָּקוּ *Etenim mala,* i. e. scoriae *non avelluntur,* separantur, quia nihil plane nobilis metalli massae illi inest. Jarchi verba proprio, non figurato sensu ita capit: *mali avelli non possunt* scil. מדרכם הרעה, a viis suis malis, quasi diceret: laborarunt prophetae in redarguendis improbis Judaeis, sed nihil profecerunt.

30. כֶּסֶף נִמְאָס קָרְאוּ לָהֶם *Argentum reprobatum vocant eos* scil. vocantes, i. e. vocantur, forma impersonaliter loquendi satis nota, nec est, ut cum Alexandrino, qui καλέσατε αὐτοὺς vertit, legamus Imperativum קִרְאוּ, uti voluit J. D. Michaelis. *Vocari* saepius est *esse,* ut Jesaj. I, 26. XXXV, 8., infra XI, 16.

IV.

IV.

Coarguit Judaeorum impietatem et ſcelera, quae patriae interitu et exilio luenda denuntiat.

Cap. VII. VIII. IX.

ARGUMENTUM.

Quae hoc Capite incipit novâ ſignata inſcriptione concio usque ad finem Capitis noni continuatur, quod arguit aequabilis, qui in tribus hisce Capitibus ſervatur, argumenti et ſermonis tenor. Praemiſſo (VII, 1. 2.) exordio, quo ſe a Jova juſſum ad Judaeos verba facere vates teſtatur, eos monet, ne capti vana fiducia in templo poſita, mendaciumque prophetarum vaticiniis ſecuri redditi, vitae morumque emendationem omittant (Vss. 3—12.); monita ſalutaria ſpernentibus et in ſua malitia perſeverantibus patriae vaſtitatem et exilium minatur (Vss. 13—15.). Supplicia in Judaeos falſorum deorum cultu contaminatos decreta Jova prophetae deprecatione averti poſſe negat (Vss. 16—20.). Illis vero, qui obſervatis a ſe religioſe cultus Jovani ritibus Deum propiciare ſibi blandiebantur, vane ſibi ita perſuadere oſtendit; non tam oblatis ſacrificiis, quam vitâ ſecundum praecepta ſua inſtitutâ coli a ſuis velle Jovam (Vss. 21—25.). De quo etſi ſaepe iterumque a prophetis admoniti Judaei (Vs. 25.), quum nihilominus in ſua impie-

pietate obstinatis animis perseverent, debitas meritasque poenas persolvent, exilio et terrae suae devastatione multandi (Vss. 26—VIII, 3.). In reliqua orationis parte summam omnium ordinum corruptelam describit, immixtis, repetitis vicibus, poenarum denunciationibus.

Hanc concionem non fuisse, ut duae quae praecedunt, tempore Josiae, regis, habitam, haud longe post repurgata ab eo sacra, sed primis Jojakimi, filii ejus, regnantis annis, primus vidit Altingius et argumentis pluribus comprobavit Venema. Primum enim, inquit, „casus Jeremiae, quo in discrimen vitae venit infra Cap. XXVI, 1—6. narratus, in principio regni Jojakimi, diserte a concione repetitur in atrio Templi habita, qua, Templum esse desolandum, et urbem destruendam instar *Siluntis*, declaraverat nomine Dei. Quod nusquam tam expresse factum legimus, quam in hac concione (VII, 2. 12.). Accedit, Cap. XXVI, non recitari concionem, sed digitum tantum in eam intendi, et narrari, quid ea occasione evenerit Jeremiae. Concio itaque, cujus summa tantum Cap. XXVI, 2—6. traditur, ut ratio et occasio fati Jeremiae cognosceretur, alibi quaerenda est. Deinde nonnulla in hac concione sese offerunt, quae in tempus Josiae minus quadrant. Quum enim post reformationem jam peractam statui debeat habita, quod Interpretes quoque admittunt, cum quod sacra in Templo hic memorentur rite exerceri (VII, 21 seqq.), tum quod *liber legis* jam ponatur inventus, et in manus populi traditus, ut ex VIII, 8. colligitur, ubi Judaei dicunt: *lex Jovae penes nos*, nonnulla a Josiae tempore aliena in hac concione reperiuntur. Illius enim regis tempore vates nondum Hierosolymae habitavit; quo tempore autem hanc concionem habuit, sedes illic jam firmae ei erant. Quod inde colligimus, quod VII, 2. simpliciter jubetur *consistere in atrio*, non vero, *adire Hierosolymam et consistere*, quum supra II, 1. jubeatur *ire* et *pronunciare coram Hierosolymitanis*, quia tunc nondum ibi habita-

tabat. Deinde idololatria habitae hujus concionis tempore publice exercebatur non tantum in *urbibus Judaeae*, verum et *in vicis Hierosolymae* (VII, 17.), imo in ipso Templo (VII, 30.), quod primis post cultum a Josia restitutum annis et vivente eo rege locum non tenuit. Porro in *valle Hinnom* tunc *liberi in honorem Molochi cremabantur* (VII, 31.), aris, quas Josias destruxerat, denuo erectis. Praeterea Judaei diserte dicuntur Jeremiae cohortationes respuere (VII, 27.), quod item a Josiae illo tempore abhorret, quo verba legis recitata fuerunt, et foedus Deum inter et populum solenni ritu renovatum. Denique nota aliqua temporis Jojakimi mihi in eo deprehendere videor, quod IX, 24. 25. excidium Judaeorum et populorum *vicinorum* per Chaldaeos connectitur, quod Jeremias demum tempore Jojakimi facere coepit, ut ex Cap. XXIV. et aliunde constat. Quid vero concionis loco movendae occasionem dederit? fueritne illud studio, an casu et errore factum? non liquet." Haec Venema, cui adstipulati sunt Dathius, Eichhornius (*die biblischen Propheten* P. II. p. 70 seqq.), et, cujus praestantissima hujus libri interpretatio his ipsis demum diebus ad manus nostras pervenit, postquam typis jam exscripta esset Notitia interpretum hujus prophetae (supra p. 32 seqq.), J. G. Dahler, Theologus Argentoratensis (*Jerémie, traduit sur le texte original, accompagné de Notes explicatives, historiques et critiques*, Strasbourg, 1825. in octon. p. 83 seqq.).

VII, 1. Sermo ad Jeremiam habitus a Jova hunc in modum:

2. Stato ad portam aedis Jovae, et ibi haec dicta pronunciato, ac dicito: Audite Jovae dictum, omnes Judaei, qui per has portas ad Jovam adorandum introitis.

Sic

Sic dicit Jova, agminum Deus, Deus Israe- 3.
lis: Corrigite vestros mores vestrumque
agendi modum, et sinam vos habitare in
hoc loco. Nolite falsis rebus confidere, di- 4.
centes: Jovae templum, Jovae templum,
Jovae templum est. Verum si vestros mo- 5.
res vestrumque agendi modum emendaveri-
tis, si jus hominibus inter ipsos feceritis,
peregrinos, pupillos, viduas, non adfece- 6.
ritis injuria, insontem sanguinem non ef-
fuderitis in hoc loco, neque alios deos ve-
stro malo fueritis sequuti; sinam vos habi- 7.
tare in hoc loco, hac in terra, quam ve-
stris dedi majoribus; in omnem aeternita-
tem. En! vos falsis confiditis, quod mini- 8.
me vobis proderit. Vosne dum furamini, 9.
occiditis, adulteramini, pejeratis, Baali suf-
fitis, alienosque sequimini deos, vobis igno-
tos, venire audetis in meoque stare con- 10.
spectu, in hac a me denomiuata aede, at-
que salvos praestari vobis persuasum habetis,
propterea quod ista tot scelera committitis?
Num pro spelunca grassatorum habetis hanc 11.
a me nuncupatam aedem? En! ego quo-
que video, *quid mihi faciendum.* Adite 12.
enim locum meum, qui est Silunte, ubi
ego nomen meum primo collocaveram, et
videte, quo pacto eum tractaverim ob Israe-
litarum meorum improbitatem. Quamob- 13.
rem quoniam vos ista tot patratis facinora,

inquit Jova, mihique vos ſedulo admonenti
non auſcultatis, neque vocantem auditis;
14. faciam aedi, quae a me nomen habet,
cuique vos confiditis, et loco, quem vobis
veſtrisque dedi majoribus, quomodo feci
15. Siliunti, vosque a meo rejiciam conſpectu,
quemadmodum rejeci veſtros omnes fratres,
16. ſcilicet omnem Ephraimi progeniem. Tu
vero ne precare pro iſtis hominibus, neve
pro iis oratione et precibus utere, neve
17. me compella; nec enim te audiam. Nonne
vides, quid faciant cum in oppidis Judaeae,
18. tum in vicis Hieroſolymae? Nati ligna
colligunt, patres incendunt ignem, et mu-
lieres maſſam ſubigunt ad faciendas coeli
reginae placentas, funduntque diis alienis
19. libamina, ut me irritent. Num vero me
irritant? nonne potius ſe ipſos? inquit Jova,
ut hac re fronti ſuae pudorem concilient.
20. Itaque ſic dicit Dominus Jova: Ex his ira
mea ardorque meus ſeſe effundet in iſtum
locum, in homines et beſtias, in ruris ar-
bores, terraeque fruges, et ardebit inex-
21. ſtincta. Sic dicit Jova, agminum Deus,
Deus Iſraelitarum: holocauſta veſtra addite
22. ſacrificiis veſtris, et carnem comedite. Ne-
que enim dixi majoribus veſtris, aut iis
praecepi tum cum eos ex Aegypto eduxi,
23. de re holocauſti, aut ſacrificii. Quin eis
hoc praecepi: obtemperate mihi, et ego
vobis

vobis Deus, et vos mihi populus eritis, et
ingredimini per omnem viam, quam vobis
praecepero, ut bene ſit vobis. Sed non 24.
obtemperarunt, nec aurem praebuerunt,
ſuaque conſilia et perditam animi pravita-
tem ſequuti retrorſum ceſſere, non pror-
ſum. Ex quo egreſſi ſunt majores veſtri ex 25.
Aegypto, in hunc diem, quum ego vobis
interim meos tot miniſtros, vates, miſſita-
verim, et diligenter miſſitaverim, non ob- 26.
temperarunt mihi, nec aures praebuerunt,
quin obfirmata cervice fuere majoribus ſuis
vitioſiores. Eloqueris autem eis haec om- 27.
nia verba, tibi non auſcultaturis, et tibi
non reſponſuros vocabis, et ſic adloqueris: 28.
haec gens eſt ejusmodi, ut Jovae, Deo ſuo,
dicto audiens non ſit, neque correctionem
admittat, ac ex ejus ore perierit exciſa ve-
ritas. Tonde atque abjice tuam comam, 29.
et ede per cacumina naeniam, quoniam
repudiavit deſeruitque Jova nationem, in
quam excanduit. Nam offenderunt me Ju- 30.
daei, inquit Jova, poſuere ſua flagitia in
aede a me denominata, eam polluentes,
exſtruxeruntque aras Thopheth, quod eſt 31.
in valle filii Hinnomi, ad ſuos filios filias-
que igni cremandos, id quod neque juſſi,
neque mihi venit in mentem. Ideo tempus 32.
erit, inquit Jova, quum non deinceps Tho-
pheth, aut vallis filii Hinnomi dicetur, ſed
vallis

vallis caedis, sepelientque in valle Thopheth
33. penuria loci. Eruntque hujus populi ca-
davera pastui aëriis volucribus, terrestribus-
34. que bestiis, absterrente nullo, atque ex
oppidis Judaeae, plateisque Hierosolymae
tollam voluptatis et gaudii, tollam sponso-
rum sponsarumque vocem, nam in vastita-
VIII, 1. tem redacta erit terra. Eo tempore,
inquit Jova, extrahentur regum principum-
que Judaeae, et sacerdotum, et vatum, et
Hierosolymitanorum ossa suis ex sepulchris,
2. exponenturque soli et lunae, omnibusque
coeli copiis, quas amaverint, quibus servie-
rint, quas sequuti sint, quibus studuerint,
quasque adoraverint, ita ut incondita in-
3. sepultaque terrae solum stercorent; et
praeponetur vitae mors omnibus superanti-
bus ex ista mala natione reliquiis, ubicun-
que locorum ego relictos dissipavero, in-
4. quit Jova, agminum Deus. Dices autem
eis: sic dicit Jova, num qui cadunt non
resurgunt? aut si quis se avertit, non redit?
5. Qui fit, ut populus iste Hierosolymitanus
defectione perpetua defecerit, fallaciam
6. tenens, redire renuens? Attendo et audio:
non recte loquuntur, neminem sceleris sui
poenitet, ut dicat: quid egi? omnes in
suum vertuntur cursum, ut equus recens
7. in proelium. Etiam aeria ciconia novit
sua tempora, turturque et hirundo et grus
ad-

adventus ſui tempus obſervant; ſed meus
populus Jovae ſententiam nescit.

Poteſtisne dicere vos ſapientes, Jovae- 8.
que legem penes vos eſſe? Sane mendacia
fingit mendax ſcribarum ſtilus. Pudebit 9.
ſapientes, conſternati capientur, qui quum
Jovae edicta reſpuant, quorſum eis ſapien-
tia? Itaque eorum et uxores aliis, et agros 10.
aliis poſſeſſoribus dabo; quoniam parvi
juxta ac magni omnes avari ſunt, vates ae-
que ac ſacerdotes omnes nefanda faciunt,
leviterque ſanant populi mei calamitatem, 11.
pax! pax! dictitantes, quum non ſit pax.
Pudore adficientur, qui quum ſcelerate 12.
faciant, non pudet eos tamen, nec vere-
cundari ſciunt. Itaque lapſi cadent inter
cadentes, quo tempore animadvertetur in
eos, collabentur, inquit Jova. Prorſus eos 13.
perdam, inquit Jova, nec uvae in vitibus,
nec ficus in ficubus erunt, et folia deci-
dent, conſtituamque iis, qui eos pervadant.
Quid nos (tunc dicetis) deſidemus? coeatur, 14.
ut eamus in urbes munitas, ibi patiamur
nos exſcindi, quandoquidem Jova nos ex-
ſcindere decrevit, aquam venenatam potan-
dam nobis praebet, quoniam peccavimus
adverſus Jovam. Speramus pacem, et abeſt 15.
bonum, ſperamus ſanationis tempus, et
adeſt terror. Usque a Dane audiuntur ejus 16.
equorum ronchi, et ad hinnitus ſonitum
cabal-

caballorum ejus tota terra percellitur. Ve-
niunt comeſturi regionem, et quae conti-
17. nentur eâ, urbem ejusque incolas. Nam ego
in vos ſerpentes immittam, aſpides incan-
tari neſcios, qui vos mordeant, inquit Jova.
18. O lenimen dolori meo! Cor meum intra
19. me eſt languidum. Ecce vocem querulam
filiae populi mei ex longinqua terra: Num
Jova non eſt in Zione? num ejus rex non
eſt in ea? — Cur me ſuis irritarunt ſimu-
20. lacris, peregrinis vanitatibus? Praeteriit
meſſis, peracta eſt aeſtas, nec nos liberi
21. facti ſumus. Ob cladem populi mei con-
tritus ſum, pullatus incedo, ſtupor me cor-
22. ripuit. Num reſina non eſt in Gileaditide?
nullusne ibi medicus? Cur enim non pro-
23. cedit ſanatio filiae populi mei? Utinam
caput meum ſit aqua, et oculi mei ſiant
fons lachrymarum ut filiae populi mei oc-
IX, 1. ciſos dies noctesque plorem! Utinam in
ſolitudine diverſorium viatorum habeam, ut
populares meos relinquam, ab eisque disce-
dam, quandoquidem ſunt omnes adulteri,
2. perfidorum caterva. Intendunt linguam
ſuam arcum mendacio *emittendo;* invalue-
runt in terra non fide, quin a malo in
malum procedunt, et me ignorant, inquit
3. Jova. Ac ſuum quisque proximum caveat,
neve ulli fratri confidat, nam quisque fra-
trem circumvenit, et quisque calumniato-
rem

rem agit. Suum quisque proximum fallit, 4.
neque vera loquuntur, ſuam linguam aſſue-
verunt falſa loqui; nequiter agendo defati-
gantur. Tibi ſedes eſt in mediis fraudibus, 5.
prae fraudibus noſſe me recuſant, inquit
Jova. Itaque ſic dicit Jova, agminum 6.
Deus: ego eos conflaturus et exploraturus
ſum illos. Quid enim aliter agerem circa
populi mei filiam? Telum letiferum eſt 7.
lingua eorum; doloſe loquuntur; ore ſuo
alios amice alloquuntur, in pectore ſtruunt
iis inſidias. In iſtane ego non animadver- 8.
tam? inquit Jova. An de iſtiusmodi gente
poenas non repetam? Propter montes la- 9.
mentabilem edam ploratum, et propter
pascua deſerti naeniam, quae ita aduſta
ſint, ut nemo illuc transeat, nec ſonus au-
diatur pecoris, quod et aeriae volucres
et quadrupedes aufugerint disceſſerintque.
Redigam autem Hieroſolymam in tumulos, 10.
domicilium luporum, et Judaeae urbes in
tantam redigam vaſtitatem, ut nullus inha-
bitet. Si quis ſapiens ſit, intelligat illa, ſi 11.
quis ſit, ad quem loquutus fuerit Jova, ſi-
gnificet illud. Quorſum tandem perierit
terra? exuſta fuerit inſtar deſerti, ita ut
nemo eam peragret? Et Jova, quoniam 12.
reliquere, inquit, legem meam, quam eis
propoſueram, neque mihi dicto audientes
fuerunt, neque ex ea degerunt. Sed animi 13.
ſui

ſui perverſitatem ſequuti ſunt, Baales, quos
14. a patribus ſuis didicerant. Propterea ſic
dicit Jova, agminum Deus, Deus Iſraelita-
rum: En! ego iſtos homines et abſinthium
comedere, et aquam venenatam bibere co-
15. gam. Dispergamque eos per gentes ipſis
et ipſorum majoribus ignotas, immittam-
que poſt terga eorum gladios, usque dum
16. eos confecero. Sic dicit Jova, agminum
Deus: videte, ut vocetis praeficas, quae
veniant, et ad lamentandi peritas mittite,
17. ut veniant. Adproperent edantque de no-
bis naeniam; profundant oculi noſtri lachry-
mas, et palpebrae noſtrae fluant aquâ.
18. Nam vox lamentabilis auditur e Zione:
quomodo everſi ſumus! magna adfecti ſu-
mus ignominia; relinquere terram coacti
ſumus, nam dejectae ſunt noſtrae habitatio-
19. nes. Audite enim, mulieres, Jovae dictum!
et percipiant aures veſtrae enuntiatum oris
ejus: edocete filias veſtras naeniam, et aliae
20. alias lamentationem. Nam mors per no-
ſtras aſcendit feneſtras, noſtra invadit palatia,
ut exſcindat infantes ex vicis, et juvenes e
21. plateis. Sic, inquit Jova, dicito: jaceant
hominum cadavera ut ſtercus ſub dio, ut
manipuli poſt meſſorem, colligente nullo.
22. Sic dicit Jova: ne ſe jactet ſapiens ſua ſa-
pientia, ne ſe jactet fortis ſua fortitudine,
23. ne ſe jactet dives ſuis divitiis. Sed in eo
ſe

ſe jactet, qui ſe jactet, quod me percipiat
et cognoscat Jovam eſſe, qui clementer,
qui jus aequumque faciam in terra; nam
haec mihi placent, inquit Jova. Ecce! dies 24.
venient, inquit Jova, quibus animadvertam
in omnes circumciſos aeque ac in eos, qui-
bus praeputium eſt. In Aegyptios, in Ju- 25.
daeos, in Idumaeos, in Ammonitas, in
Moabitas, et in omnes, qui circumtonſi
ſunt angulos (capitis, aut barbae), qui de-
ſertum incolunt. Nam omnes iſtae gentes
ſunt incircumciſae, omnis vero Iſraelis do-
mus incircumciſi ſunt corde.

N O T A E.

Cap. VII, 1. „Comma hoc primum, et plus quam dimidium ſecundi usque ad וְאָמַרְתָּ, itemque dimidium tertii omiſerunt LXX., ita ut non novum hic incipiat vaticinium, ſed continuet propheta ſermonem, qui in Capite VI. deſiit. Omittunt iidem quae in fine Verſus ſecundi de ingredientibus per portam leguntur.“ J. D. Michaelis.

2. Portam Templi, in qua hic ſtare vates jubetur, intelligendam eſſe *orientalem*, Kimchi colligit inde, quod quum atrium Templi ſeptem haberet portas, tres in aquilonari, totidemque in auſtrali latere, unicam vero tantum in orientali, eandem hic indicari, quum *una* tantum nominetur. Quod argumentum nihil valet; neque enim in pluribus portis ſtare propheta potuit, et dicitur hic indeterminate: in quadam Templi porta. Schmidius intelligit *portam* magnam *atrii ſacerdotum*, ad quam convenerint quotquot per omnes atrii populi portas intrare

trare soliti, tum ad sacrificia adferenda, tum ad adorandum.

3. דְּרָכִים *Vias* et מַעַלְלִים *opera* distingui ut habitus et actus, recte notavit Schmidius. וַאֲשַׁכְּנָה אֶתְכֶם *Tum porro habitare vos sinam*, in exilium alioquin abigendos, Vs. 7. Formam Piel hic eodem significatu usurpari, quo Num XXXI, 15. הַחִיִּיתֶם כָּל־נְקֵבָה *num vivere sivistis omnes feminas*, observat Kimchi. בַּמָּקוֹם הַזֶּה *In hoc loco*, in patria terra, ut infra Vs. 7. declaratur.

4. Verba אַל־תִּבְטְחוּ לָכֶם אֶל־דִּבְרֵי הַשֶּׁקֶר לֵאמֹר Chaldaeus recte sic reddit: לָא תִתְרַחֲצוּן לְכוֹן עַל פִּתְגָּמֵי נְבִיֵּי שִׁקְרָא דְאָמְרִין *ne confidite verbis prophetarum mendacium, qui dicunt.* Verbum בָּטַח hic per אֶל construitur pro עַל, ut est infra Vs. 8. Verbis ter repetitis: *templum Jovae haec sunt!* quae Jeremiae scelerum poenas minanti obvertunt prophetae illi mendaces, haud dubium est eos hoc velle: vanae sunt quibus tu nos terrere vis comminationes de hac urbe ab hostibus expugnanda et devastanda, neque enim permittet Jova tale quid fieri ei loco, quem sibi tanquam peculiarem sedem elegit, in qua adorari et sacrificia sibi offerri voluit. הֵמָּה neutraliter capiendum esse, recte monuit Lud. de Dieu. „Hebraei enim," inquit, „quum neutro genere careant, pro eo non foeminino tantum, sed et saepe masculino utuntur [cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 731. 1. a.]. Ipsum ergo prophetam in porta templi stantem, totamque ejus structuram, praesertim tres ejus in quas distinctum erat partes, vestibulum, Sanctum et Sanctum Sanctorum digito monstrantem, dixisse arbitror intrantibus: ne vosmet ipsos decipite, dicentes; *Templum Jovae, Templum Jovae, Templum Jovae sunt haec*, haec scil. quae videtis, quaeque ego digito monstro." Terna verborum הֵיכַל יְהוָה repetitione interpretum plures cum Josepho Kimchi tres potiores Templo partes, quae modo sunt commemoratae, respici putant. Chaldaeus varios quibus coli in illo templo

templo ſolebat Jova modos indicari iſta repetitione ratus, verba ita expoſuit: *Coram templo Jovae* אַתּוּן פָּלְחִין *cultum ei exhibetis, coram templo Jovae* אַתּוּן דָּבְחִין *ſacrificatis, coram templo Jovae* אַתּוּן סָגְדִין *adoratis, et tribus vicibus ſingulis annis coram eo comparetis.* Argutiae! Vere David Kimchi ait exprimi illa repetitione affectum Judaeorum verba illa cum adſeveratione proferentium, ut infra XXII, 29. ter repetito הָאָרֶץ *o terra!* loquentis affectus exprimitur. Graecus Alexandrinus poſt verba: *μὴ πεποίθατε ἑαυτοῖς ἐπὶ λόγοις ψευδέσι*, quibus prima hujus Verſus verba expreſſit, haec addit: *ὅτι τὸ παράπαν οὐκ ὠφελήσουσιν ὑμᾶς*, quae jam Hieronymus in Graeco textu reperit.

5. Verſus hic et proximus continent *πρότασιν*, *ἀπόδοσις* ſequitur Vs. 7. כִּי אִם־הֵיטֵיב הֵיטִיבוּ אֶת־דַּרְכֵיכֶם *Quodſi bene direxeritis vias veſtras*, quod mox per tres partes eximias explicat, juſtitiae, bonitatis et pietatis.

6. גֵּר יָתוֹם *Peregrinum* et *pupillum*, aſyndeton, quale Habac. III, 11. שֶׁמֶשׁ יָרֵחַ *ſol* et *luna.* וְדָם נָקִי אַל־תִּשְׁפְּכוּ בַּמָּקוֹם הַזֶּה *Et ſi ſanguinem innocentem non effundatis in hoc loco.* Quibus verbis Venema digitum intendi exiſtimat ad infanticidium idololatricum, cujus infra Vs. 31. diſerte fit mentio, cum quod h. l. cum idololatria connectatur, tum quod *loco huic*, h. e. templo, quod diſtinguatur a *terra*; adligetur. Verum infantes in valle Hinnom Molocho crematos eſſe Vs. 31. dicitur, in templo id factum eſſe nusquam legimus. De idolorum cultu agit poſterius Verſus hemiſtichium; haec vero verba pertinent ad deſcriptionem potentum, qui alios opprimebant, et innocentes morti addicebant, vel ut odium ſuum ſaturarent, vel ut illorum bona ad ſe raperent. Eo ſenſu *ſanguinem innocuum fundere* et infra XXII, 17. Jeſaj. LIX, 7. et ſaepius dicitur. Per בַּמָּקוֹם הַזֶּה non templum ſed *terra* Judaica, ut ſupra Vs. 3. et infra Vs. 7. ſignificatur. Ceterum recte notavit Gaabius,

דָּם

דָּם נָקִי esse per metonymiam *sanguinem innocentis* s. *innocentum*, ut Deuter. XVI, 10. et saepius, atque Latinos quoque *sanguinem innocentem* dicere eodem sensu. Ita Tacitus *Agricola* Cap. 45. *nos innocenti sanguine Senecio perfudit.* לְרַע לָכֶם *In malum vobis.* ל praefixum τῷ רַע non significat hic *finem*, sed *eventum*, cf. Vs. 8. 19. „Pertinent hae voces ad superiora omnia, si praestentur, et adduntur, ut, malum et excidium esse inevitabile, neglectis iis officiis, intelligerent, secus ac sibi templo fidentibus, imaginabuntur. *Ad malum vobis* itaque est idem, ac male vobis cedet, et cum pernicie vestra conjunctum est, quod vitandum vobis injunxi.“ Venema.

7. וְשִׁכַּנְתִּי „*Habitare vos faciam*, ut Vs. 3. וַאֲשַׁכְּנָה. At codex Regiomontanus I. וְשָׁכַנְתִּי habet, sic vertendum: *habitabo vobiscum in loco hoc.* Ita Vulgatus, *habitabo vobiscum*, utrobique, cum hic, tum Vs. 3., itemque Aquila in codice Syro - Hexaplari ܘܐܫܪܐ ܥܡܟܘܢ. Sed prius melius est, quia sequitur, *quam dedi patribus vestris.*“ J. D. Michaelis. Praeterea admisso שָׁכַנְתִּי foret pro אֶתְכֶם legendum אִתְּכֶם. „Postremae voces, לְמִן־עוֹלָם וְעַד־עוֹלָם *a seculo ad seculum*, construi possunt vel cum praecedentibus, *quam dedi patribus vestris*, vel cum initio Versus, *quiescere vos faciam. Priore* sensu dicit, Deum dedisse terram in haereditariam possessionem Patribus ab antiquo, et in perpetuum, quo promisso fruerentur, si officio recte fungerentur. *Posteriore* ratione denotabit phrasis, eos in posterum per secula continuata habitaturos esse terram, *ab uno seculo* semper *ad aliud.*“ Venema. Ottenzoser notat, ex mente eorum, qui Accentus apposuere, verba illa construenda esse cum וְשִׁכַּנְתִּי, quum ea cum לַאֲבוֹתֵיכֶם jungere vetet Accentus Athnach huic voci adscriptus.

8. „Verba לְבִלְתִּי הוֹעִיל plerique omnes vertunt, *quae non prosunt*, id est, אֲשֶׁר לֹא יוֹעִילוּ. Praefero

fero longe Jonathanem, qui ad verbum transtulit: בְּדִיל דְּלָא לַהֲנָאָה *ut non fit ad juvandum.* Hebraea fonant: *ad non proficiendum*, ut non profit vobis fcil. fiducia veftra. Senfus eft: vos datâ operâ hoc agere videmini, ut non juvemini. Si enim ex fiducia veftra emolumentum capere velletis, non eam בְּדִבְרֵי שֶׁקֶר *in verbis* aut *rebus mendacibus* collocare oportebat, in quibus eam cum ponitis, hoc ipfum videmini velle, ut nihil vobis profit. Vel fic: *Vos confiditis vobis in verbis mendacii, nihil proficiendo*, id eft fruftra, fine ullo profectu." Ludov. de Dieu. Non dubium, praeferendum effe pofterius. Nam ל non indicat Judaeorum intentionem, fed eventum, ut לְרַע לָכֶם fupra Vs. 6. Alexandrinus: ὅθεν οὐκ ὠφεληθήσεσθε.

9. Cohaeret hic Verfus cum proximo hoc fenfu: cur mihi gratum vobisque utile id effe putatis, quod furantes, occidentes, pejerantes rel. in templo meo comparetis? Putatisne haec omnia fcelera poffe tegi externo cultu, ut quamvis illa patretis, tamen quia templum meum frequentatis, me vobis propitium effe, neque ullum vobis inftare malum imaginemini? Infinitivi רָצֹחַ גָּנֹב, rel. funt pro verbis finitis pofita (cf. fupra ad VI, 11.), fed cum emphafi quadam, ut habitum et continuos actus indicent, ut Hof. IV, 2. Jefaj. LIX, 4. Interrogationem Jarchi recte obfervat admirationem exprimere, quod quum tot illi fcelera admittant, tamen templum fibi prodeffe fperent.

10. Verba בַּבַּיִת הַזֶּה אֲשֶׁר נִקְרָא - שְׁמִי עָלָיו Hieronymus fic vertit: *in domo hac, in qua invocatum eft nomen meum.* Minus accurate. Ad verbum ita eft vertendum: *in domo hac, fuper qua nomen meum vocatur*, i. e. quae de nomine meo vocatur, quod meum nuncupatur, quod mihi facrum eft; cf. quae de hac phrafi notavimus ad Exod. III, 18. edit. tert. Quam Gaabius propofuit illorum verborum interpretatio: *in domo hac, fuper qua nomen meum legitur* (cf. קָרָא Exod. XXIV, 7.)

7.) i. e. cui nomen meum inscriptum est, minus placet, neque enim Templo nomen Jovae inscriptum fuisse constat. נִצַּלְנוּ „*Erepti sumus* scil. ex imminentibus malis, Ezech. XXIV, 16. 18. Amos. III, 12., nihil periculi nobis metuendum, secus ac vos prophetae dicitis. Praeteritum loco Futuri denotat firmam persuasionem incolumitatis.“ C. B. Michaelis. Sed filius, Joa. Davides, collato Arabico نصل, quod inter alia notat *tincturam exsuit, deletus fuit sine vestigio color*, unde in Conjug. V. *absolutus fuit a crimine*, vertere mallet: *innoxii et ab omni macula puri sumus.* Quod sequutus Gaabius: expiati in templo lotionibus, precibus, victimis nostris ab omni crimine ex poena absoluti sumus. Plane contra usum verbi נִצַּל apud Hebraeos, quibus forma Niphal *e periculis eripi* denotat. Nec est, cur J. D. Michaelis interpretationem a se prolatam congruere contextui dicat; ei magis convenit, ut נִצַּלְנוּ sit vox rebus suis temere fidentium. Syrum, qui ܦܨܢ *libera nos* vertit, patet הַצִּלֵנוּ legisse, ut missae ad Jovam Judaeorum preces, ut imminenti periculo eriperentur, ea voce expressa sint. Non tamen cum Leistio id ei quod in codicibus omnibus exstat, נִצַּלְנוּ, et a Chaldaeo quoque, Aquila et Symmacho exhibetur, praeferendum ducimus. Alexandrinus נִצַּלְנוּ cum iis, quae proxime sequuntur, conjunxit hoc modo: ἀπεσχήμεθα τοῦ μὴ ποιεῖν πάντα τὰ βδελύγματα ταῦτα. Non est necesse, ut interpretem statuamus legisse נֶאֱצַלְנוּ, uti conjecit Lud. Cappellus in *Observatt.* ad h. l.; sed נִצַּלְנוּ cepit hoc sensu: *abstraximus nos* a faciendo rel., quomodo tamen verbum hebraicum nusquam usurpatum reperitur. „Verba לְמַעַן עֲשׂוֹת אֵת כָּל־הַתּוֹעֵבוֹת הָאֵלֶּה si vertas *propterea ut faciatis omnia illa abominanda*, profecto haud aptissime cohaeret oratio. Venema igitur cum sequentibus conjungit, eumque sequitur Dathius, locum sic interpretatus: quae tanta scelera quum a vobis committantur, necesse est,

ut

ut vobis haec aedes, quae ex nomine meo vocatur, latronum ſpelunca eſſe videatur. Sed obſtat particula ה voci מְעָרַת praefixa. Adſeverantis quidem hic eſſe praecipit Venema. At quomodo adſeverantis eſſe poſſit, quum nomen, cui adhaeret, ſit in regimine collocatum? Interrogantis autem ſi ſit, verti nequit *neceſſe eſt* ut vobis rel., hoc enim ſenſu dicendum erat: הֲלֹא מְעָרַת פָּרִצִים הָיָה. Nec quam Michaelis in verſione reddit ſententia: *und ſagen: wir ſind rein gewaſchen, mit dem Vorſatz, alle dieſe Abſcheulichkeiten noch weiter fortzuſetzen;* ſatis facit: videtur illa injuriam facere Judaeis, eosque juſto impudentiores exhibere, ſi לְמַעַן intelligatur de animi propoſito. Aptiorem ſenſum exprimit Grotius verbis: *liberati ſumus quamvis fecerimus* rel., modo loquendi uſu probari poſſit haec vocis לְמַעַן ſignificatio. Nobis vero errare videntur, qui הַתּוֹעֵבוֹת de ſceleribus ante commemoratis, furtis, caedibus, adulteriis, perjuriis, dictum eſſe velint: quis enim, quaeſo, fuerit tam inſanus, et ſibi perſuaderet, ad Deum conciliandum talia valere quidquam poſſe? Sed *ſacra* intelliguntur, quae ſolebant ab improbis hominibus peragi, quando aedem Deo ſacram accederent, dicunturque haec תּוֹעֵבוֹת ex ſenſu et aeſtimatione Jovae, cui in tanta morum pravitate non poſſent non moleſta eſſe atque inviſa. Itaque ſenſus eſt: ſceleribus vosmet indulgetis, at quod tamen aedem meam frequentatis, precibus aliisque ſacris vacantes, putatis, vosmet evaſiſſe, nihil vobis periculi a Jova timendum eſſe, ſcilicet quod ſint magno a me pretio aeſtimanda illa ſacra, quae tamen non poſſint non eſſe mihi perquam ingrata." Haec Schnurrerus, quem quidem cum Leistio judicamus jure vituperaſſe aliorum interpretationes, nec tamen quam ipſe protulit, interpretationem probandam eſſe; quippe quum nimis videatur arbitraria. Equidem adſtipulor Leistio, nomini תּוֹעֵבוֹת propriam ſuam et uſitatam ſignificationem vindicanti, illudque, praeſertim ob adjectum Pronomen הָאֵלֶּה, ad ſcelera, quae in ſuperiori

riori Verſu enumeraverat propheta, referenti. Verba, quae poſterius Verſus hemiſtichium conſtituunt, a Viro Doctiſſimo recte capi per ironiam dicta arbitramur hoc ſenſu: ſtolida vanitate decepti jam gloriamini, dicentes: „erepti ſumus periculo, quod nobis imminebat." — ſcilicet, quod tanta commiſeritis ſcelera! Minus recte tamen Leistium perhibere exiſtimo, לְמַעַן h. l. *quia* valere, ut Jeſaj. LXVI, 11., quo quidem loco illam vocem *ut* ſignificare vix eſt dubium. Sed conſtat, לְמַעַן Nomini praemiſſum ſignificare *propter*. Jam quum h. l. עֲשׂוֹת ſit Infinitivus nominaſcens, verba proprie ſic erunt vertenda: *propter τὸ facere omnia iſta abominanda*, eodem plane modo quo infra Vs. 13. dicitur יַעַן עֲשׂוֹתְכֶם διὰ τὸ πράσσειν ὑμᾶς, *propterea quod haec facitis*. Gaabius poſteriore Verſus hemiſtichio לְמַעַן עֲשׂוֹת וגו' continuari putat improborum verba, hoc modo: poena abſoluti ſumus, ita ut nihil nos impediat, ut ad flagitia iſta revertamur, f. flagitia iſta committamus. הַתּוֹעֵבוֹת ab improbis, qui loquentes inducuntur, per ironiam uſurpatum vult, q. d. facta, abominatione digna, ſcilicet ex tuo, propheta, judicio. Quod tamen, ex noſtro quidem ſenſu, durius fuerit.

11. בְּעֵינֵיכֶם in fine hemiſtichii prioris eſt cum הָיָה jungendum hoc modo: *num ſpelunca graſſatorum eſt in oculis veſtris haec aedes?* num talis videtur vobis? „Id eſt: patiarne ego, ut, ſicut ſpeluncae latronibus ſunt pro perfugio, ita templum meum vos contra omnia ſcelera defendat?" Grotius. Imaginem J. D. Michaelis notat deſumtam eſſe a ſpeluncis Palaeſtinae ſubterraneis, in quibus, teſte Josepho (*de bello Jud.* L. I. Cap. 16. §. 4. *Antiqq.* L. XV. Cap. 10. §. 1.) ſaepe latrones commorari ſolebant. Eos Michaelis h. l. feris rapacibus, quae in ſpeluncis latere ſolent, comparari exiſtimat, videlicet quod פָּרִצִים proprie ſint qui *lacerant*, collato Arabico فرس *laceravit* unde فارس *leo*. Verum hoc Participium

pium *lacerantem* denotans, nonnisi ut epitheton leonis poeticum usurpatur. Hebraeis vero פָּרַץ *rupit, disrupit, irrupit*, denotare constat, unde פָּרִצִים dicuntur homines, qui repagula legum et honestatis perrumpunt, et aliis vim inferre audent, qui caedibus et latrociniis grassantur, ut Ezech. VII, 22. XVIII, 10. Dan. XI, 14. Ps. XVII, 4. — גַּם אָנֹכִי הִנֵּה רָאִיתִי *Etiam ego ecce! video* scil. esse aedem meam speluncam latronum, pro qua illam habere videmini, atque quod templum meum ita profanum redditis severe ulciscar. Id enim reticeri, sed subaudiendum esse, arguit poenarum comminatio, quae sequitur.

12. Ne vobis, inquit, persuadeatis, me ob templum meum, quod est Hierosolymae, eam urbem conservaturum esse. Nam quantum absit, ut loci sanctitas efficere queat, ne poenas dent, qui eum scelesti adeunt, exemplum habetis in Silunte. כִּי לְכוּ־נָא אֶל־מְקוֹמִי *Nam ite modo ad locum meum*, i. e. quem mihi elegeram, in quo Sacrarium meum collocaretur, et cultus mihi exhiberetur, cf. Deut. XII, 5. — אֲשֶׁר בְּשִׁילוֹ *Qui erat in Schilo*, oppido tribus Ephraim, ubi Tabernaculum sacrum fixum erat, vid. Jos. XVIII, 1. Jud. XVIII, 31. 1 Sam. IV, 3. — אֲשֶׁר שִׁכַּנְתִּי שְׁמִי שָׁם *Ubi habitare feci nomen meum*, i. e. ubi cultum meum et religionem meam posueram, quo sensu haec phrasis et Deut. XII, 11. Neh. I, 9. et saepius usurpatur. בָּרִאשֹׁנָה *In principio*, i. e. cum primum majores vestri Palaestinam occupassent. וּרְאוּ אֵת אֲשֶׁר־עָשִׂיתִי לוֹ *Et videte quid fecerim illi*, Silunti, sive tabernaculo sacro, ibi collocato, quod una cum arca sacra, postquam ea a Philisthaeis in bello capta fuisset (1 Sam. IV, 11.), ad Kirjath - Jearim translatum fuit 1 Sam. VII, 1. 2. Hinc Ps. LXXVIII, 60. dicitur: וַיִּטֹּשׁ מִשְׁכַּן שִׁלוֹ *reliquit habitaculum Silunticum*.

13. וָאֲדַבֵּר אֲלֵיכֶם הַשְׁכֵּם *Et loquutus sum ad vos mane surgendo*, i. e. studiose, nullam praetermittendo occasionem; vid. de hac verbi הַשְׁכִּים significatione not. supra ad V, 8. p. 198. וְדַבֵּר pro דִּבַּרְתִּי, quod in hac

ipsa phrasi Jesaj. LXV, 12. ponitur; cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 782. no. 7. וָאֶקְרָא אֶתְכֶם וְלֹא עֲנִיתֶם *Vocavi vos*, ut ad me redeatis, *sed non respondistis*, vocanti mihi aurem non praebuistis, cf. Jesaj. L, 2.

14. Ad verba כַּאֲשֶׁר עָשִׂיתִי לְשִׁלוֹ *quemadmodum feci Silunti*, vere monuit Schmidius: „non modo quod ad *ablatam* inde a Philisthaeis *arcam* attinet, sed *omne id*, quod illi loco ad praesens contigit, ita ut sub *Siluntis* ruina contineatur simul captivitas decem tribuum, cf. Vs. 15."

15. אֵת כָּל־זֶרַע אֶפְרָיִם *Omne semen Ephraimi*, i. e. recte explicante Kimchio, *decem tribus*, quae inde a diviso Israelitico et Judaico regno *Ephraim* nuncupatae sunt, quia penes eam tribum regia potestas fuit. Cf. Jesaj. VII, 2. Hos. V, 9.

16. Alloquitur Jova prophetam, cui significat, nolit sperare, ut deprecando pro populo propter paucos, qui in eo sint, pios, decretum illi exitium, avertere possit, omnes enim aeque corruptos esse, Vs. 17. 18. De nomine רִנָּה, quod hic de flebili precatione dicitur, vid. not. ad Ps. XVII, 1. — וְאַל־תִּפְגַּע־בִּי „Proprie: *ne occurras mihi*, nempe deprecans, meque a poenis sumendis avertens. Alexandrini: μὴ προσέλθῃς μοι." J. D. Michaelis.

17. Considerare jubet Deus prophetam, cujusmodi isti homines sint, ut judicet ipse, num injuste tantopere iis excandescat.

18. Omnis aetatis et sexus homines in parandis sacrificiis, quae falsis diis sint offerenda, summo studio occupati deprehenduntur; omnes ac singuli idolorum cultui sunt addicti, eumque promovent. כַּוָּנִים Kimchi recte ait esse *placentas* a כּוּן *parando* dictas, quarum in sacrificiis usus erat. Praecedit enim, feminas depsuisse massam, et sequitur, τὰ כַּוָּנִים oblata *reginae coeli* fuisse. Graecus Alexandrinus χαυῶνας reddidit, „incertum," inquit J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 1234., „utrum

igno-

ignotum vocabulum retinens literisque Graecis exprimens? an graeco vocabulo, felicitate linguae usus, exprimens? Posterius quidem sumi solet atque *χαυὼν* pro vocabulo vere graeco haberi, Lexicis etiam Graecorum insertum. Etymologicum certe Magnum, sed nullo addito etymo, et Suidas, *χαυῶνας*, inquit, *ἄρτους ἐλαίῳ ἀναφυρασθέντας ἢ λάχανα ὀπτὰ*, *panes hordaceos, oles mixtos, vel olera assata.*" Theodoretus *χαβῶνας* scribit et eas esse dicit *πέμματά τινα ἔνδον ἔχοντα κώνους καὶ ἀσταφίδας, καὶ ἕτερα τοιαῦτα*, *placentas quasdam ex nucibus pineis et uvis passis, aliisque consimilibus confectas.* Cujusmodi placentae apud Hoseam III, 1. אֲשִׁישֵׁי עֲנָבִים vocantur, vid. not. ad eum loc. Videtur nomen כַּוָּן, *χαυὼν*, *χαβὼν*, *καυὼν*, e Syrorum et Phoenicum sacris et Graecis innotuisse. מְלֶכֶת הַשָּׁמַיִם *Reginam coeli* esse *lunam*, vix est dubium. Eam Apuleius *Metamorph.* L. XI. p. 657. edit. Basil. (a. 1560. in octon.) ita alloquitur: *Regina coeli, sive tu Ceres alma, frugum parens, — seu tu coelestis Venus — seu Phoebi soror — seu nocturnis ululatibus horrenda Proserpina.* Horatius *Carmen Seculare* ita orditur:

Phoebe, silvarumque potens Diana,
Lucidum coeli decus!

Et Vs. 35. *Siderum regina bicornis, audi,*
Luna, puellas.

Sine ratione idonea J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 1514. negat מְלֶכֶת *reginam* significare, eam in statu constructo ubique מַלְכַּת esse. Sed vero observavit Gesenius in Lex. min. edit. sec., מְלֶכֶת esse a forma Chaldaica מְלַךְ. Ita גְּבֶרֶת *domina* Genes. XVI, 4. 8. a גְּבַר. Quum vero forma מְלֶכֶת non nisi iis locis, quibus de cultu superstitioso agitur, hoc videlicet loco, et infra XLIV, 17. 18. 19., usurpata reperiatur, haud improbabilis est conjectura, vatem consulto formâ peregrinâ usum esse ad peregrinum cultum designandum. „E variis," inquit Spencerus *de legib. Hebraeor. rituall.* L. III. Dissert. IV. Cap. 3. p. 825. edit.

edit. Tubing., „hujus loci circumſtantiis inferre licet, idololatras illos Judaeos ritus aliquos in lunae recentis honorem ritu gentili peregiſſe. Nam idololatrae illi כַּוָּנִים obtulerunt, i. e. placentas arte et cura non vulgari (voce forſan a כון derivata, quod *parare* et *perfecte curare* denotat) paratas, quas itaque Chryſoſtomus πόπανα, Olympiodorus, πέμματα, *cupedias* fuiſſe ſentit. Et hasce etiam in Neomeniarum ſacris cupedias, placentas aut panes, e melle triticique purioris ſimila confectas (ſi Herodoto L. VIII. τὰ δ' ἐπιμήνια μελιτόεσσά ἐστι, et Luciano in *Lexiphan.* ἄρτοι μέντοι ἦσαν σηφαῖοι οὐ φαῦλοι, καὶ ἄλλοι νουμήνιοι ὑπερήμεροι τῆς ἑορτῆς, credamus) obtulerunt. Quum etiam in civitatis plateis focos accenderent Iſraelitae, hoc etiam e moris ethnici in noviluniis uſitati ſtudio feciſſe videntur; ethnicos enim, cum Neomenias agerent, in plateis ante domos ſuas πυρκαϊὰς, feſtos aut luſtrales ignes accendere ſolitos e canone 65 Concilii Trullani cognoscitur. Iſraelitas autem ligna eo fine collegiſſe mihi facile perſuadeo, quod ligna paucula ad placentas tantum coquendas colligere, laboris haud multi foret, nec operoſum illud filiorum ſimul et patrum miniſterium poſtulavit." Sunt, qui מְלֶכֶת ſcriptum putent pro מְלֶאכֶת *opus*, quod ipſum plene exhibent plus quam viginti codices Kennicottiani, XXIV de Roſſiani, editionesque Soncinenſis et Complutenſis. *Opere coelorum* ſignificari ſidera exiſtimant. Ita jam Graecus Alexandrinus, qui τῇ στρατιᾷ τοῦ οὐρανοῦ vertit, et Chaldaeus, qui כּוֹכְבֵי שְׁמַיָּא *ſtellas coeli* reddidit. Hieronymus in Commentario dubitanter ſcripſit: „Ut omne genus oſtendat ſacrificii *reginae coeli*, quam *lunam* debemus accipere, vel certe *militiae coeli*, ut omnes ſtellas intelligamus." Sed vatem et hoc loco, et infra XLIV, 17 ſeqq. non de cultu aſtrorum in univerſum, ſed de ſacrificiis, quae in honorem certi alicujus Numinis peragi ſolerent, loqui patet. Plura in hunc locum diſputarunt Jo. Frischmuth Diſſ. *de Melecheth coeli,*

Jen.

Jen. 1663. in quat. Abrah. Calovius, Fil., Differt. *de Selenolatria,* Viteberg. 1680. (repetita in *Thefauro theolog. philolog.* priori Vol. I. p. 808 feqq.), Jo. Conr. Dietericus in *Antiqq. bibll.* p. 607 feqq. Ursinus *Analectt.* SS. P. II. L. II. p. 101. Jurieu *Hiftoire des Dogmes et des cultes* P. IV. Ch. 3. 4. p. 678. 679. Zornius in *Biblioth. antiq. exeget.* p. 798 feqq. De הַסֵּךְ נְסָכִים *libare libamina* vid. not. ad Jefaj. LXV, 11.

19. הֲלוֹא אֹתָם *Nonne eos,* i. e. fe ipfos (Suffixum Pronominis perfonalis eft reciproce capiendum, ut Genes. XXII, 3. 1 Sam. I, 24., vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 752.) fcil. מַכְעִסִים הֵם *aegritudine fefe afficiunt?* quod ex hemiftichio priori repetendum. לְמַעַן בֹּשֶׁת פְּנֵיהֶם *Propter pudefieri vultus eorum,* i. e. aegritudine afficientur propterea quod fefe fpe fua excidiffe et in exitium effe delapfos experientur. Appofite confert Kimchi illud Jobi XXXV, 6. *Si delinquas, quid illi officies? fi multa pecces, quid ei facies?*

20. וַחֲמָתִי נִתֶּכֶת *Et ira mea effundit fe* inftar copiofi imbris, de quo verbum נִתַּךְ proprie dicitur, vid. Exod. IX, 33. 2 Sam. XXI, 10. Cf. fupra VI, 11.

21. עֹלוֹתֵיכֶם סְפוּ עַל־זִבְחֵיכֶם *Holocaufta veftra addite facrificiis veftris* reliquis. „זְבָחִים funt hic, quia holocauftis opponuntur, *facrificia falutaria* [שְׁלָמִים Exod. XX, 21.], ut vel ex eo apparet, quod additur, וְאִכְלוּ בָשָׂר *et comedite carnem.* Horum enim folorum carnes comedebantur ab offerentibus.“ J. D. Michaelis. סְפוּ Imperativus verbi סָפָה, ejusdem ac יָסַף fignificationis (vid. e. c. Jefaj. XXX, 1.), vel poteft ad ipfum verbum יָסַף referri, ut שְׁבוּ *confidete* Genes. XXII, 5. eft a יָשַׁב, et רְדוּ *defcendite* Genes. XLII, 2. a יָרַד. Nec eleganter nec appofite ad rem A. Schultens in *Origg. Hebrr.* p. 170. סָפָה collato cum Arabico سقي *rafit* locum fic reddidit: *holocaufta veftra corradite fuper facrificia veftra.* Ceterum recte obfervat Kimchi, hisce verbis non

non contineri mandatum approbantis aut cupientis, sed repudiantis; veluti cum quis alteri dicit: fac quicquid volueris, nihil tamen tibi proderit. „Verum loci sensum," inquit Schnurrerus, „neque Michaelis assequutus videtur, neque Dathius. Ille sic vertit: *Thut immerhin Brandopfer bey andern Opfern, und esset bey der Gelegenheit Fleisch.* Hic: *multiplicate holocausta et sacrificia vestra quantum voletis; vos carnem comeditis* (*non ego*). Constat, primarium genus sacrificiorum holocausta fuisse, quae tota igne absumenda essent, in reliquis autem sacrificiis victimae partem haud contemnendam cessisse in usum offerentis, ut ipse, quibuscum vellet, rite ea vesci posset. Credibile autem est, prophetae, remissionem in colendo Iova subinde gravius exprobranti Judaeos vel dictis vel animo objecisse: vanam esse istam reprehensionem, ne holocausta quidem ab se intermitti, quae, quod integra Deus soli sibi vindicet, offerenti ne minima quidem hostiae parte relicta, sumtuosoria sint, nec nullius pretii munera. Itaque negat Jova, se holocausta majoris aestimare, quam reliqua sacrificia salutaria, licere per se, ut utrumque sacrificiorum genus eodem modo habeant Judaei, et ipsis holocaustis non minus, ac reliquis victimis, vesci pro lubitu possint. וְאִכְלוּ בָשָׂר breviter dictum pro וְאִכְלוּ עֹלֹתֵיכֶם בָּשָׂר *comedite holocausta vestra* tanquam *carnem* communem."

22. Negat hic Deus se Judaeorum majoribus quo tempore eos Aegypto eduxit de sacrificiis praecepta dedisse, quum tamen inter leges eas quas divino jussu promulgavit Moses, haud sane paucas ad sacrificia spectare constet. Quod Jarchi ita expedit, ut Deum hisce verbis hoc velle dicat: „Ab initio non fuit aliud pactum inter me et vos nisi illud Exod. XIX, 5. *Si dicto meo audientes fueritis, et foedus meum servaveritis, eritis mihi peculium.*" Quod clarius exponit Kimchi hunc in modum: „Sunt, qui hunc locum intelligendum esse putent de ea lege, quam primam omnium Israelitis dederit

Deus;

Deus; ea vero erat illa, quam dedit in Mara (Exod. XV, 25. *ibi dedit ei*, populo, *ſtatutum et legem*). Et hoc eſt quod dicunt Magiſtri noſtri piae memoriae in codice *Sanhedrin* fol. 56. *Sabbatum et judicia* (דינין) i. e. praecepta *in Mara deponam.* Illic vero nihil de ſacrificiis praecepit [ſed Vs. 25. *ſi dicto Domini, Dei tui, audiens fueris* rel.]. Poteſt vero hic locus et hoc dicere, primariam et fundamentalem legem non eſſe circa ſacrificia, ſed hanc: *dicto meo audientes eſtote, tunc populus mihi peculiaris eritis.* Et hac conditione dedit iis legem. Nec in decem praeceptis, quibus totius legis ſumma continetur, ſacrificiorum fit mentio. Praeterea ubi de ſacrificiis agitur (in libris Moſaicis), non praecipitur Hebraeis, ut ſacrificia offerant, ſed ita dicitur Levit. I, 2. *Si quis veſtrum offerre oblationem voluerit*, ſi ſponte ſua id facere voluerit, hoc vel illo modo id faciat." Cf. Maimonidis *Moreh Nebochim* P. III. Cap. 32. p. 435 ſeq. vers. lat., qui recte Pſ. L, 7. 8. 9, cum hoc Jeremiae loco conferre jubet. Vid. et Hoſ. VI, 6. Pſ. XXX, 7. LI, 18. Plura in hanc rem disputavit Spencerus *de Legg. Hebrr. rituall.* L. III. Cap. I. Sect. II. p. 746 ſeqq. edit. Tubing. Ad הוֹצִיא ſubaudiendum eſſe Pronomen affixum primae perſonae, docet res ipſa, et expreſſum eſt in margine (קְרִי), ubi הוֹצֵיאִי legendum praecipitur, quod ipſum plures codices in textu habent. Similem Pronominis affixi ellipſin notatam vid. ad Vs. 24.

24. Ad בְּמֹעֵצוֹת eſt ex ſequenti לִבָּם Pronomen ſuffixum ſubaudiendum, cf. Pſ. LXXXI, 13. Mich. VI, 16. Kimchi: וילכו בעצותם לא בעצתי *ambularunt in conſiliis ſuis, non in conſilio meo.* De phraſi בִּשְׁרִרוּת לִבָּם cf. not. ſupra ad III, 17. — וַיִּהְיוּ לְאָחוֹר וְלֹא לְפָנִים *Et fuerunt retrorſum* ſcil. mihi, loquenti, *non ad faciem*, antrorſum, tergo mihi obverſo a me receſſerunt, non vero ad me acceſſerunt. Chaldaeus: וְאַחֲזָרוּ בְּפוּלְחָנִי קְדָל וְלָא שַׁוִּיאוּ דַחֲלְתִּי לְקָבֵיל אַפֵּיהוֹן *et obverterunt cultui meo tor-*

tergum, nec posuerunt timorem mei coram facie sua. Cf. supra II, 27.

25. יוֹם Kimchi recte notat hic poni pro יוֹם יוֹם *singulis diebus*, quod ipsum in codice Kennicotti numero 72 notato reperitur. הַשְׁכֵּם וְשָׁלֹחַ *Matutinando et mittendo* scil. וָאֶשְׁלַח *misi*, quod praecessit, i. e. continuo et studiose per prophetas meos ad vos missos vos commonefeci. De הַשְׁכֵּם vid. supra ad Vs. 13.

27. Praeteritum וְדִבַּרְתָּ pro Futuro hic poni arguit quod sequitur וְלֹא יִשְׁמְעוּ אֵלֶיךָ *nec audient tibi*, q. d. idem tibi eveniet, quod prophetis, qui te antecesserunt. יַעֲנוּכָה pro יַעֲנוּךָ, ut 1 Reg. XVIII, 44. יַעַצְרְכָה *detinebit te* pro יַעַצְרְךָ.

28. וְאָמַרְתָּ „Q. d. etsi adhortationibus tuis non obedient, *tamen*, ut sciant quales sint, et quae poenae ipsos maneant, *dices eis*.“ C. B. Michaelis. אָבְדָה הָאֱמוּנָה *Periit veritas*, i. e. fides, religio, virtus, scil. מִבֵּינֵיהֶם *inter eos*. Neque enim haec verba cum iis, quae proxime sequuntur, ita jungenda sunt, ut sensus sit: *periit veritas ex ore eorum*. Accentus distinctivus major, *Saleph katon*, voci הָאֱמוּנָה appositus, duas illas voces seorsim capiendas esse indicat eo modo ut supra fecimus. וְנִכְרְתָה מִפִּיהֶם *Et excisa est* etiam *ex ore eorum*, ut ne nomen quidem veritatis et fidei inter illos audiatur, nec in animo nec in ore amplius reperitur.

29. גָּזִּי נִזְרֵךְ וְהַשְׁלִיכִי *Tonde comam tuam et abjice*. „Quum verba sint generis feminini in prima parte Versus, intelligitur *Zion*, et quidem sub matronae regiae persona proposita, ad quam sermo vertitur. Pendet nexus orationis a Versu praecedente, ubi propheta jussus erat *populum* alloqui, qui sermo ad populum hic continuatur; sed ad Zionem, tanquam reginam, vertitur; sine quo observato nimis abruptum foret alloquium ad Zionem. Vocatur autem Zion ad *squalorem* et *lamentationem*, in signum privationis omnis ornatus et prosperitatis. *Demete*, dicitur ipsi, *comam tuam*, h. e. omni

omni te orbam eſſe ornatu, honore, dignitate et libertate ſcias, adeoque comam, quae te ornat, et inſtar coronae eſt, detonde et abjice. Reſpicitur non ad comam votivam Naziraeatus [de qua נְזִיר Num. VI, 19. uſurpatur], uti paſſim volunt, quod huc non quadrat, nec in feminis adeo ſuetum erat; ſed ad prolixam et ornatam feminae comam, nec qualiscunque, ſed matronae regiae, uti vox נֵזֶר docet, quae ſtudio videtur a propheta ſelecta, ut manu quaſi duceremur ad ſenſum emblematicum *detonſae comae,* et de ornatu ac dignitate regia ablata ſimul cogitaremus [quum נֵזֶר et *diadema, coronam* denotet, vid. Pſ. LXXXIX, 40.]; vid. Mich. I, 16. Sunt, qui reddant *velle comam*, minus convenienter verbo גָּזַז; a quo longius adhuc abit Schmidius, qui non de *coma,* ſed de *corona* avulſa interpretatur. Ducit enim verbum nos manifeſte et unice ad *comam*, nec *vellere*, ſed *demetere* ac *tondere* denotat, uti Bochartus jam demonſtravit *Hieroz.* P. I. L. II. Cap. 45. [T. I. p. 537. edit. Lipſ.]. Confirmat Arabica lingua, in qua, praeter generalem *deſecandi* poteſtatem, habet *metendi* et *demetendi*, uti apud Hebraeos גֵּז de *gramine deſecto* dicitur. Sic et *crines demetere* dicunt Latini." Venema. De comae tonſione, ſigno luctus, cf. not. ad Job. I, 20. Chaldaeus haec verba ſic explicavit: חֲלִישִׁי עַל רַבְרְבַיִךְ דִּיגְלוֹן *denuda te* ſcil. comâ *ob principes tuos, qui migrabunt.* וּשְׂאִי עַל־שְׁפָיִם קִינָה *Et tolle ſuper eminentioribus locis lamentum;* cf. not. ſupra ad III, 21. Graeci Alexandrini vertunt: ἀνάλαβε ἐπὶ χειλέων θρῆνον, unde Lud. Cappellus in *Crit. S.* p. 653. edit. Hal. illos שְׂפָתַיִם legiſſe colligit, quod recepto שְׁפָיִם praeferendum exiſtimat. Sed vere Buxtorfius in *Anticrit.* p. 612.: „Sane eo ſenſu reddiderunt Graeci, quaſi שפים ſignificaret idem quod שפתים, an vero propterea ita legerint in ſuo codice, inde non conſtat. Potuerunt ſumere pro שפתים, ac proinde ita interpretari, quia loquutio ſic ipſis videbatur commoda; potuerunt etiam ita vertiſſe per ἀβλεψίαν propter

pter affinitatem harum duarum eorum. Et nego, melius legi שְׂפָתַיִם quam שְׁפָיִם. Nuspiam enim haec phrasis in Scriptura legitur, ut verbum נָשָׂא cum nomine שְׂפָתַיִם hoc sensu construatur. Contra, pro lectione hodierna recepta invenimus similem phrasin supra III, 21., ubi LXX. iterum reddunt *φωνὴ ἐκ χειλέων.* Ergo et hic aliter legerunt. Hieronymus: *vox in viis audita est;* addit quidem in parenthesi: *vel, in labiis*, sed apparet, illum legisse שְׁפָיִם. Chaldaeus reddidit עַל גַּבִּירִין *super duces,* quos per *clivos* seu *loca excelsa* intellexit, unde et ille legit sicut nos. Alibi *clivorum* etiam mentio in calamitatum descriptione, vid. infra IX, 9. XII, 12." — וַיִּטֹּשׁ אֶת־דּוֹר עֶבְרָתוֹ *Reliquit generationem excandescentiae suae,* i. e. in quam excanduit propter sua peccata, ut עַם־עֶבְרָתִי Jesaj. X, 6. Hic enim est usus Genitivi apud Hebraeos, ut quandoque objectum denotet; vid. Glassii *Philol. S.* p. 77. ed. Dath. Graecus Alexandrinus haec verba *τὴν ποιοῦσαν ταῦτα* reddidit, ac si עבדתו, per Daleth legerit, sensu minus bono; sequuntur enim Vs. sequ. quae gens illa commiserit. Chaldaeus: דָּרָא דַעֲבַרוּ עַל מֵימְרֵיהּ *generatio qui transgressi sunt verba ejus.* Expositio allegorica.

30. Quod hoc Versu Judaei *sua abominanda*, i. e. idola, *in domo de Jovae nomine denominata*, sacra (vid. not. supra ad Vs. 10.) *eam polluendo posuisse* dicuntur, Kimchi observat factum esse ab Achaso et Menasse, 2 Reg. XXI, 5. 6. 7.

31. וּבָנוּ בָּמוֹת הַתֹּפֶת *Aedificaruntque excelsa Tophet*, nomen proprium loci in valle filii Hinnom, ut statim additur, prope Urbem, Molocho consecrati; vid. 2 Reg. XXIII, 10. Hebraei fere illum a תֹּף *tympano* dictum putant, quod dum infantes manibus Molochi candentibus impositi essent, ne ejulatus eorum audirentur et parentes ad miserandum commoverentur, tympana pulsarentur. Cui sententiae tamen vere alii opposuerunt, si a תָּפַף et תֹּף nomen תֹּפֶת derivatum esset, debuisset תֻּפֶּת, cum Dagesch literae פ imposito, scribi. Hierony-

mus

MUS in Commentario ad h. l. haec habet: „*Excelsa* autem; quae Hebraice appellantur *Bamoth*, sive *aram Topheth*, quae est in valle filiorum Ennom, illum locum significat, qui Siloe fontibus irrigatur, et est amoenus atque nemorosus, hodieque hortorum praebet delicias. Hic autem gentilitatis error omnes provincias occupavit, ut ad capita montium lucosque amoenissimos victimas immolarent, et omnis pravae superstitionis religio servaretur. *Topheth* lingua Hebraea interpretatur *latitudo.*“ Ita ad radicem פָּתָה *dilatatus fuit* referendum esset. Mallem ad יָפָה *pulcher est* referre, ut ab amoenitate locus dictus fuerit. Nam et ad Matth. X, 28. scribit HIERONYMUS de Gehenna agens: „Haec vallis et parvi campi planities irrigua erat et nemorosa, plenaque deliciis, et lucus in ea idolo consecratus.“ C. B. MICHAELIS conjecit ab Arabico تفث *mundavit, Meccana obivit sacra, Naziraeatum deposuit, mactavit victimam*, תֹּפֶת significare *locum superstitiosis sacris et cultui consecratum.* HILLERO in *Syntagmm. hermeneutt.* p. 240. תֹּפֶת est pro תְּאֹפֶת *coctio* (ab אָפָה), seu *coctionis locus, coquina, focus.* Syris ܬܦܝܐ et ܬܦܝܐ est *focus* a ܬܦܐ *disposuit ollam.* Sed id convenit cum Arabico ثفّي *chytropode fulsit ollam.* SIMONIS in *Onomast.* V. T. p. 124. not. confert Persicum تفت (*taft*) *calefactum*, a verbo تافتن et تفتن *accendere, calefacere igne clibanum, comburere.* Verum Jeremiae aetate Persica vocabula apud Hebraeos cognita fuisse parum est verisimile. Nec facile intelligitur, cur ad designandum locum, quo infantes cremabantur, Hebraei Persico potius quam suae linguae vocabulo fuerint usi, aut saltem Phoenicio, quum Molochi cultum a Phoeniciis acceperint. Praetermitto alias minus verisimiles sententias de Topheth; quas qui nosse cupit vid. SELDENUM *de Diis Syris*, Synt. I. Cap. 6. p. 172 seqq. NIC.

PA-

Panecii Diſſert. *de Topheth valle Hinnom*, Viteberg. 1694. repetit. in *Theſauro theol. philolog.* vet. T. I. p. 818 ſeqq. Jurieu *Hiſt. crit. des cultes*, p. 566 ſeqq. Buddei *Hiſt. eccleſ.* V. T. T. II. p. 529. et Jo. Gottl. Carpzovii *Apparat. Antiqq. S. Cod.* p. 484 ſeqq. בְּגֵיא בֶן־הִנֹּם *In valle* prope Hieroſolymam *a filio Hinnomi*, incertum qua ratione, denominata, cujus mentio jam Joſ. XV, 8. facta. „Haec vallis templo Hieroſolymitano ſubjecta erat, ut idololatria ibi peracta plane *ſub oculis Dei*, ut dicitur Verſu praecedente, perageretur." J. D. Michaelis. אֲשֶׁר לֹא צִוִּיתִי *Quod non praecepi*, imo expreſſe vetui Levit. XVIII, 21. Jarchi: „Non mandavi eis, ut filios victimas offerant, nec prophetarum ulli hoc dixi. Quando autem Abrahamo praecepi, ut filium mactaret, non ſubiit animum meum, ut eum mactaret; ſed ut illius pietas conſpicua fieret." — וְלֹא עָלְתָה עַל־לִבִּי *Neque ſuper cor meum aſcendit*, neque animum meum unquam ſubiit talem cultum mandare. „Phraſis ſupponit, fuiſſe, qui populo perſuaderent, eſſe hunc ritum inſtitutionis divinae, forſan abutentes exemplo Abrahami Iſaacum ſacrificare juſſi, Genes. XXII, 2." C. B. Michaelis.

32. כִּי אִם־גֵּיא הַהֲרֵגָה *Sed* vocabitur *vallis caedis*, ob magnum Judaeorum Hieroſolymis futuram ſtragem, irruentibus hoſtibus. Hieronymus: „Tanta clades erit, ut in loco prius religionis ſepulchra ſint innumerabilia." Videtur tamen ſimul hoc indicari, locum illum, in quo ſacra fecerunt idolo, mortuis ibi ſepultis contaminandum eſſe. וְקָבְרוּ בְתֹפֶת מֵאֵין מָקוֹם *Et ſepelient* occiſos *in Topheth ob defectum loci*, urbe videlicet undique a Chaldaeis clauſa, neque ullo loco ſuperſtite, praeter Topheth, cf. infra XIX, 11.

33. נִבְלַת הָעָם הַזֶּה *Cadaver populi hujus*, i. e. cadavera Hieroſolymitanorum in urbe obſeſſa fame et peſte abſumtorum; ea extra murum in confinem urbi vallem filii Hinnomi projecta volucribus et beſtiis rapacibus

cibus escae erunt, uti sequitur. וְאֵין מַחֲרִיד *Et nullus erit terrens*, i. e. terrendo abigens; cf. Deut. XXVIII, 26.

34. Similiter communis civitatis luctus describitur Ezech. XXVI, 13. — קוֹל חָתָן וְקוֹל כַּלָּה *Vox sponsi et vox sponsae*, i. e. cantus et sonus musici, quibus juvenes sponsum, virgines sponsam excipiebant, et inter quos sponsam in sponsi aedes deducebant, ex more hodienum in Orientis terris vigente, vid. *das alte und neue Morgenl.* P. IV. No. 1009.

Cap. VIII, 1. Verbo יוֹצִיאוּ *educent* praemissum וְ, quod nota Masorethårum ad marginem (τὸ קרי) tanquam supervacaneum omitti jubet, haud dubitamus esse genuinum, et respondere nostro *da* (*in der Zeit — da wird man* etc.), ut alias, vid. not. ad Genes. XX, 16. (p. 355. edit. tert.), XXII, 4. Jesaj. XLVIII, 7. Quod ossa regum Judae, principum, sacerdotum e sepulchris ejicienda denuntiantur, id Jarchi ideo futurum existimat, quod hostes urbem obsessuri in sepulchris illis, quae palatiorum instar fuerint, degentes futuri sint. Sed Hieronymus: „Quia solebant juxta antiquum morem aurum et quaedam ornamenta vel mulierum vel virorum in sepulchris condere, haec quoque frangebat et effodiebat avaritia, ut coelo et luci proderentur." Rectius J. D. Michaelis: „Effodiuntur ossa sepultorum in bello a militibus, sive spe praedae incitatis, quod saepe cum illis thesauri et ornamenta defossa reperiuntur, sive ad coquendum cibos, ubi igni fossula opus est, sive petulantia et odio, sive denique, cum humo opus est militibus ad aggeres ducendos."

2. וּשְׁטָחוּם *Et expandent ea*, ossa, in aprico ponent, soli, lunae et ceteris astris exposita. Graecus Alexandrinus vertit ψύξουσιν αὐτὰ, *frigefacient ea*, i. e. aëri exponent, ut in eo frigesiant. לֹא יֵאָסְפוּ *Non colligentur* scil. in sepulchra, coll. 2 Reg. XXII, 20. נֶאֱסַפְתָּ

אֶל-

אֶל־קִבְרֹתֵיהֶם *colligeris ad sepulchrum tuum.* Sed h. l. simul opponitur *expansioni*, q. d. manebunt expansa et super humum dispersa, donec computrescant et in pulverem redigantur. Alexandrinus habet: *οὐ κοπήσονται, non plangentur*. Schleusnerus interpretem verbum hebraicum significatione arabici أسف *moeruit, indoluit, ingemuit* cepisse putat. Sed quum in loco parallelo infra XVI, 4. pro לֹא יֵאָסְפוּ habeatur לֹא יִסָּפְדוּ, Graecus interpres et h. l. ita legisse videtur. Neque enim verisimile est, illum verbo notissimo אָסַף significatum Hebraeis vix cognitum subjecisse. Verba לְדֹמֶן עַל־פְּנֵי הָאֲדָמָה יִהְיוּ *in sterquilinium super terra fient* ossa eorum putrefacta, Alexandrinus sic reddidit, *καὶ ἔσονται εἰς παράδειγμα ἐπὶ προσώπου τῆς γῆς*, non quod pro לְדֹמֶן legerit לִדְמוּת, uti conjecit Cappellus in *Observatt. critt.* ad h. l. in *Opp.* p. 522., sed, ut recte monet Schleusnerus, quod sensum liberius expressit.

3. וְנִבְחַר מָוֶת מֵחַיִּים *Et eligetur mors prae vita.* „Quamvis illi videant mortuos contemtui expositos, tamen viventium miseria illud superabit, ita ut eligant mortem prae vita.“ Jarchi. Verba בְּכָל־הַמְּקֹמוֹת הַנִּשְׁאָרִים Kimchi inversa putat pro הַנִּשְׁאָרִים בְּכָל־הַמְּקֹמוֹת אֲשֶׁר וגו׳ *reliqui facti in omnibus locis*, in quos dispergam illos, cujusmodi inversionis s. hypallages exempla affert Genes. XLI, 57. *Omnes terrae venerunt Aegyptum* לִשְׁבֹּר אֶל־יוֹסֵף *ad emendum ad Josephum*, pro אֶל־יוֹסֵף לִשְׁבֹּר *ad Josephum ad emendum*; 2 Reg. IX, 30. וַתָּשֶׂם בַּפּוּךְ עֵינֶיהָ *posuit in fuco oculos suos* pro: adhibuit oculis suis fucum, et Hos. VIII, 2. לִי יִזְעָקוּ אֱלֹהַי יְדַעֲנוּךָ יִשְׂרָאֵל *Mihi clamabunt: Deus mi! novimus te, Israel*, pro: acclamabunt mihi Israelitae: Deus mi! novimus te. Neque tamen h. l. opus est hypallagen statuere. Potest simpliciter verti: *in omnibus locis reliquis* praeter Judaeam; nomini plurali generis communis מְקֹמוֹת jungitur Adjectivum

ctivum masculinum הַנִּשְׁאָרִים, uti Jud. XIX, 13. 2 Sam. XVII, 9. בְּאַחַד הַמְּקֹמוֹת legitur.

4. הֲיִפְּלוּ וְלֹא יָקוּמוּ *Num cadunt* homines *et non resurgunt* a lapsu? annon haec est natura hominum et instinctus naturae, ut, si quis cadat, resurgat? אִם יָשׁוּב וְלֹא יָשׁוּב Aut *numquid avertitur* quis a via, *quin revertatur?* Nemo tam perverse agit, quin, si deviasse se sentiat, eo redeat, unde recederat. Verbum שׁוּב h. l. duplici sensu, bono et malo, hic usurpari patet. Alio sensu haec verba capit Jarchi: „Quando illi sese convertere volent ab improbitate sua, nonne revertetur Deus a decreto suo?" Similiter Hieronymus: ‚Quod autem juxta Hebraeum scriptum est: *et qui aversus est, non avertatur*, illud significat, quod qui a Deo aversatus est, si voluerit ad meliora converti, possit et Dei furorem ad meliora convertere, et venienti obsistere, et plagas precibus evitare." Qui sensus minus videtur concinnus. Nec magis probanda Chaldaei interpretatio: אִם לְמֵיתַב גְּלֵי קֳדָמַי דְּלָא יְתוּבוּן *si ad conversionem sese vertent, manifestum est mihi, eos non* ex animo *converti.* Gaabius hanc hujus Versus interpretationem proposuit: *nonne cadent, nec resurgent?* i. e. e malis, quibus opprimuntur, numquam emergent. *Num revertatur* scil. Deus ab ira sua *nec revertatur* scil. populus ad eum? Eam vero sententiam si vates exprimere voluisset, lectori justo plura subaudienda reliquisset.

5. Quod Versu praecedente dixit, hominem qui lapsus fuerit naturali instinctu resurgere, et qui a recta via aberraverit, in eam reverti, jam accommodat ad id quod agere Judaei solent. מַדּוּעַ שׁוֹבְבָה הָעָם הַזֶּה יְרוּשָׁלַםִ מְשֻׁבָה נִצַּחַת *Quare* igitur *aversus est hic populus, Hierosolyma, aversione perpetua?* Ludov. de Dieu verbum femininum שׁוֹבְבָה haud posse cum nomine masculino הָעָם conjungi ratus, hoc hemistichium ita reddit: *Quare avertit populum hunc Hierosolyma aversione pertinaci?* ut Hierosolyma sumatur pro rectoribus et docto-

ribus, qui causa erant rebellionis populi. Ita et J. D. Michaelis: *quare avertit Hierosolyma populum hunc aversione perfecta?* „ut Hierosolyma, metropolis Judaeae, tanquam omnem populum Judaicum corrumpens describatur h. l. a propheta, plane ut supra II, 33.“ Quod tamen eo loco minime dicitur; vid. not. ad illum. Sine causa vero illi interpretes הָעָם cum שֹׁבְבָה jungi posse negant. Nomina enim communia et collectiva ut feminina haud raro construi et tractari constat; vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 717. Recte Kimchi ad h. l. observat, respici notionem nominis הכנסה *coetus*, ut Jud. XVIII, 7. הָעָם אֲשֶׁר בְּקִרְבָּהּ יוֹשֶׁבֶת לָבֶטַח *populus qui est in medio ejus habitat secure.* Et hoc loco explicative additur יְרוּשָׁלַםִ, q. d. hic populus, videlicet Hierosolyma, quod, utpote urbis nomen, est feminei generis. שׁוֹבְבָה vero non est *Piel* s. *Pilel*, sed *Pyhal*, s. *Pylal* reciproco sensu capiendum. Ante מְשֻׁבָה est ב subaudiendum, nisi nomen sit in Accusativo seu Casu adverbiali positum, *statum* seu *conditionem* indicante, ut apud Arabes, vid. *Institutt. ad fundamm. lingu. Arab.* Syntax. §. VIII. p. 268. נִצַּחַת Hebraeis fere est Adjectivum formae Participii Niphal a נֵצַח *perpetuitas*, ut sit quasi *aeternata*, incessabilis. Aliis a significatione *vincendi*, qua verbum נְצַח apud Aramaeos pollet, est *pervincens*, i. e. pertinax, praefracta. J. D. Michaelis mallet cum Venema vertere: *aversione pura puta*, „i. e. in qua nihil est praeter aversionem, nulla relicta reditus ac resipiscentiae spe. Nempe نَصَحَ est: *purus putus fuit.* Confer similem phrasin, licet alio verbo posito, in *Chrestomathia Arabica* p. 42.: *Ignovimus filiis Dhal, diximusque: cum tempore fient, quales fuerunt. Cum autem malitia fuisset mera* صَرِيحٌ, *similis lacti despumato, armis usi sumus.* Recte ergo LXX. habent ἀποστροφὴν ἀναιδῆ, Syrus: [illegible] *aversio studiosa.*“ Hieronymus

mus vertit: *averſione contentioſa.* Videtur נִצַּחַת cum נִצָּחַת confudiſſe, a נָצָה rixatus eſt. הֶחֱזִיקוּ בַּתַּרְמִית *Firmiter tenent, retinent fraudem,* qua vel ſimulata pietas intelligi poteſt, qua, externo ſacrificiorum uſu contenti, reliqua minus curabant, vel fraudes ſacerdotum et falſorum prophetarum, qui alios vanis promiſſionibus decipiebant, et in cauſa erant, ut vitae morumque emendationem intermitterent. Graecus Alexandrinus ſic vertit: *κατεκρατήθησαν ἐν τῇ προαιρέσει αὐτῶν.* Eum nomen תַּרְמִית J. D. Michaelis conjicit ad Syriacum ܬܪܡܝܬܐ *fundamentum* retuliſſe. Quod nobis quidem parum veriſimile. Senſum liberius expreſſit interpres.

6. הִקְשַׁבְתִּי וָאֶשְׁמָע *Auſcultavi et audivi;* ſunt verba Dei. „Eleganter h. l. Deus ſe ipſum cum patre comparat ex occulto auſcultante, et aurem quaſi ſibi ſubſtringente, ut quomodo liberi admonitiones et comminationes paternas excipiant, iisque convenienter ſe gerant, exploret et cognoſcat; ſed etiam hi conatus fruſtranei reperiuntur. Ineſt autem in hac comparatione, figurâ remotâ, hic ſenſus: Deus pro indulgentia ſua ac lenitate poenas peccatorum per aliquod tempus differens curavit, ut Judaeis nec tempus nec facultas ad frugem redeundi deeſſet.“ J. D. Michaelis. לוֹא־כֵן יְדַבֵּרוּ *Non rectum,* i. e. mala, ſcelerata, *loquuntur.* כֵּן h. l. eſt *rectum, bonum,* ut Num. XXVII, 7. כֵּן בְּנוֹת צְלָפְחָד דֹּבְרֹת *recte loquutae ſunt filiae Zelophchadi.* Vid. et Exod. X, 29. et infer XXIII, 10. Male Graecus Alexandrinus: *ἐνωτίσασθε δή, καὶ ἀκούσατε· οὐκ οὕτως λαλήσουσι;* — כֻּלֹּה שָׁב בִּמְרוּצָתָם *Omnis ille averſus eſt in curſu ſuo,* omnes averſi a me currunt. שָׁב h. l. ſenſu ſuperiori accipi, ut ſupra Vs. 4., docet res ipſa. Recte obſervat Schmidius, ſceleratam Judaeorum vitam vocari *curſum,* propterea quod magno cum ardore et ſtudio indefeſſo illam ſectati ſint. Pro ſingulari, בִּמְרוּצָתָם, quod legi in margine jubetur, in textu exstat Pluralis, בִּמְרֻצוֹתָם, *in curſibus ſuis.* Eodem modo

et Chaldaeus legit, ſed retulit vocem ad רָצָה *voluit.* Vertit enim ita: כֻּלְהוֹן מְסַגַּן בִּרְעוּת נַפְשְׁהוֹן *omnes ambulant in voluntate animae ſuae.* Eodem modo Syrus: ܟܠܗܘܢ ܡܗܠܟܝܢ ܒܨܒܝܢܗܘܢ *omnes illi ambulant in voluntate ſua.* „Sed hoc modo," uti vere monet J. D. Michaelis, „nec conſtructio, nec ſenſus expeditior evadit, et fini Verſus notio *curſus* aptior, quam *voluntatis* eſſe videtur." Minus vero probandum, quod שָׁב nova ſignificatione Arabici سَابَ (pro سَيَّبَ) *libere inceſſit, cucurritque quo voluit animal* capiendum cenſet. Nec felicius hunc locum tractavit G. Kuypers in *Diſſert. ad varia V. T. loca,* quae exſtat in *Diſſertatt. philologg. ſub praeſid. Schultenſior. et Schroederi defenſar.* T. I. p. 575. כְּסוּס שׁוֹטֵף בַּמִּלְחָמָה *Sicut equus cum impetu ruens in bello.* שׁוֹטֵף, proprie *exundans,* Hieronymus recte vertit *cum impetu vadens.* „Aut *praecipiti curſu diffugiens,* ita ut ſiſti aut ſuſtineri in fuga non magis poſſit, quam aquae vis, ubi perrupto ſemel aggere in circumjectos agros late graſſatur, Jeſaj. VIII, 8. XXVIII, 2." C. B. Michaelis. Cf. Livius XXVIII, 7. *Attalus inermis atque incompoſitus curſu effuſo mare ac naves petit.* Chaldaeus noſtrum locum ſic reddidit: כְּסוּסְיָא דְגָזַר בִּקְרָבָא *ſicut equus exſcindens in bello,* i. e. in conflictu diſcurrens et aciem exercitus ſcindens. Graecus Alexandrinus: ὡς ἵππος κάθιδρος ἐν χρεμετισμῷ αὐτοῦ, *ut equus ad ſudorem usque defatigatus in hinnitu ſuo.* שׁוֹטֵף intellexit *exundantem* ſudore, ſ. eo perfuſum, et pro בַּמִּלְחָמָה videtur בְּמִצְהָלָה legisse, quod infra Vs. 16. χρεμετισμὸν vertit.

7. De חֲסִידָה *ciconiam* ſignificante vid. Bocharti *Hieroz.* P. II. L. II. Cap. 28. 29. V. III. p. 85. ſeqq. edit. Lipſ. Illa hic dicitur eſſe בַשָּׁמַיִם *in coelo,* quia, ut Kimchi notat, in aedium faſtigiis et in ſummis arboribus, ad nubes fere aſſurgentibus nidulari ſolet, cf. Pſ. CIV, 17. Ita

Ita Deut. I, 28. *urbes* dicuntur *munitae* בַּשָּׁמַיִם *ad coelum*, ad nubes *usque*. יָדְעָה מוֹעֲדֶיהָ *Novit tempora ſua ſtatuta*, diſcedendi appropinquante hyeme et redeundi vere. תּוֹר *Turtur*, quae et ipſa migratoria avis, nec hyeme conſpicienda, vid. Cant. II, 11. 12. et cf. Bochartum l. l. P. II. L. I. Cap. 9. T. II. p. 597. edit. Lipſ. סוּס, quomodo Orientales ſ. Babylonici, ſive סִיס, uti Occidentales ſ. Palaeſtinenſes codices habent, et noſtri codices ad marginem, Graecus Alexandrinus et Hieronymus *hirundinem* vertunt, nec illis, uti recte monuit Bochartus l. l. P. II. L. I. Cap. 10. T. II. p. 603., contradicunt Syrus et Chaldaeus, qui *gruem* hic habent, ſed modo ordinem inverterunt, aut voces inverſo ordine legerunt. Nomen ductum eſt a ſono naturali, quem *hirundo* edit, unde et *Zyſilla* Venetis vocatur. De עָגוּר *grue*, vid. Bochartum l. l. Cap. 11. T. II. p. 614. ſeqq., ubi et de ejus migratione egit, et cf. Michaelis *Supplemm.* p. 1832. וְעַמִּי לֹא יָדְעוּ אֵת מִשְׁפַּט יְהוָה *Sed populus meus ignorant*, nil penſi habent, *jus*, i. e. leges, praecepta *Jovae*. Similem ſententiam vid. Jeſaj. I, 3.

8. Verba וְתוֹרַת יְהוָה אִתָּנוּ *et lex Jovae penes nos eſt*, Chaldaeus ſic reddidit: וְעַל אוֹרַיְתָא דַיְיָ אֲנַחְנָא רְחִיצִין *et ſuper lege Domini nos confidimus.* Sed continent potius verba illa rationem, cur ſacerdotes et legis periti ſua ſapientia glorientur, quod lex ipſorum curae et cuſtodiae credita eſt. Poſterius Verſus hemiſtichium, אָכֵן הִנֵּה לַשֶּׁקֶר עָשָׂה עֵט שֶׁקֶר סֹפְרִים, cum Hieronymo ſic vertimus: *vere ecce! mendacium operatus eſt ſtylus mendax ſcribarum.* ל nomini שֶׁקֶר praefixum habemus pro Accuſativi nota, uſu Aramaico, et ſerioribus Hebraeis frequenti, ut Thren. IV, 5. הָאֹכְלִים לְמַעֲדַנִּים *qui comedebant delicata*; cf. not. ad Pſ. CXXXVII. Senſu haud multum diverſo J. D. Michaelis, qui עָשָׂה cum ל conſtructum ſignificare obſervat: *convertere in aliquid*, verba ſic vertit: *in mendacium convertit* legem meam *ſtylus mendax ſcribarum*, aut prave interpretando, aut male deſcribendo et

et corrumpendo. Ludov. de Dieu mallet cum Kimchio לַשֶּׁקֶר accipere pro לְחִנָּם *in vanum*, ut 1 Sam. XXV, 21. אַךְ לַשֶּׁקֶר שָׁמַרְתִּי *sane frustra custodivi quaecunque huic erant in deserto.* „Sensus est: perperam gloriamini vos sapientes esse, et legem Dei penes vos esse, quam ubique consulere possitis. Enim vero scribae vestri et legis periti, quorum est dictare leges et consilia, mendacem habent calamum, qui frustra et in vanum operatur; nihil minus inde quam sapientiam haurire potestis. Nec impedit hanc interpretationem accentus Zakephkaton super עָשָׂה; is enim non semper distinguit; quare et Dav. Kimchi eum neglexit, etsi paulo aliter construxerit. Sic enim paraphrastice interpretatur: מי שעשה לכתוב אותה לחנם עשה אותו ונכן שקר סופרים *qui fecit calamum ad scribendam legem in vanum fecit eam; et sic mendacium sunt scribae.* Impersonaliter accepit τὸ עָשָׂה *fecit* stylum, nempe *qui fecit*, i. e. factus est stylus, sicut Genes. XXVII, 36. קָרָא שְׁמוֹ *vocavit nomen ejus*, nempe qui vocavit, id est, vocatum est nomen ejus. Hinc non male verteretur: *profecto ecce in vanum factus est stylus, mendacium* sunt *scribae.*" C. B. Michaelis locum sic interpretatur: *ad mendacium*, ad fallendum, i. e. ad fovendam apud se aliosque securitatem et florentissimi status praesumtionem, *facit*, scil. opus suum operator, ut Ruth. II, 19., *stylus falsitatis*, s. *falsarius*, ad fallendum modo comparatus, *scribarum*, legis peritorum, quorum professio erat, non tantum describere verba legis, aut recitare, sed etiam interpretari; cf. Esr. VII, 11. Nehem. VIII, 1. 4. 9. 2 Paral. XXXIV, 13.

9. הֹבִשׁוּ חֲכָמִים *Pudefient sapientes*, cum intelligent nihil ipsis prodire illam, qua tantopere gloriantur, sapientiam; non posse eâ scelerum poenas avertere. וַיִּלָּכֵדוּ *Capti sunt*, nequeunt se e malis, quae in eos irruunt, extricare. וְחָכְמַת־מֶה לָהֶם *Sapientia igitur cujus* scil. rei est *iis*?

10. Hic Versus et duo qui proxime sequuntur plane con-

conſentiunt cum iis quae ſupra VI, 12. 13. 14. habentur. שְׂדוֹתֵיהֶם לְיוֹרְשִׁים *Agros eorum* ſcil. אֶתֵּן *dabo haereditantibus,* poſſeſſoribus novis. Sive, uti vult J. D. Michaelis, omnibus qui eos occupare volunt, primo occupanti. Quae poſt לְיוֹרְשִׁים ſequuntur una cum duobus Verſibus proximis in Graeca Alexandrina verſione Origenes non translata reperit, ſupplevitque ex Theodotione. Cf. quae ad h. l. notavit Spohnius.

11. וַיְרַפּוּ pro וַיְרַפְּאוּ, uti eſt ſupra VI, 14.; א exſpiravit, ut infra IX, 17. cf. not. ad Jeſaj. XIII, 20.

12. Pro בְּעֵת פְּקֻדָּתָם *tempore quo in eos animadvertetur* ſupra VI, 15. eſt בְּעֵת־פְּקַדְתִּים *quo tempore in eos animadvertam.*

13. אָסֹף אֲסִיפֵם *Conſumendo conſumam eos,* miſcentur duae cognatae radices אָסַף, proprie *colligere,* tum, *collecta auferre* (cf. not. ad Geneſ. XXX, 23.), et סוּף *deſinere,* ut Zeph. I, 2, ubi cf. not. Verbis אֵין עֲנָבִים בַּגֶּפֶן וְאֵין תְּאֵנִים בַּתְּאֵנָה *nullae uvae in vite, nec ficus in ficu* indicatur terrae vel ariditas vel devaſtatio extrema, ita ut nihil omnino ferant arbores, aut ſi quid etiam ferant, tamen id hoſtes omne conſumant. Chaldaeus comparationem hiſce verbis ineſſe putavit; nam ſic vertit: וִיסוּפוּן כְּמִסַּף עִנְבִין וגו׳ *et deficient ſicut conſumuntur uvae a vite* rel. וְהֶעָלֶה נָבֵל *Et* ipſum *folium marceſcet.* Poſtrema Verſus verba, וָאֶתֵּן לָהֶם יַעַבְרוּם, alii aliter interpretantur. Chaldaeus: עַל דִּיהַבִית לְהוֹן אוֹרַיְתִי מִסִּינַי וַעֲבָרוּ עֲלַהּ *propterea quod dedi eis legem meam de Sinai et transgreſſi ſunt eam.* Eundem ſenſum exprimunt Aquila et Theodotion (Alexandrinus verba illa omiſit): *καὶ ἔδωκα αὐτοῖς, καὶ παρῆλθον.* Id ſequutus Jarchi: „omnia iſta evenient iis, quia quae dedi iis ſtatuta ſunt praetergreſſi.“ Alii ſimiliter ante אֶתֵּן ſubaudientes אֲשֶׁר, ſenſum faciunt hunc: *et quae dedi eis transeunt ab iis,* ſ. praetereunt eos, q. d. ſi quid etiam habituri ſunt, tamen id hoſtibus cedet. Hieronymus: *et dedi ipſis quae praetergreſſa ſunt.* Quod nec ſatis commode, nec accurate, quum

quum Suffixum vocis יַעַבְרוּם in hac verſione negligatur. Lud. de Dieu verba poſſe ita verti putat: *et dedi ipſis, ut praeterirent eos.* „Docet propheta, nihil mirum eſſe, ſi nec ſicus ſint in ſicu, nec uvae in vite, et folia emarcuiſſe; quia, inquit, non dedi ipſis ut iis fruerentur, ſed ut omnia iſta tranſirent eosque deſtitutos relinquerent.“ Sententia quaeſita et minus congrua. Praeterea omnibus illis interpretationibus vere obvertit Schnurrerus, וָאֶתֵּן haud recte verti *et dedi*, quum Verbum praeteriti temperis non adſit, quod praecedat. Et eſſe alium Jeremiae locum, ubi verbum עָבַר Accuſativum perſonae regat, infra XXIII, 9. גֶּבֶר עֲבָרוֹ יָיִן *vir quem vinum occupavit.* Hinc noſtrum locum ita interpretandum eſſe: *et conſtituam illis, qui eos occupent,* pervadant. Eodem modo jam Venema: „*Et dabo ipſis* qui *tranſibunt eos,* h. e. dabo ipſis tranſitores, qui aquarum inſtar eos inundabant; per ellipſin enim ante יַעַבְרוּם intelligitur אֲשֶׁר Verbum vero עָבַר, quod proprie de *fluvio altius ſe efferente* et *ripas egrediente* dicitur, transferri ſolet ad hoſtiles invaſiones, inſtar aquarum inundantes, et cuncta auferentes.“ Junius, cui adſentitur Gaabius, verbis אֵין עֲנָבִים בַּגֶּפֶן וגו׳ querelam de Judaeorum ſtatu plane corrupto, per imaginem expreſſam, contineri exiſtimat, et illa ſic vertit: *Non ſunt uvae in iſta vite, nullique ſici in iſta ficu, etiam ipſa folia deciderunt, et quaecunque adhibeo eis praetereunt,* id eſt, inquit, nullam culturam a me admittunt. Quod tamen nec cum iis quae praecedunt, nec cum iis quae ſequuntur ſatis commode cohaeret. In codicibus nonnullis a Kennicotto et plus quam quatuordecim a de Roſſio inſpectis pro יעברום legitur יעבדום (per Daleth), ut ſenſus hic prodeat: *dabo eis quibus ſerviant.* Qui ſenſus etſi minime incommodus ſit, tamen vulgo receptum יַעַבְרוּם, ut explicatu paullo difficilius, genuinum eſſe puto.

14. Eleganti hypotypoſi ſiſtit Judaeos irrumpentibus hoſtibus per agros diſperſos ſe mutuo hortantes, ut in tuta

tuta loca ſeſe recipiant. Eſt igitur hujus Verſus initio יֹאמְרוּ אָז *tunc dicent* ſubaudiendum. Vel poſſunt, ut monet Gaabius, ipſius prophetae haec verba eſſe, qui per ἀνακοίνωσιν ſive *communicationem* ſeſe admiſcet iis, de quibus loquitur. Cujus figurae exempla alia vid. in Glassii *Philol. S.* p. 317. edit. Dath. עַל־מָה אֲנַחְנוּ יֹשְׁבִים *Ad quid ſedemus?* manemus, cunctamur in oppidis campeſtribus et villis? Verba הֵאָסְפוּ וְנָבוֹא אֶל־עָרֵי הַמִּבְצָר leguntur et ſupra IV, 5. ubi vid. not. נִדְּמָה eſt pro נִדַּמָּה, prima Pluralis Futuri Niphal adjecto He paragogico (vid. Buxtorfii *Theſ. Gramm.* L. I. Cap. 25. p. 170. Altingii *Fundamm. punctat. Ling. S.* §. 174. p. 377. et Gesenii *Lehrgeb.* p. 372.) verbi דָּמַם, quod quum in Cal *ſilere* denotare conſtet, ſunt, qui verba וְנִדְּמָה־שָּׁם vertant: *ut conſileamus ibi*, i. e. ut ſilentio tranſigamus hanc procellam freti oppidis munitis receptus noſtri, in quibus conſiſtemus donec hoſtes abiverint. Sive, ut Grotius: quietos nos contineamus. Sed quum verbum דָּמַם in Niphal proprie quidem *ad ſilentium redigi*, ſed uſu loquendi *exſcindi* valeat, ut 1 Sam. I, 9. רְשָׁעִים בַּחֹשֶׁךְ יִדָּמּוּ *improbi in tenebris exſcinduntur*, vid. et infra XVIII, 2. XLIX, 26.; verba erunt potius ſic reddenda: *ut ibi exſcindamur*, i. e. ut, ſi moriendum nobis eſt, illic patiamur nos exſcindi, protracto aliquantisper vitae termino. Sequitur: כִּי יְהוָה אֱלֹהֵינוּ הֲדִמָּנוּ, quae verba plures ſic vertunt: *nam Jova, Deus noſter, ſilere nos fecit*, i. e., exponente Junio, nam hac occaſione luculenter nobis demonſtrat Deus, jam non eſſe tempus, quo in aciem prodeamus, aut cum firmiſſimis hoſtium copiis dimicemus. Sive, ut vult Grotius: noluit Deus nobis victoriam dare de hoſtibus. Sed verbis quae proxime praecedunt convenienter Schnurrerus vertit: *quandoquidem Jova nos exſcindere decrevit.* Sunt voces deſperantium, qui nullam ſalutis ſpem ſupereſſe ſibi ſentiunt. A. Schultens in Diſſertat. *de verbis et ſententiis ambigua ſignificat. praeditt.* §. 37. in *Opp. minorr.* p. 381. נִדְּמָה ad verbum

נָדַם

נָדַם refert, quod ſignificatione conſoni Arabici ندم capit. „Sed,“ inquit, „Arabibus ſonat partim *poenitere*, partim *compotare*, et نديم nunc *poenitentem* deſignat, nunc *compotatorem*, quod *compotationem* ferme ſequitur *poenitentia*, et quidem ſera et inutilis, cui uſus alligari ſolet.“ Hinc נִדְּמָה־שָּׁם vertit: *ibique compotatores agamus ſerae poenitentiae.* Quae quidem interpretatio praeter auctorem nemini niſi Venemae placere potuit. Graecus Alexandrinus pro וְנִדְּמָה־שָּׁם habet ἀποῤῥιψῶμεν ἐκεῖ, atque etiam deinde pro הֲדִמָּנוּ, Θεὸς ἀπέῤῥιψεν ἡμᾶς. Legit per Reſch, ונרמה et הרמנו. „Lectionem hanc,“ inquit J. D. Michaelis, „ſi in Hebraicis invenires, melius forte verteres: *intremus in urbes munitas, et ibi alti,* i. e. tuti *ſimus. Decepit enim nos Jova.* Sed nullus ita codex Kennicotti habet.“ Reperit vero De-Rossi (uti refert in *Scholl. critt.* ad h. l.) in tribus ſuorum codicum הרמנו *projecit nos;* ſed pro praecedente נדמה nullus נרמה per Reſch habet. וַיַּשְׁקֵנוּ מֵי־רֹאשׁ *Potandam nobis dedit aquam venenatam.* ראש f. רוש (Deut. XXXII, 32.) herbam quandam venenatam ſignificare, vix dubio caret; ſed *cicutam* eſſe, ut plures putarunt, nullo idoneo argumento conſtare, oſtendit J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 2220. ſeq. Ipſe ſatis veriſimile fecit, eſſe *lolium temulentum* venenatumque, et מֵי־ראש *aquam lolii* eſſe cereviſiam ex lolio, vel etiam ex frumento, cui admixtum lolium, paratam. „Ingentibus malis de ſtatu animi dejectum ebrio comparant Hebraei, cui vinum ingurgitatum; frequenti imagini novum quid addidit Jeremias, ebrietatem ac crapulam non ex vino, ſed ex cereviſia lolio parata, multo diuturniorem, triſtiorem, valetudinique nocentiorem. Nova jam translatione, plane neglecta prima ſignificatione, ראש pro omni *aerumna* et *dolore* ponitur Thren. III, 5.“

15. קַוֵּה לְשָׁלוֹם *Exſpectando* ſcil. קִוִּינוּ *exſpectavimus pacem*, ſed fruſtra, a falſis prophetis deluſi, ut ſupra

pra Vs. 11.; cf. Jefaj. LIX, 9. Et haec verba pertinent ad orationem defperantium. — לְעֵת מַרְפֵּה *Tempus fanationis* fcil. exfpectavimus. Sanatio intelligitur reipublicae et malorum compenfatio.

16. Jam fuo nomine pergit verba facere Jova, cf. Vs. 17. — מִדָּן נִשְׁמַע נַחְרַת סוּסָיו *E Dane*, urbe in termino feptentrionali terrae Hebraeorum fita (Jud. XVIII, 28. 29.) *auditur rhonchus equorum ejus*, hoftis. Phoenice fubacta inde per Danitarum terminos adventabat Nebucadnezar, ut recte notavit Hieronymus. נַחְרַת *rhonchus*, fremitus equorum, collato Arabico نخر *fonum emifit fpiritumque duxit per nares*. „Hic, ut alibi, hoftibus Ifraelitarum dantur equites, quos maxime horrebant equitando non adfueti Ifraelitae.“ J. D. Michaelis. מִקּוֹל מִצְהֲלוֹת אַבִּירָיו *A voce hinnitus fortium ejus* fcil. equorum, caballorum, qui et infra XLVII, 2. 3. L, 11. Jud. V, 22. אַבִּירִים vocantur. Cf. Bocharti *Hieroz.* P. I. L. II. Cap. 6. T. I. p. 33. edit. Lipf.

17. כִּי הִנְנִי מְשַׁלֵּחַ בָּכֶם נְחָשִׁים צִפְעֹנִים *Nam ecce! mitto in vos ferpentes regulos* f. *bafiliscos.* Vid. de hac ferpentum fpecie Bochartum l. l. P. II. L. III. Cap. 9. T. III. p. 182. et Michaelis *Supplemm.* p. 2129. אֲשֶׁר אֵין־לָהֶם לָחַשׁ *Quibus non eft*, in quos non valet *incantatio*, quales maxime perniciofi habentur; cf. not. ad Pf. LVIII, 5. Chaldaeus: *Nam ego in vos excitabo* עַמְמַיָּא קָטוֹלִין *populos occidentes ficut ferpentes regulos, in quos nulla valet incantatio.* Iis Theodoretus recte ait intelligi hoftes, qui ταῖς ἡμετέραις οὐκ εἴκουσι παρακλήσεσιν, *noftris obteftationibus non cedunt.*

18. „מַבְלִיגִיתִי עֲלֵי יָגוֹן Prophetae verba funt, qui, quod fummam, quae nunc reipublicae immineret, calamitatem fuis jam oculos cernere fibi videretur, animo vehementer commotus exclamat: *o recreationem meam pro moerore!* h. e. in hoc tanto meo moerore ubi folatii quidquam petam?“ Schnurrerus. מַבְלִיגִית nomen fubftanti-

ſtantivum denominativum a Participio Hiphil verbi בָּלַג, quod ex Arabico بلج *nitere, fulgere inſtar orientis ſolis*, translato ad *hilaritatem animi, quae ſe vultus frontisque ſerenitate prodit,* illuſtravit A. Schultens in *Origg. Hebrr.* L. I. Cap. 1. p. 19. ſeqq. (edit. 1761.). Cf. not. noſtr. ad Amos. V, 9. Pſ. XXXIX, 14. Neque tamen quam Schultens l. l. p. 22. protulit hujus loci interpretationem, *o tu, quae me* lacrymis et ſqualore miſere perditum, *vultu jubes eſſe ſereno,* luctumque ponere, probare poſſumus. Ludov. de Dieu contineri hisce verbis apoſtrophen prophetae ad animam ſuam exiſtimat, quae ſola conſolationis argumenta excogitare poteſt [cujusmodi apoſtrophes exempla vid. in not. ad Pſ. XVI, 2.], et hunc Verſum ſic reddit: *o conſolatrix mea adverſus dolorem! in me cor meum aegrum eſt.* Sed elegantiorem ſenſum prodire, ſi Suffixum ad מַבְלִיגִית in Dativo ſumamus (ut Pſ. CXV, 7. ubi vid. not.): *o recreationem,* conſolationem, *mihi* quis dabit? neminem fore puto, qui non ſentiat. Jarchius et Kimchius Verſum ita capiunt: cum voluero roborare, ſive conſolari me, nequeo, quia in me cor meum moeret. Ubi inſertur *nequeo,* cujus nullum in Hebraeo eſt veſtigium. Hieronymus verba מַבְלִיגִיתִי עֲלֵי יָגוֹן ſic vertit: *dolor meus ſuper dolorem,* ad quae in Commentario haec notat: „In Hebraeo non tam *dolor* eſt, qui Graece dicitur ὀδύνη, quam μειδίαμα, quod nos interpretari poſſumus *rictum oris dolore contracti et habentem riſus ſimilitudinem.* Ἐμφατικῶς autem haec ex perſona Dei legenda ſunt, plangentis everſionem Hieruſalem, et ejus miſerias non ferentis." „Poſtremum illud," inquit A. Schultens in *Diſſert.* ſupra ad Vs. 14. laud. *Opp. minn.* p. 383., „Deo verba haec adaptans, plane rejiculum, prior pars ſana et ſolida eſt. Nempe ut ex collatione linguae Arabicae pateſcit, בָּלַג veteribus Hebraeis nihil aliud proprie fuit quam *renidere,* μειδιᾶν, quam poteſtatem tempore Hieronymi nondum oblivioni datam apparet. *Os* quoque *diſtrictis et nudatis dentibus renidens,* ſive illud in *riſu*

vero

vero fiat, five *in dolore rifum mentiente*, بليج vocant Arabes, et أبلج *eum, cui albis dentibus renidere folenne eft*. Hinc jam unice dictum Jeremiae exponendum arbitror, qui *filiam Zionis*, vaticinia fua irridere folitam, fed nunc *rifum Sardonium* ridere coactam, graphice pingit: *O quae mihi renides fuper dolore! in me cor meum tabuit.* עָלַי לִבִּי דַוָּי per *mimefin*, qua Zionis *ringentis*, et prae acerbitate dolorum exclamantis vocem imitatur. Eam compellat farcaftive מַבְלִיגִיתִי *ridibunda mea*, quae mihi diducto rictu et albis dentibus renidere folebas. Dupliciter id intelligendum videtur; primum eft: *quae me measque minas reftrictis dentibus ludificabaris.* Alterum: *quae mihi nunc longe alium rifum ridere cogeris intolerabilis doloris*, atque adeo *furoris immedicabilis indicem.* Priorem fenfum, forte et pofteriorem, perfpexit quoque Chaldaeus, cujus haec eft paraphrafis: *propterea quod irrifores erant prophetarum, qui ipfis vaticinabantur, cordolium et gemitum adducam fuper ipfos propter crimina ipforum; de ipfis dixit propheta: cor meum condoluit.* Infinuat quod fupra monui, effe *mimefin* in לִבִּי דַוָּי; tum *farcafmum*, et *rifum contumeliofum*, in vates *ftringi* folitum, clare exprimit; obfcurius autem in *cordolio* et *gemitu* alterum illum *rifum Sardonium* complexus effe videtur.“ Haec Schultens, qui tamen nefcio annon Chaldaei interpretationi ineffe opinatus fit, de quo interpres non cogitavit. Omnino vero farcasmus ab hoc loco plane alienus videtur. In codicibus pluribus et a Kennicotto et a De-Roffio infpectis divifim ac duabus vocibus fcriptum reperitur מבלי גיתי. Ita Graecus Alexandrinus, qui ἀνίατα *infanabiliter* vertit, videtur legiffe, fed מִבְּלִי גְּהִי etuliffe et גְּהִי a גָּהָה *fanavit* (Hof. V, 13.) derivaffe, contra analogiam grammaticam. Duas voces et legit Syrus, qui ܟܠܝܬ ܒܟܐܒܝ *confumtus fum dolore meo.* J. D.

Mi-

Michaelis in *Biblioth. Or.* T. XVII. p, 166. duobus et ipſe verbis legendum conjecit מִבְּלִי יְגִיתִי *ab attritu* ſ. *vexatione doleo.* Sed in *Obſervatt.* ad h. l. alias multo minus probabiles de hac voce conjecturas in medium attulit, quas ſi quis ſcire cupiat, adeat ipſum. Omnino vero מַבְלִיגִיתִי diviſim lecto idoneus ſenſus vix prodibit. עָלַי h. l. eſt *intra me,* ut Pſ. XLII, 5. 6. 7. Hoſ. XI, 8. et ſaepius. לִבִּי דַוָּי *Cor meum* eſt *languidum,* ut Jeſaj. I, 5. ubi cf. not.

19. Videtur ſibi vates jam audire voces Hebraeorum ab hoſtibus in terras longe diſſitas abductorum, mirantiumque, permiſiſſe Jovam ſuos hoſtium poteſtati, nec opem ferre Hieroſolymae, cujus ipſe ſit rex, et in qua urbe ſedem habeat. Quibus in altero Verſus hemiſtichio reſpondet Deus, eos meritas ſuae improbitatis poenas luere. הַבְלֵי נֵכָר *Vana peregrini,* ſ. peregrinorum eſſe deos peregrinos, vix eſt quod moneamus.

20. Huic Verſui recte praemiſit Chaldaeus: אֲמַרַת כְּנִישְׁתָּא דְיִשְׂרָאֵל *dixit coetus Iſraelis.* עָבַר קָצִיר כָּלָה קָיִץ וַאֲנַחְנוּ לֹא נוֹשָׁעְנוּ *Praeteriit meſſis, conſummata eſt aeſtas,* tempus vindemiae et colligendorum fructuum hortenſium, *neque nos liberati ſumus.* Quae Jarchi ſic expoſuit: „Exſpectavimus auxilium Aegyptiorum, ſed fruſtra. Cogitavimus, Aegyptios, abſoluta meſſe, vacaturos eſſe copiis militaribus contrahendis, quae nobis auxilio venturae ſint. Sed praeteriit meſſis in menſe Aprili, et tempus aeſtatis in menſe Tammuz, nec tamen venerunt." Similiter C. B. Michaelis: „Forte reſpicitur ad tempus expugnatae urbis, quod incidit in diem IX. Tammuzi, ſeu menſis quarti eccleſiaſtici, vid. infra XXXIX, 2." Et J. D. Michaelis: „Videntur per totam aeſtatem anni decimi Sedeciae, quo integro anno obſeſſa fuit Hieroſolyma, auxilium exſpectaſſe." Verum principio regni Jojakimi, quo tempore hanc concionem a vate habitam fuiſſe rationibus ſatis probabilibus confeciſſe nobis videmur in Argumento (ſupra p. 241.) illud obſeſſae urbis tempus non potuit reſpi-

respicere. Quare adstipulamur Schnurrero, „videmur," inquienti, „nobis in his verbis deprehendere aliquid, quod speciem habeat proverbii, usurpati ab illis, qui postquam exspectassent, certo aliquo tempore meliora sibi eventura esse, tandem vanam fuisse spem atque exspectationem suam intelligerent."

21. Jam propheta suo ipsius nomine iterum verba facit. עַל־שֶׁבֶר בַּת־עַמִּי הָשְׁבַּרְתִּי *Ob fracturam*, calamitatem *filiae populi mei fractus*, consumtus *sum* dolore. קָדַרְתִּי *Atratus* s. pullatus *sum* more lugentium; cf. de hoc verbo not. ad Ps. XXXV, 14. שַׁמָּה הֶחֱזִקָתְנִי *Stupor apprehendit me*, vid. similem loquendi formulam supra VI, 24. Mich. IV, 9.

22. De צֳרִי *opobalsamo* vid. not. ad Genes. XXXVII, 25., et de גִּלְעָד, regione opobalsami ferace, not. ad Genes. XXXI, 21. Quod interrogat vates, an nullum exstet amplius in Gileatidide opobalsamum, quod ad sananda vulnera adhibeatur, et nulli adsint medici? hoc vult: an nullum est auxilium populo meo? nullum remedium aut consilium, quo juvari queat? כִּי מַדּוּעַ לֹא עָלְתָה אֲרֻכַת בַּת־עַמִּי *Nam cur non ascendit sanitas filiae populi mei?* „Verbum עָלָה aptissime a Jeremia etiam XXX, 17. et XXXIII, 6. jungitur cum nomine אֲרֻכָה; significatur enim eo ille status vulneris sanescentis, cum cutis quasi *ascendit*, novamque carnem obducit, quod ex Dscheuharii verbis intelligas: *apparet* ארכה *vulneris, cum abiit ejus sanies et adest caro illius sana et rubicunda, quum tamen nondum escenderit cutis, ut jam nihil amplius requiratur, nisi escensio cutis et desiccatio.* Magis poetice Jesajas LVIII, 8. אֲרֻכָתְךָ מְהֵרָה תִצְמָח *sanitas tua repente efflorescet.*" Schnurrer.

23. מִי־יִתֵּן רֹאשִׁי מַיִם *Quis dabit meum caput esse aquam?* utinam caput meum nil nisi aquam contineret! וְעֵינִי מְקוֹר דִּמְעָה *Et* quis dabit s. reddet *oculos meos fontem lacrymarum?* ut lacrymae mihi suppeterent tanto malo deplorando sufficientes. Tanta, inquit,

est

est populi mei calamitas, ut lacrymarum copia deficiat, quanta requiritur ad eam rite deplorandam.

Cap. IX, 1. מִי־יִתְּנֵנִי בַמִּדְבָּר מְלוֹן אֹרְחִים וְאֶעֶזְבָה אֶת־עַמִּי *Quis dabit mihi in deserto diversorium viatorum, ut relinquam populum meum?* „Tugurium aliquod, quale est, in quod per deserta loca viam facientes se recipiunt. Optat hoc, ne Urbis scelera summo suo cum dolore aspicere cogatur." Grotius. Graecus Alexandrinus מְלוֹן אֹרְחִים σταθμὸν ἔσχατον *stationem ultimam* scil. *extremam* reddidit. J. D. Michaelis interpretem transpositis literis אֹחֲרִים, vel plane אַחֲרוֹן legisse existimat. Sed recte Spohnius: „Credo, interpretem explicatius sic vertisse. Nam quum tugurium, ubi viatores pernoctare in deserto possunt, et solitarium sit et remotum, posuerunt ἔσχατον, h. e. *remotissimum.*" De nomine עֲצֶרֶת i. q. עֲצָרָה vid. not. ad Joel I, 14.

2. וַיַּדְרְכוּ *Calcant,* i. e. h. l., ubi de arcu dicitur, intendunt, quia arcus imposito in nervum pede tendebatur, vid. not. ad Ps. VII, 13. — לְשׁוֹנָם קַשְׁתָּם שֶׁקֶר *Linguam suam ceu arcum suum arcum mendacii,* i. e. vibrandis mendaciis, veluti telis, comparatum. וְלֹא לֶאֱמוּנָה גָּבְרוּ בָאָרֶץ *Nec per fidem invaluerunt in terra,* malis artibus et dolis, quibus alios deceperunt, tantas opes tantamque potestatem nacti sunt.

3. אִישׁ מֵרֵעֵהוּ הִשָּׁמֵרוּ וגו' *Quisque sibi a socio suo caveat, nec ulli fratrum fidatis,* „h. e. quicunque decipi et falli non vult, ab unoquoque, quam arcte etiam sibi conjuncto, sollicite caveat, nec ulli loquenti aut promittenti fidat. Admonitio est generalis, non ad pios, ut vult Schmidius, sed ad omnes in genere directa, uti ex ipsa orationis structura patet." Venema. Cf. Mich. VII, 5. 6. — כִּי כָל־אָח עָקוֹב יַעְקֹב *Nam omnis frater dolose circumvenit* scil. alterum. Verbum עָקַב, vere monente Gussetio, non significat: *planta pedis sui prostratum* *subji-*

ſubjicere, ſed: *a tergo doloſe aliquem pede prehendere*, ut deorſum in vultum cadere cogatur. Cf. Geneſ. XXVII, 36. Vix dubium, alludere vatem ad nomen progenitoris populi Hebraei, qui illud hinc nactus eſt, quod in partu fratris, Eſavi, calcaneum teneret, vid. Geneſ. XXV, 26. et ad eum loc. notam. Hoc igitur dicit vates: malam Jacobi progeniem ſeſe praeſtant, nomen et omen, ſed in malum, habentes, dum alii alios decipiunt et opprimunt. De phraſi רָכִיל יַהֲלֹךְ vid. ſupra ad VI, 28.

4. וְאִישׁ בְּרֵעֵהוּ יְהָתֵלּוּ *Et vir ſocio ſuo illudunt*, imponunt ſibi invicem, fraudesque ferunt. Ad יְהָתֵלּוּ notavit J. D. Michaelis: „Aut eſt Hiphil, ſervata in Futuro litera characteriſtica, a تول *faſcinare*, aut novum verbum הָתַל, a תול formatum. Certe יְהָתֵלּוּ, ut punctatum eſt, nequit ad Piel referri, ſed eſt neceſſario Hiphil. Alii tamen, quos in Bibliis Halenſibus laudatos reperies, legunt יְהַתֵּלּוּ cum Dageſch.“ Quibus in verbis haud unus eſt error. Primo enim falſus eſt Michaelis in eo, quod יְהָתֵלּוּ Piel eſſe negat; imitatur הָתַל Verba mediae gutturalis, quae Dageſch characteriſticum Piel mediae radicalis ejiciunt, Vocali antecedente producta, vid. Buxtorfii *Theſaur.* L. I. Cap. 15. p. 119. et Gesenii *Lehrgeb.* p. 316. not. 8. Deinde non intelligitur, cur הָתַל verbum novum e הָתַל factum pronunciet, quum illud ſaepius in V. T. occurrat, indubitata *illudendi* ſignificatione. Denique errat, dum in nonnullis codicibus יְהַתֵּלּוּ reperiri ait. Exhibent duo codices Erfurtenſes et libri nonnulli editi יְהָתֵלּוּ, cum Dageſch euphonico in ל, et Zere, ob accentum ad penultimam retractum. לִמְּדוּ לְשׁוֹנָם דַּבֶּר־שֶׁקֶר *Aſſuefecerunt linguam ſuam loqui mendacium.* Cf. ſupra II, 33. Minus recte Schmidius: *docent* linguam ſuam, praemeditando mendacia, ſtudioſe excogitando. הַעֲוֵה נִלְאוּ *Perverſe agendo delaſſantur*, i. e. magno ardore et ad laſſitudinem usque prave agunt. Graecus Alexandrinus reddidit: ἠδίκησαν καὶ οὐ διέλιπον τοῦ ἐπιστρέ-

ψαι, Syrus: ܘܐܬܕܠܚܘ ܘܠܐܝܘ *turbati ſunt et defatigati ſunt;* et Chaldaeus: אִטַּפַּשׁוּ טְעוֹ *deſipuerunt, errarunt.* Hinc eos interpretes J. D. Michaelis colligit legiſſe טָעוּ נִלְאוּ, additque hanc notam: „video plane in eo conſentire, ut pro הַעֲוֵה Verbum aliquod plurale tertiae perſonae legendum ſit; quod receptam lectionem admodum ſuſpectam reddit.“ Ad quae vere Schnurrerus: „Nos, quod ſuſpectum eſſe poſſit, plane non cernimus. Etenim ut VI, 11. dicitur נִלְאֵיתִי הָכִיל, et XV, 6. נִלְאֵיתִי הִנָּחֵם, ita hoc quoque verbum נִלְאָה junctum ſibi habet Infinitivum, הַעֲוֵה, omiſſo nomine אֶת־דַּרְכָּם, quod exſtat III, 21., eſtque ſenſus formulae: ultra modum, ut vires vix ferre poſſint, malo agere contendunt.“

5. שִׁבְתְּךָ בְּתוֹךְ מִרְמָה *Habitare tuum*, o propheta, eſt *in medio fraudis*, i. e., ut recte Kimchi notat, בְּתוֹךְ עַם מִרְמָה *in medio populi fraudis*, i. e. verſaris inter homines fraudulentos, ſive perfidos. מִרְמָה enim h. l. Judaeorum in Jovam perfidiam videtur notare. Hieronymus: „Sermo ad prophetam dirigitur, qui habitet in medio populi mentientis.“ Chaldaeus haec verba ad populum directa putavit. Sic enim illa expoſuit: יָתְבִין בְּבֵית כְּנִשְׁתְּהוֹן וּמִשְׁתָּעִין עַל עֲוַיָתְהוֹן *ſedent in domo congregationis ſuae et colloquuntur de iniquitatibus ſuis.* Sed quum in altero Verſus hemiſtichio Jova de Hebraeis in tertia perſona pluralis loquatur, magis convenit, Pronomen ſuffixum ſecundae Singularis perſonae in שִׁבְתְּךָ ad prophetam referre. Quare nec adſtipulari Leistio poſſum prima Verſus verba non prophetae, ſed populo Judaico dicta exiſtimanti. „Inducta,“ inquit, „a vate mihi videtur Falſa Religio [eam enim per מִרְמָה ſignificari ait] tamquam perſona, in cujus gremio recubaret Iſrael, ut intimam, quae Judaeis cum fictis numinibus intercederet, conſuetudinem, et ſummum, quo ipſa amplecterentur, amorem indicaret.“ Quae tamen imago neſcio quid alieni et minus concinni habet. בְּמִרְמָה מֵאֲנוּ דַעַת־אוֹתִי *Perfidia,* perfi-

perfidiose *renuunt me nosse,* ideo nulla tibi spes est eos emendandi. Cf. supra V, 3. Graecus Alexandrinus interpres prius Versus hemistichium ita reddidit: Τόκος ἐπὶ τόκῳ, καὶ δόλος ἐπὶ δόλῳ, *usura super usuram, et dolus super dolum.* Primas duas hujus Versus literas, שָׁב lectas, ad Versum qui proxime antecedit traxit, et תך pro substantivo תֹּךְ cum proximo בְּתוֹךְ conjungendo habuit. Nomina תֹּךְ et מִרְמָה et alias, ut Ps. X, 7. LV, 12. componi solent. Existimavit interpres, haud dubie, prophetam de usuraria pravitate conqueri, videturque תֹּךְ cum Graeco τόκος contulisse. Sed Hebraeis תֹּךְ *oppressionem* denotat, vid. not. ad Ps. X, 7. J. D. Michaelis, Alexandrini interpretis auctoritate nixus, suspicatur quidem, שבתך divisim legendum esse, sed in eo ab illo dissentit, ut שָׁב ad Comma quintum pertinere existimet, cujus hemistichium primum sic legendum vult: שָׁב תֹּךְ בְּתוֹךְ מִרְמָה בְּמִרְמָה, quae sic interpretatur: *redit damnum post damnum, et fraus post fraudem,* damna intelligens, quibus quis socium injuste afficit. Illam vero sententiam si vates exprimere voluisset, vix dubium est eum ita scripsisse: שָׁב תֹּךְ עַל־תּוֹךְ מִרְמָה עַל־מִרְמָה. Neque sic tamen ita comparata est haec sententia, ut praeferenda sit illi, quam exprimunt verba hebraea quomodo in nostris codicibus leguntur et distinguuntur.

6. Verba הִנְנִי צוֹרְפָם וּבְחַנְתִּים *en! ego* sum *conflans eos et probavi eos,* scil. בייסורין *per castigationes,* ut recte notat Jarchi, sunt qui de praeterito tempore capiant. Ita Grotius: „Misi minora mala Josiae et Jojakimi temporibus, experiens, an per ea purgari possent.“ Sed quae deinceps sequuntur haud obscure arguunt, in Futuro illa verba capienda esse, hoc sensu: experiar, num illos severis castigationibus, ut metalla per ignem, purgare possim. Eandem similitudinem vid. supra VI, 29. Ita recte Graecus Alexandrinus: ἐγὼ πυρώσω αὐτοὺς, καὶ δοκιμῶ αὐτούς. Chaldaeus: הָא אֲנָא מַיְתֵי עָקָא וְצָרֵיף לְהוֹן וּבָחַר לְהוֹן *en induceam angustiam et conflando purgabo*

eos et probabo eos. Jam apte fubjicitur: כִּי־אֵיךְ אֶעֱשֶׂה מִפְּנֵי בַּת־עַמִּי *nam quomodo* aliter *faciam propter populum meum?* Alexandrinus: ὅτι πῶς ποιήσω ἀπὸ προσώπου πονηρίας θυγατρὸς λαοῦ μου; Chaldaeus: *quomodo faciam* מִן קֳדָם חוֹבֵי כְּנִישְׁתָּא דְיִשְׂרָאֵל *propter peccata coetus Ifraelis?* Quibus interpretibus permotus Dathius מִפְּנֵי inter et בַּת־עַמִּי excidiffe nomen רַע ftatuit, quod a propheta ipfo fupra IV, 4. fit expreffum. In quam conjecturam vere monet Schnurrerus haec: „Eft quidem familiaris Jeremiae formula מַעַלְלִים רַע, cerniturque praeter dictum locum etiam XXI, 12. XXIII, 2. XXVI, 3. XLIV, 22. Sed hinc non magis efficias, hic quoque fcribere debuiffe vatem מִפְּנֵי רַע בַּת־עַמִּי, quam in promtu fuiffe verfionis auctori vocem, quae poffet accedere ad explendam fententiam. Quae contra inducere potuiffet librarios ad omittendam רַע, fi unquam adfuiffet, caufa probabilis haud intelligitur. Sententia: *quid, quaefo, aliud facere poffim populi mei caufa?* fatis plana et perfpicua, ut nec addendo רַע multum eam juves, nec omittendo quidquam ei fubducas.“

7. Redit ftomacho plenus ad coarguendum populum corruptiffimum. חֵץ שׁוֹחֵט לְשׁוֹנָם *Sagitta jugulans* i. e. occidens eft *lingua eorum.* Inftar fagittae occidentis, five letaliter vulnerantis, inquit Kimchi, eft lingua eorum maledica, qua aliorum famae detrahunt. Graecus Alexandrinus: *βόλις τιτρώσκευσα ἡ γλῶσσα αὐτῶν.* Hieronymus: *fagitta vulnerans lingua eorum.* Pro שׁוחט (ita enim literae in textu pofitae funt enunciandae) Mafarethae ad marginem praecipiunt שָׁחוּט legi, quod Hebraei *tractam* interpretantur, i. e. ductam fupra cotem ad eam acuendam (*affilée,* ut Kimchi exponit), i. e. terfam, limatam. Ita Chaldaeus: כְּגִיר מְהָרִיף *ficut fagitta acuta,* et Syrus: ܓܐܪܐ ܡܚܕܕܐ, eodem fignificatu. Quod שָׁחוּט *ductam* exponunt Hebraei arceffunt e phrafi זָהָב שָׁחוּט 1 Reg. X, 16. 17. 2 Chron. IX, 15. 16., quam *aurum diductum*

malleo

malleo in laminam interpretatur, ſed conjecturâ admodum incertâ. Videtur שָׁחוּט ſignificatu haud diverſum eſſe a שָׁחוּט, uti Cantic. III, 8. Participium formae paſſivae אָחוּז ſignificationem activam (*tenens*) obtinet. Gaabius explicat *jugulare factus*, i. e. ad jugulandum idoneus redditus, i. e. jugulans, coll. Storrii *Obſervatt. ad anal. et ſynt. Hebr.* p. 72. A. Schultens in Diſſertat. *de utilitate ling. Arab.* (Lugd. Batav. 1706.) §. 7. in *Opp. minorr.* p. 496. שָׁחוּט item eſſe exiſtimavit quod Arabum شوحط, quod *arborem montanam, ex qua nobiles parantur arcus* denotat. Quam ſententiam pluribus argumentis commendavit Franc. Tsepregi in Diſſertat. *de autenthia ſelectiorum Cethibim, in Sylloge Diſſertatt. ſub praeſid. Schultenſſ. et N. G. Schroederi defenſar.* T. I. p. 174. ſeqq., ubi poſtquam evincere ſtuduiſſet شوحط eſſe Taxi ſpeciem, חֵץ שָׁחוּט *telum ex arcu taxeo emiſſum* eſſe ſtatuit. „In qua," inquit, „figura longe graviſſima inſtar *arcus taxei, fortiſſimi et duriſſimi*, gerit rotundum illud oris cavum, unde lingua velut ſagitta evolat ad frangendum delendumque alienae ſamae decus et honorem." Verum arborem illam, Arabiae indigenam, Hebraeis cognitam fuiſſe vix eſt credibile. J. J. Schultens in Diſſert. *de utilitate dialector. orientall.* in *Sylloge* modo laud. p. 378. literas שוחט in textu exſtantes שׁוּחַט pronuntiandas cenſet, Paſſivum formae intenſivae *Schophal* verbi וָחַט, Arabice وحط, *intravit et penetrante vulnere confodit*, unde חֵץ שׁוּחַט fit *ſagitta penetrantiſſime immiſſa*, ad intima usque vitalia adacta. Sed hisce conjecturis facile caremus, quum ea, quam primo loco poſuimus interpretatio, uſui verbi hebraici שָׁחַט congrua talis ſit, in qua nihil jure deſideres. Verba מִרְמָה דִּבֵּר Kimchi recte notat eſſe diſtributive intelligenda: *unusquisque eorum loquitur fraudem ſocio ſuo;* tum ſtatim addere vatem, quidnam per מִרְמָה intelligat, vide-

videlicet ore pacata, amica iisdem dicere, quibus insidias struunt.

8. Deum Versu proximo loqui pergentem et peccatorum poenas denunciantem interpellat propheta, patriae calamitatem lugens. עַל־הֶהָרִים אֶשָּׂא בְכִי וָנֶהִי *Super*, f. *propter hosce montes*, cultos et frugiferos, quos desolatos jam conspicere mihi videor, *attollo fletum et planctum*. Verbis עַל־הֶהָרִים non denotatur lamentationis locus, ut supra III, 21., sed causa et objectum, quod dicunt, luctus, ut IV, 24. 25. 26. Recte Jarchi: על חורבן ההרים *propter desolationem montium*. — וְעַל־נְאוֹת מִדְבָּר קִינָה *Et propter pascua deserti* attollo *lamentum*. De נְאוֹת *locis pascuis, in quibus Nomades*, cum pecudibus per aliquod tempus *commorantur*, vid. not. ad Pf. XXIII, 2. מִדְבָּר h. l. non est sterilis terrae tractus, sed planities pascua, quae non conseritur, pascendis pecoribus apta; conf. *Handbuch der bibl. Alterthumskunde* Vol. I. P. 1. p. 146. כִּי נִצְּתוּ *Nam succensa sunt* prae ariditate, nemine agros colente et rigante, incolarum defectu, uti sequitur. Aliter J. D. Michaelis, qui נִצְּתוּ ad נְאוֹת refert. „Videntur," inquit, „incendia arentium herbarum intelligi. Talibus incendiis hostes non solum nomadibus ovium curâ vitam tolerantibus magnum damnum inferre valent, sed etiam efficere, ut ferae et aves, latibulis et nidis suis relictis, in aliam regionem migrent. Alii vertunt: *vastata sunt*. Venema: *carduis horrent*, ex etymo. Hocne in desertis ita insolitum, ut possit lamentabile videri? Nec potest per leges grammaticas נִצְּתוּ ad radicem נָצָה referri, unde enim Thau in plurali? Transpositis literis נחצו habent sex codices, apud De-Rossium." מִבְּלִי אִישׁ עוֹבֵר *Ita ut non sit vir transiens*; „non modo nemo ibi habitat, sed ne transit quidem; omnia facta sunt ferarum lustra." Grotius. מֵעוֹף הַשָּׁמַיִם וגו' *Inde a volucre coeli usque ad jumenta*, tam aves, quam terrae animantia, *diffugerunt, abierunt*, ad alia loca, propter ariditatem et pabuli

pabuli defectum. Cf. quae ex Hieronymi *Commentar. ad Hoſ.* IV, 3. attulimus in not. ad eum loc.

10. וְנָתַתִּי אֶת־יְרוּשָׁלִַם לְגַלִּים *Reddamque Hieroſolymam in acervos* ſcil. lapidum, ex deſtructis domibus aut muris dejectis נָתַתִּי pendet a Futuris אֶפְקֹד et תִּתְנַקֵּם Vs. 8., et ipſum ſignificationem Futuri induit. מְעוֹן תַּנִּים *Habitationem luporum*, vid. not. ad Jeſaj. XIII, 22.

11. מִי הָאִישׁ הֶחָכָם Schnurrerus vere monet eſſe reſolvendum in אִם יֵשׁ הָאִישׁ הֶחָכָם, uti וַאֲשֶׁר in אִם יֵשׁ הָאִישׁ אֲשֶׁר, τὸ ו vere utrique Futuro, יָבֵן et יַגִּדָהּ praefixum, eſſe ἀποδοτικὸν, ut Hoſ. XIV, 10., denique יַגִּדָהּ, Pronomine neutraliter poſito, dictum eſſe pro יַגִּיד אֶת־זֹאת אֲשֶׁר דִּבֶּר יְהוָה, ut prius hemiſtichium ita ſit reddendum: *ſi quis ſapiens ſit, intelligat illa;* ſi quis ſit, *ad quem loquutus fuerit Jova, ſignificet illud.* „Quum Jova dixiſſet (Vs. 10.), in eo ſe eſſe, ut Hieroſolymis everſionem et reliquis etiam urbibus Judaicis vaſtitatem inferat; vates vehementer commotus cogitatione imminentis publicae calamitatis, evocat et commonefacit primum eos, qui reliquis cautiores, et minus temerarii ſint, ut haec ſedulo ad animum revocent, et quantum poſſint, aliis quoque ſtuporem excutiant; deinde excitat, ſi qui ſint, veri nominis prophetae, ut, quae a Jova acceperint, mandata, ſtrenue et ipſi referant, h. e. minis et metu imminentis exitii civium animos permovere ſtudeant, ſi forte poſſint juncta opera homines reducere ad officium, in quo ſolo poſita eſſe poſſit ſpes patriae conſervandae. Addit: עַל־מָה אָבְדָה הָאָרֶץ וגו׳ *quorſum tandem perierit terra, exuſta fuerit, ut ſit deſertum vaſtiſſimum?* hoc eſt, concedamusne, ut, quod averti etiamnum queat, patriae excidium eventu ipſo comprobetur? ut fere Pharaoni, Iſraelitis veniam proficiſcendi recuſanti miniſtri dixiſſe leguntur Exod. X, 7. הֲטֶרֶם תֵּדַע כִּי אָבְדָה מִצְרָיִם *an nondum ſatis habes ad intelligendum, paratiſſimum eſſe patriae interitum?* Cum Dathio locum ſi vertas: *quis eſt ita ſa-*

ſapiens, ut hoc poſſit explicare, aut ex divina revelatione indicare, cur haec terra in tantam ſit redacta vaſtitatem, ut nemo eo iter faciat? mirum perquam videri debet, tam reconditam ac penitus abſtruſam dici cauſam calamitatum, quae profecto poterat omnibus bene nota eſſe atque obvia.“ Schnurrerus. Recte et Vogel ad Grotium ſenſum hujus Verſus expreſſit his verbis: „Qui ſapit, hanc annunciationem non negliget, ſed civibus ſuis notam faciet eosque admonebit. Quem enim fructum inde caperent, ſi efficerent, ut ſua culpa terra plane devaſtetur?“

12. Quod Jova hic legem ſuam dicit Judaeis *prae oculis poſuiſſe*, אֲשֶׁר נָתַתִּי לִפְנֵיהֶם, eo Kimchi obſervat illum hoc ſignificare, non eſſe multam operam ad eam cognoſcendam impendendam, ut Deut. XXX, 12. 13. dicitur, non eſſe illam legem in coelo aut trans mare quaerendam.

13. De שְׁרִרוּת לִבָּם vid. not. ad III, 17.

14. הִנְנִי מַאֲכִילָם אֶת־הָעָם הַזֶּה *En! ego cibaturus ſum eos, hunc*, inquam, *populum;* Suffixo nomen ſubjicitur, ut Exod. II, 6. וַתִּרְאֵהוּ הַיֶּלֶד *vidit eum, puerum*, puta. לַעֲנָה *Abſinthio* (vid. Celsii *Hierobot.* P. I. p. 480. ſeqq.), quo cibaturum ſe Judaeos Deus denunciat, acerba ſupplicia ſignificantur. Graecus Alexandrinus: *Ψωμιῶ αὐτοὺς ἀνάγκας.* Chaldaeus: *En! ego adducam ſuper populum hunc amaritudinem ſicut abſinthii.* De מֵי־רֹאשׁ vid. ſupra ad VIII, 14.

16. הִתְבּוֹנְנוּ וְקִרְאוּ לַמְקוֹנְנוֹת *Cogitate* ſcil. de praeficis, ne ſuo tempore deſint, *et advocate lamentatrices.* Hieronymus: „Propter futuram captivitatem et everſionem Jeruſalem lamentatrices vocari jubet, quae ſolent in luctu voce flebili, et lacertos manibus verberantes ad lachrymas populum provocare. Hic enim mos usque hodie permanet in Judaea, ut mulieres ſparſis crinibus nudatisque pectoribus, voce modulata omnes ad fletum concitent.“

tent." De praeficis, seu feminis lamentatricibus, quae pretio conductae in honorem defuncti, tam voce, quam organis musicis, maxime tibiis, plorabant, vid. Zornii *Biblioth. antiqu. exeget.* p. 587. seqq. et *das a. u. n. Morgenl.* P. IV p. 273. וּתְבוֹאֶינָה Ut veniant, cum Jod epenthetico ante syllabam adformantem, ad morem Verborum mediae quiescentis, vel uti תְּשׁוּבֶינָה, Ezech. XVI, 55., vid. Altingii *Fundamm. Punctat. L. S.* p. 268. et Gesenii *Lehrgeb.* p. 404. Neque igitur opus est, ut hanc formam cum Gaabio ad radicem בָּאַר referamus. וְאֶל־הַחֲכָמוֹת שִׁלְחוּ *Et ad sapientissimas* i. e. peritissimas lamentandi *mittite. Sapiens,* חָכָם, *in re aliqua* Hebraeis dicitur quisquis ejus est gnarus et in ea exercitatus, vid. Exod. XXXV, 10. 25. Articulus הַ nomini חֲכָמוֹת praemissus indicat Superlativum, vid. Storrii *Observat.* p. 187. et Gesenii *Lehrgeb.* p. 691.

17. וְתֵרַדְנָה עֵינֵינוּ דִּמְעָה וְעַפְעַפֵּינוּ יִזְּלוּ־מָיִם *Et descendant oculi nostri lacrymis,* quasi in lacrymas soluti, *et palpebrae nostrae diffluant aquâ,* soluta quasi in aquam. Vid. de hoc loquendi modo, Hebraeis proprio, quo Verba *fluendi, eundi, descendendi* de locis in quibus quid *fluit, it, descendit,* dici solent, nominibus earum rerum quae diffluunt, descendunt etc. in Accusativo juncta, Gesenii *Lehrgeb.* p. 809., et cf. Genes. I, 20. Exod. III, 8. Joel IV, 18. et not. ad Jes. XLV, 8.

18. כִּי־עָזַבְנוּ אָרֶץ *Quod reliquimus terram,* patriam relinquere coacti sumus. Verba הִשְׁלִיכוּ מִשְׁכְּנוֹתֵינוּ Kimchi sic exponit: משכנותינו השליכו אותנו חוצה *habitacula nostra ejecerunt nos foras,* collata phrasi Levit. XVIII, 25. וַתָּקִא הָאָרֶץ אֶת־יֹשְׁבֶיהָ *evomuit terra incolas suas.* Sed recte monet Jarchi, posse verba et sic capi: השליכו האויבים משכנותינו לארץ *dejecerunt hostes habitacula nostra ad terram.* Fallitur J. D. Michaelis negans הִשְׁלִיךְ alio loco de aedibus destructis dici, nam Dan. VIII, 11. de Sanctuario destructu usurpatur.

19.

19. Mulieres quoque ad lamentandum triſtem ſuam ſortem invitantur, quod illae maritorum animos inprimis ad ſuperſtitionem flectebant, vid. infra XLIV, 15. 19. Suffixa maſculina in אָזְנְכֶם et בְּנֹתֵיכֶם ſunt ad femininum נָשִׁים *feminae* referenda, ut alias haud raro, vid. not. ad Exod. I, 21. edit. tert.

20. כִּי עָלָה מָוֶת בְּחַלּוֹנֵינוּ בָּא בְּאַרְמְנוֹתֵינוּ *Nam aſcendit mors per feneſtras noſtras, venit in palatia noſtra.* Quibus verbis nonnulli interpretes vehementiam expugnationis indicari exiſtimant, quaſi dicat, hoſtes non per portas ingreſſuros in palatia, ſed per feneſtras. Sed vix eſt dubium (cf. Vs. 21.), deſcribi peſtem, quae, et ubi clauſae ſunt fores, per feneſtras irrepere videtur. Verba לְהַכְרִית עוֹלָל מִחוּץ J. D. Michaelis vere monet, non eſſe vertenda: *ad exſcindendum parvulum a platea*, non enim per feneſtras intrabit mors ad occidendum in plateis, ſed: *poſtquam exſcidit parvulum e platea.* ל haud raro *poſt* ſignificat, vid. not. ad Geneſ. VII, 4. Exod. XIX, 4. Num. I, 1. Schnurrero חַלּוֹנִים h. l. ſunt *foramina in moenibus*, אַרְמְנוֹת vero *munimenta* ſ. *propugnacula*, ex quibus urbs defenderetur ab obſidentibus. „Spectat," inquit, „omnino propheta ad illud tempus, quo urbs diu ab hoſtibus circumſeſſa et oppugnata diram paſſura eſſet egeſtatem, atque hinc natam peſtilentiam. Haud inepte hoc dicere poterat ita, ut innueret, fore, ut armati hoſtes quidem a tectis et moenibus diu reprimere, peſtem vero arcere non poſſint, quo minus propugnacula urbis exſcendat, et per moenium foramina irrepat, invaſura omnes, quos foris deprehenderet, infantes juvenesque." Cui interpretationi equidem haud obſtare exiſtimo, quod illi oppoſuit Leistius, quoniam ex ea Judaeorum feminae (Vs. 19.) haud ſuam, ſed aliorum tantum calamitatem, quaſi nulla ſibi ipſis timenda eſſet, quaerentes inductae forent; neque enim ſolarum mulierum hoc Verſu querelae videntur contineri, ſed omnium Hieroſolymitanorum, quibus propheta et ipſe ſe adjungit,

Suf-

Suffixo primae Pluralis perſonae ad utrumque nomen uſus. Sed moenium foramina Hieroſolymitanos vix putem *ſua* (חַוֹּלְבֵינוּ) vocare apte potuiſſe. Neque אַרְמְנוֹת *propugnaculorum* ſ. *munimentorum* ſignificatum obtinere, idoneo argumento nititur. Loca certe Pſ. XLVIII, 14. Thren. II, 5. et ſupra VI, 5., quae adducit Schnurrerus, illam ſignificationem minime poſcunt. Neque ut de *gynaeceis,* ut vult Leistius, אַרְמְנוֹת hic capiatur neceſſe eſt, quamvis haud negem 1 Reg. XVI, 18. 2 Reg. XV, 25. אַרְמוֹן בֵּית הַמֶּלֶךְ eſſe *arcis regiae partem interiorem.*

21. דַּבֵּר כֹּה *Sic dicito*, Jeremia; ad eum enim Dei verba dirigi non dubium. „Theodotion θανάτῳ habet, quae lectio etiam olim fuit in exemplaribus τῶν LXX. tempore Hieronymi. Loco דַּבֵּר Theodotion legit דֶּבֶר, et ad Comma praecedens retulit: *ad exſcindendum peſte.*" J. D. Michaelis. דֶּבֶר et Leistius legendum cenſet, ſed ſubaudito יִהְיֶה et כֹּה pro adverbio loci, *hic*, habito, uti et Geneſ. XXXI, 27. Num. XI, 31. occurrit. Sed quum peſtem hisce duobus Verſibus ita depingat vates, ut de ea illum loqui nemo dubitare poſſit, profecto perquam jejune his insereret: *hic* eſt *peſtis*. Praetermitto alias, quas Venema propoſuit, ſupervacaneas conjecturas. וְנָפְלָה נִבְלַת הָאָדָם *Cadit cadaver hominis*, cadunt lapſaque jacent hominum cadavera. וּכְעָמִיר מֵאַחֲרֵי הַקּוֹצֵר *Et ſicut manipulus poſt meſſorem*, i. e. explicante Kimchio, qui per oblivionem a meſſore omiſſus eſt. Grotius: „et manipulos, ſi qui excidant, eos parum curat meſſor mercede conductus." Junius: confertim, per ſtrues cadaverum quam plurimas. Gaabius עָמִיר *graminis, foeni* ſignificatu capiendum cenſet, quem apud Aramaeos obtinet, quemque et Amos II, 13. Mich. IV, 12. Zach. XII, 6. aptum judicat. Χόρτον hic vertit Graecus Alexandrinus, et Vulgatus ubique *foenum* reddit.

22. אַל־יִתְהַלֵּל חָכָם בְּחָכְמָתוֹ וגו׳ *Ne glorietur ſapiens ſapientiâ ſuâ*, rel. i. e. ne vos vana ſpe lactetis, ſatis vobis

vobis eſſe prudentiae, fortitudinis et divitiarum, ad mala vobis imminentia avertenda. „Per חָכָם hic putem non intelligi *eruditos*, ut ſaepe alibi; ſed explicandum eſt hoc vocabulum de ſapientia politica, qua evitare ſe poſſe imminentia pericula ſperabant. Hanc explicationem certe ſuadet, quod ſtatim *fortitudo* commemoratur.“ J. D. Michaelis. Chaldaeum ſequutus Grotius hunc Verſum ſic exponit: *Ne ſapiens glorietur ſapientia ſua*, ne ei nimium fidat: nam Salomon Dei gratiâ excidit; *nec glorietur fortis fortitudine ſua;* nam Samſon fortiſſimus a foemina deceptus exitium reperit; *et non glorietur dives divitiis ſuis;* nam Achab filius Amri, decem tribuum rex, ditiſſimus fuit, ſed propter impietatem in maxima incidit mala. Haec tria exempla non abs re hic adfert Chaldaeus.“

23. כִּי אִם־בְּזֹאת יִתְהַלֵּל הַמִּתְהַלֵּל הַשְׂכֵּל וְיָדֹעַ אוֹתִי *Sed hoc*, hac re, *glorietur qui gloriatur*, qui gloriari vult, *intelligentem eſſe et me noſſe*, in eo fidat quod me noverit, nimirum ſi hoc et factis oſtendat. כִּי אֲנִי יְהוָה עֹשֶׂה חֶסֶד מִשְׁפָּט וּצְדָקָה בָּאָרֶץ *Me eſſe Jovam, qui benignitatem, juſtitiam et rectitudinem facit in terra*, et hinc homines miſericordes, juris juſtitiaeque ſtudioſos eſſe volo, quod dicunt verba quae ſubjicit: כִּי בְאֵלֶּה חָפַצְתִּי *nam iis* virtutibus *delector.*

24. Quod dixerat (Vs. 21. 22.), nihil valere prudentiam, robur et divitias, deficientibus iis virtutibus, quae ſolae Deo placent, conſpicuum fore denunciat, cum tam a Judaeis, quam ab aliis iis vicinis populis ſcelerum commeritas poenas repetiturus ſit Deus. Praeſagibat prophetae animus non impune laturum Nebucadnezarem defectionem Jojakimi cum Aegyptis foedere juncti, populorumque iis vicinorum, illosque omnes ſeveriſſimam ab hoſte Chaldaeo infligendam caſtigationem ſubituros eſſe. וּפָקַדְתִּי עַל־כָּל־מוּל בְּעָרְלָה *Et animadvertam in omnem circumciſum cum praeputio.* „Difficillimus locus, in quo exponendo potiores ſententiae tres. *Prima,* ut

ut ב nomini עָרְלָה proefixum *societatem* notet, coll. Levit. I, 16. [*removeat ingluviem ejus,* בְּנֹצָתָהּ *cum sordibus ejus*], *cum praeputio*, i. e. cum praeputiato, aut, secundum Schmidium: *inter praeputiatos*, metonymice. Ita fere Chaldaeus: *super omnes populos circumcisos, et super domum Israel, quorum opera similia sunt operibus incircumcisorum.* Nam de solis incircumcisis hic sermonem non esse, colligit Schmidius ex Versu sequenti, ubi duae ponuntur classes. *Secunda* sententia est Graeci Alexandrini et Latini interpretis, qua ב *materialiter* sumunt, hoc modo: *qui circumcisum habent praeputium*; ita vero oporteret gentes Vs. sequ. nominatas omnes circumcisas fuisse, quum tamen a Judaeis illic distinguantur propter praeputium; aut per *circumcisos praeputium* intelligendi quidem Judaei, sed ita, ut Vs. sequ. gentibus adjungantur, propter commune cordis praeputium, communemque vindictae divinae eventum; aut denique cum Hieronymo per *omnes gentes praeputiatas* non intelligi debent gentes nominatae, sed aliae; quanquam hac ratione *gentibus* non Judaei soli opponendi fuissent, verum et Aegyptii, Idumaei, reliqui. *Tertia* sententia est Coccejі, verba hoc modo capientis: *circumcisos* in carne *cum praeputio* cordis, coll. supra IV, 4. Rom. II, 25. 29., quo pacto itidem de Vs. sequ. judicandum foret, ac modo dictum." C. B. Michaelis. Cocceji sententiam suam fecit J. D. Michaelis, „sensus," inquiens, „qui se cuique primum haec verba legenti sponte offert, est hic: *in omnem circumcisum, qui praeputium habet*, i. e. in omnes, qui quidem circumcisione gaudent, quae est in praecisione partis externae corporis, sed non circumcisione spirituali. Sumi etiam posset, populos, quorum catalogum Vs. 26. exhibet, certe ea parte circumcisos fuisse, quum constet circumcisionis ritum in Arabia inter Abrahami posteros, et in Aegypto inter sacerdotes fuisse introductum. Sic enim scribit Hieronymus: *multarum ex quadam parte gentium, et maxime quae Ju-*

Judaeae Palaeſtinaeque confines ſunt, usque hodie populi circumciduntur, et praecipue Aegyptii et Idumaei, Ammonitae et Moabitae, et omnis regio Saracenorum quae habitat in ſolitudine." Quibus tamen manifeſte adverſatur Verſus qui proxime ſequitur, quo ſe vates ipſe explicat. Quare haud dubitamus, ſententiarum, quas recenſuit C. B. Michaelis, *primam* eſſe unice veram. Ita et Kimchi verba עַל־כָּל־מוּל בְּעָרְלָה exponit: *in omnes circumciſos* animadvertam, ii ſunt Iſraelitae, וְעַל אֲשֶׁר בְּעָרְלָה *et in omnes quibus praeputium*, ii ſunt populi, quos Vs. ſequ. recenſet; ועל שוכר עומר במקום שנים, et עַל, *quod praeceſſit, ſtat pro duobus*, i. e. repetendum eſt," ut plene ita dicendum fuiſſet: וְעַל־כָּל־אֲשֶׁר בְּעָרְלָה. Quorum verborum explicationem contineri Verſu proximo et inde patet, quod ejus initio copula ו non eſt praemiſſa. Iuſto artificioſius videtur, quod Venema phraſin מוּל בְּעָרְלָה de ambiguo quid trahere exiſtimat, et conciſa oratione *cum* Judaeos circumciſos ſimul, ſimul praeputiatos depingere; *tum* Judaeos circumciſos et gentes praeputiatas comprehendere.

25. Quae in hoc Verſu commemorantur gentes non eſſe circumciſas ſignificatur hisce verbis: כִּי כָל־הַגּוֹיִם עֲרֵלִים, nam Articulus nomini גּוֹיִם praemiſſus oſtendit, intelligendos eſſe populos antea recenſitos. Quatenus vero iis adnumerentur Judaei (וְעַל־יְהוּדָה), demonſtrant ultima hujus Verſus verba, וְכָל־בֵּית יִשְׂרָאֵל עַרְלֵי־לֵב *omnes domus Iſraelis* ſunt *praeputiati quoad cor* (quamquam alio reſpectu *circumciſi*, מוּל Vs. 24., eſſent), ceteri eo ſenſu quo עָרֵל ſimpliciter capi ſolet. Atque *Aegyptios* quidem quod attinet, ii et Ezech. XXXI, 18. XXXII, 19. coll. 21—31. inter alios populos, qui non ſunt circumciſi nominantur. Dicit quidem Herodotus L. II. Cap. 36. 37. Aegyptios virilia circumcidere (Τὰ *αἰδοῖα ἄλλοι μὲν ἐῶσι ὡς ἐγένοντο, πλὴν ὅσοι ἀπὸ τούτων ἔμαθον· Αἰγύπτιοι δὲ περιτάμνονται. — Τὰ τε αἰδοῖα περιτάμνονται καθαριότητος εἵνεκεν*). Alii vero non omnes Aegyptios, ſed

fed duntaxat facerdotes, et ex aedituis templorum religiofiffimos quosque, illosque qui arcanis facris initiari vellent, circumcifos fuiffe perhibent; vid. Jablonskii *Panth. Aegypt.* Prolegomm. p. XIV. *Idumaeos* refert Josephus *Antiqq.* LXIII. Cap. 9. §. 1. tum demum circumcifos fuiffe cum ab Hyrcano effent fubjugati. De *Ammonitis* et *Moabitis* id plane non conftat. כָּל־קְצוּצֵי פֵאָה *Omnes praecifos quoad angulum* f. *angulo.* Chaldaeus et hic, et infra XXV, 23. XLIX, 32., interpretatur כָּל מַקְפֵי פָתָא *omnes circumtonfos angulo* fcil. capitis, ufus phrafi Hebraica Levit. XIX, 27. לֹא תַקִּפוּ פְּאַת רֹאשְׁכֶם, quam Graecus Alexandrinus, Aquila, Theodotion, Symmachus et Hieronymus de *capillorum in rotundum tonfione,* occipitis cicinno tantum fuperftite, interpretantur. פֵּאָה *angulus* igitur h. l. concife pro פְּאַת רֹאשׁ pofitum, capillum circa capitis partem devexam, five quidquid eft crinium in capite praeter cranium, aut cranii fuperiorem partem, denotabit. Eo modo fe totondiffe Arabes in Bacchi honorem, auctor eft Herodotus L. III. Cap. 8. Τῶν τριχῶν, inquit, *τὴν κουρὴν κείρεσθαί φασι, καθάπερ αὐτὸν τὸν Διόνυσον κεκάρθαι, κείρονται δὲ ὑποτρόχαλα, περιξηροῦντες τοὺς κροτάφους, eodem modo quo tonfus eft Bacchus tonderi fe ajunt, porro in orbem tondentur, tempora fubradentes.* Et Graecus Scholiaftes in Levit. XIX. docet ad fuum usque aevum Saracenos eundem tonfurae modum ufurpaffe. Saraceni vero, five Arabes, hoc loco fignificantur additis verbis: הַיֹּשְׁבִים בַּמִּדְבָּר *qui habitant in deferto,* five, ut Chaldaeus habet, *qui habitant in tentoriis in deferto,* Arabes Scenitae (cf. Jud. VIII, 11.). Jarchi קְצוּצֵי פֵאָה exponit המוקצין בפאת מדבר *qui amputati funt in angulo deferti,* qui a ceteris populis remoti degunt in deferto. Similiter Blayney phrafi illa fignificari *populos in extremis terrae finibus habitantes* exiftimat. Ita vero parum congruenter fubjiceretur הַיֹּשְׁבִים בַּמִּדְבָּר. Coccejus in *Lexico* f. v. קָצַץ *praefectos extremitate,* per *ἐξευτελισμὸν circumcifos* vo-

vocari censet. EVERARD. SCHEIDIUS denique in *Specim. Observatt. ad quaedam V. T. loca*, ad calc. Dissertat. in Cantic. Hisk. p. 69. seqq. פְּאַת collato cum Arabico فِئَة *agmen*, phrasin קְצוּצֵי פֵאָה *agminatim*, in agmina, tribus *dissectos* divisosque interpretatur, sed repugnante usu Hebraei פֵּאָה. Id tamen sequutus DAHLER sic vertit: *et tous les habitans du desert, divisés en tribus.* Populis iis qui non circumciduntur accensentur hic et Arabes. ORIGENES quidem in *Philocal.* Cap. 13. p. 77. testatur ante tempora Mohammedis Ismaelitas circumcisionem observasse (Ἰσμαηλίτας τοὺς κατ' Ἀραβίαν πάντας περιτέμνεσθαι τρισκαιδεκαετεῖς). Et PHILOSTORGIUS *Hist. Eccles.* L. III. §. 4. circa annum post C. N. 342. Homeritas, seu Arabiae felicis incolas, quos ille ex Kethura, Abrahami secunda uxore, ortos putat, scribit pueros octo diebus natos circumcidere. Sed Jeremiae aetate mos ille non apud omnes Arabiae populos tribusve obtinuisse videtur. Ceterum nota, in catalogo populorum, in quos Jova sit animadversurus hostibus Chaldaeis illis immittendis, primo loco nominari *Aegyptios*, quod his auctoribus reliqui, qui hic recensentur, populi a Chaldaeis defecerunt, et Aegyptiis sese foedere junxerunt.

X.

V.

Avocat Israelitas ab astrorum imaginumque veneratione.

Cap. X, 1—16.

ARGUMENTUM.

Admonet vates Israelitas, uti videtur, exsules, ne se superstitione earum, inter quos degant, gentium pellici et a veri Dei cultu se abstrahi patiantur, ratione primum inde petita, quod quos populi illi pro diis habent, merae sint imagines sensu et vita expertes (Vs. 1—5.), tum comparatione majestatis et potentiae Jovanae cum deorum commentitiorum inanitate instituta (Vs. 6—16.).

Haec pericopa quum neque cum iis quae praecedunt cohaereat, neque cum his quae sequuntur, haud dubitamus eam pro concione a ceteris diversa, aut pro longioris cujusdam sermonis particula habere. Temporis, quo sit scripta, notam deprehendimus in ea nullam. Quibusnam rationibus adductus Dahler hanc Pericopam anno *quarto* Jojakimi assignet, me non assequi fateor. Eichhorn (*Hebr. Proph.* P. II. p. 59.) inde, quod initio hujus pericopae vates admonet suos, ne coelestia signa formident, quo tempore coelesti quopiam portento metu perculsi fuissent homines, editam illam conjicit.

X, 1. Audite, quid vobis dicat Jova, domus
2. Israelis! Sic dicit Jova: gentium mori ne
adsuescite, neve coelestia signa formidate,
3. quod ea gentes formident. Nam populorum statuta sunt vana: caeditur enim arbor
ex sylva, et fabrilium manuum arte dola-
4. tur; argento auroque comitur, clavisque
5. firmatur et malleis, ne vacillet. Columnae
illi tornatae sunt similes, neque loquuntur,
et portandi sunt, quippe qui non gradiantur. Eos ne metuite, quos penes neque
6. nocere sit, neque prodesse. Nullus Tibi
par est, Jova, qui magnus et magnae virtu-
7. tis nomine praeditus es. Quis Te non
metuat, o gentium rex? nam convenit
Tibi. Neque enim in omnibus gentium
sapientibus omnibusque regnis Tibi quis-
8. quam est conferendus. Pariter omnes illi
insaniunt ac desipiunt; disciplina vanissima
9. est lignum. Diductum argentum e Tartesso
importatur, et aurum ex Uphazo, fabri manuumque aurificis opus hyacinthino purpureoque vestitu, quae omnia peritoram sunt
10. opus. At Jova Deus verus, Deus est vivens, et rex aeternus, ad cujus iram terra
contremiscit, neque sustinent ejus indigna-
11. tionem gentes. *Ita illis dicite: Qui dii coelum et terram non fecerunt, ii ex terra*
12. *et locis coelo subjectis tollentur.* Qui terram sua vi fecit, sapientia orbem condidit,
pru-

prudentiâ coelum extendit. Quo edente 13.
vocem ſuam, aquae multitudo in coelo
praeſto eſt, attollitque ab ultimis terris ne-
bulas, fulgura pluviae facit, et ex ſuis cellis
ventum educit. Inſanit omnis homo in- 14.
ſcitia; ſimulacrorum pudebit fictores om-
nes, quorum falſa et inanima ſint fuſilia.
Vana ſunt, opus fallax, eorum ſupplicii 15.
tempore peritura. Non talis eſt is, quem 16.
colunt Jacobaei, quin is omnium conditor
eſt, hujus haereditatis natio eſt Iſrael; Jova,
agminum Deus, eſt ejus nomen.

N O T A E.

Cap. X, 1. „Phraſis *quod loquutus eſt Jova* עֲלֵיכֶם ſive vertatur *ad vos*, ſive *ſuper, de vobis*, perinde eſt; poteſt utroque modo verti, et utrique hic recte locus datur.“ Venema. בֵּית יִשְׂרָאֵל *O domus Iſraelis!* „Proprie יִשְׂרָאֵל de *decem tribubus* jam dudum antea in captivitatem Aſſyriacam abductis accipio, exiſtimoque, prophetam, ut jam Cap. III, 12. fecerat, exſules Aſſyrios hic alloqui, eosque monere, ne ſuperſtitionibus gentium ſe adſueſaciant.“ J. D. Michaelis. Ad exſules in peregrinis terris directam hanc paraeneſin et credidit is, qui fictam illam Jeremiae epiſtolam ad Judaeos in Babyloniam deportandos, quae legitur in fine libri apocryphi Baruchi (Cap. VI.), concinnavit. In ea enim quae in Hebraica hac pericopa conciſe et nervoſe dicuntur, multis verbis exaggerata et rhetorico more amplificata legimus.

2. אֶל־דֶּרֶךְ הַגּוֹיִם אַל־תִּלְמָדוּ *Ad viam gentium non adſuescatis*, i. e. gentium exempla ne imitemini, nec in cultu religioſo, quem tenent, nec in portentorum coeli

 metu,

metu, quo adfici ſolent. דֶּרֶךְ, quod in univerſum vitam et morem agendi denotare conſtat, hic ſpeciatim de conſuetudine deos ſibi colendos eligendi dicitur, uti oſtendunt quae ſequuntur. Non erat, cur J. D. Michaelis haereret in verbo לָמַד cum אֶל constructo, pro quo אַל reponendum conjecit, quod miror nec improbabile viſum eſſe Gaabio, collato Proverb. XXXI, 4., (ubi tamen repetiti אַל alia eſt ratio). Neque enim dubium eſt *adſueſcendi* ſignificatum obtinere, ut ſupra II, 24. לִמֻּד *adſuetum* denotat. Neque opus eſt, ut cum Kimchio אֶל hic pro אֶת, Accuſativi nota capiamus, ut Pſ. II, 7. Jud. VII, 25. — *Signis coeleſtibus*, אֹתוֹת הַשָּׁמַיִם, ſunt, qui *conſtellationes* ſignificari exiſtiment, ex quibus hominum fata pendere opinati ſunt. Sed videntur potius prodigia coeleſtia intelligi; ut ſunt ſolis et lunae defectus, ſtellae cadentes, vel quae in coelo repente naſcuntur cometae, plures ſoles aut lunae, coeleſtes flammae, lampades, bolides, et quae alia ſunt hujus generis oſtenta, quae magna mala, publicasque calamitates portendere rerum naturalium imperiti credunt. אַל־תֵּחָתּוּ *Ne conſternemini* timore ſuperſtitioſo, quaſi mali quid inferant vel praeſagiant. כִּי־יֵחַתּוּ הַגּוֹיִם מֵהֵמָּה *Quod* (non, ut J. D. Michaelis mallet, *quando*) *gentes iis conſternantur*, quas non convenit imitari; cf. ſimiles dehortationes a ſectandis gentium exemplis Levit. XVIII, 24. Matth. VI, 32. 1 Theſſal. IV, 5.

3. כִּי־חֻקּוֹת הָעַמִּים הֶבֶל הוּא *Nam ſtatuta gentium* quod attinet *vanitas eſt*. „חֻקּוֹת הָעַמִּים *ea quae gentes praecipiunt* de *diis* intelligenda crediderim, quorum cultum in captivitatem deductis decem tribubus injuncturi eſſent victores. Firmant hanc ſententiam ſolennis in deſcribendis idolis nominis הֶבֶל, quo iſta חֻקּוֹת הָעַמִּים h. l. appellantur, uſus, omnisque orationis ſeries, quum non de gentium doctrina atque moribus in univerſum, ſed de ipſorum modo diis ſit ſermo, et quae proxime ſequuntur vanitatem τῶν חֻקּוֹת inde probent, quod lignea ſint, hominumque demum manibus fabricata. Idem quoque Syrus

rus interpres ſenſiſſe putandus eſt; reddit enim חקות nomine *idola* ſignificante ܢܡܣܢ̈ܐ. Neque cauſa abeſt ſatis probabilis, quare de ipſis cogitans inſolentiori loquutione uſus ſit propheta, ipſum enim numinum falſorum nomen evitaſſe, et quorum religionem, ne ab Aſſyriis ſuſcipiant, exſules Iſraelitas monet, iſtos ne deos quidem appellare voluiſſe videtur.“ Leiste. כִּי־עֵץ מִיַּעַר כְּרָתוֹ *Nam* ſunt illa idola *lignum e ſylva* quod *caedit*, ſcil. caedens, i. e. quod caeditur, imperſonalis loquendi modus notiſſimus (vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 797. 3. *a.*), qualis et eſt Vs. 4. in יְיַפֵּהוּ, quare non erat, cur J. D. Michaelis כְּרֻתוֹ legendum mallet. מַעֲשֵׂה יְדֵי־חָרָשׁ בַּמַּעֲצָד *Opus* ſunt idola *manuum fabri cum aſcia* elaboratum. מַעֲצָד proprie *ſecuris*, qua ſinduntur arbores (cf. not. ad Jeſaj. XLIV, 12.), hic eſt talis, qua utuntur fabri, i. e. dolabra, aſcia; vid. Michaelis *Supplemm.* p. 1943. Cum hoc Verſu et proximo cf. Jeſaj. XL, 19. ſeqq. XLIV, 12. 13., ubi ſimili modo vana et ridicula opera deſcribitur, quam diis ſuis conficiendis impendunt eorum cultores.

4. בְּכֶסֶף וּבְזָהָב יְיַפֵּהוּ *Argento et auro pulchrum facit*, ſimulacrum ligneum artifex argento auroque obducit exornatque. De מַסְמְרוֹת *clavos* denotante vid. not. ad Jeſaj. XLI, 7. — וּבְמַקָּבוֹת *Et malleis*, quibus clavi infiguntur. וְלוֹא יָפִיק *Ut non titubet* ſ. vacillet. Quae verbi פוק ſignificatio etſi linguarum cognatarum conſenſu firmari nequit, vix tamen in dubium vocari jure poteſt, poſcentibus eam loco et hoc et Jeſajano XXVIII, 7. Jarchi praeterea conferre jubet nomen פּוּקָה 1 Sam. XXV, 31., quod de *vacillatione cordis*, et פִּיק Nah. II, 4., quod de *genuum vacillatione* dicitur. Alexandrinus: καὶ οὐ κινηθήσονται. Chaldaeus וְלָא יִתְמַטֵּי *ne inclinetur*. „Arabibus فوق eſt *frangere*, e. g. ſagittam. De fractione aut diſſolutione cogitarunt Vulgatus: *ut non diſſolvatur*, et Syrus, ܕܠܐ ܢܬܦܣܩܘܢ J. D. Michaelis.

5.

5. כְּתֹמֶר Graecus Alexandrinus vertit *ὡς Φοῖνιξ, ſicut palma*, quod ſequutus Hieronymus: *in ſimilitudinem palmae fabricata ſunt,* immerito objurgatus a J. D. Michaelis, quod inepta ſit haec interpretatio, quum palmae non fabricentur. Quis enim non videt, Hieronymum hoc voluiſſe, idola ita fuiſſe fabricata, ut palmam referrent? Sequuti illam interpretationem ſunt plerique recentiorum, quum תֹּמֶר idem eſſet quod תָּמָר, ut Jud. IV, 5., ubi Debora תַּחַת־תֹּמֶר *ſub palma* habitaſſe dicitur. Non igitur erat, quod J. D. Michaelis miraretur, cur punctator literis תמר non potius ſolitum duplex Camez ſubjecerit? Recte vero Kimchi notat h. l. eſſe *columnam* intelligendam ob ſimilitudinem cum palma, quae arbor eſt alta, recta et aequalis, nec ramos habet niſi ſuperne. Conf. תִּמְרוֹת עָשָׁן Joel III, 3. *columnae fumi*, ut Judic. XX, 40. עַמּוּד עָשָׁן *columna fumi.* Talmudicis quoque תִּמּוּר eſt *columna,* et תִּמֵּר *columnam facere, columnae in modum aſcendere;* atque Arabibus تَامُور et تَامُورَة *turris templi* vel *facelli Chriſtiani*, מִקְשָׁה plures, ut C. B. et J. D. Michaelis *opus ſolidum* (a קָשָׁה *durum, firmum eſſe*) interpretantur, ſ. opus continuatum, quod movere ſeſe non poteſt, quod neque articulatum, neque animatum interius eſt. Sed denotat potius *asciatum, tornatum* quid, vid. not. ad Exod. XXV, 18. p. 426. edit. tert. נָשׂוֹא יִנָּשׂוּא *Portando portantur,* ſc. quis illa locum mutare velit, portari debent. Cf. Jeſaj. XLV, 20. XLVI, 7. In יִנָּשׂוּא eſt א paragogicum, ut Joſ. X, 24. הָלְכוּא pro הָלְכוּ *eunt.* כִּי־לֹא יִצְעָדוּ *Non enim incedunt,* incedere non valent. Chaldaeus: אֲרֵי לֵית בְּהוֹן רוּחַ לְהַלָּכָא *quia non eſt in iis ſpiritus vitalis ad ambulandum.* אֵין אוֹתָם „*Non eſt cum illis*, i. e. non habent, nequeunt. אוֹתָם, ut interdum ſit in libris ejus aetatis, poſitum eſt pro אִתָּם, nec modo Vocalibus tenus, ſed et plene ſcriptum; vid. Ezech. XIV, 4. XXVII, 26. Jerem. XII, 1. 3. (ex var. lect.) XVI,

XVI, 8. XIX, 10. XX, 1." J. D. Michaelis. Cf. not. supra ad I, 16.

6. מֵאֵין כָּמוֹךָ *Non est quis Deus sicut tu,* tibi similis. מֵאֵין C. B. Michaelis explicat *plane non est,* quasi מ intendat negationem, et velut concipienda esset in comparativo gradu. Sed Gesenius *Lehrgeb.* p. 831. simpliciter duplicem negationem jungi putat per merum pleonasmum, ut מִבְּלִי אֵין Exod. XIV, 11., ubi conf. not. Minus feliciter J. D. Michaelis verba illa sic exponit: *ex nihilo* est, i. e. confictum mendaciter, quod *tibi simile* creditur, *o Jova!* Versus 6. 7. 8. et 10. desunt in versione Graeca Alexandrina, et, ex sententia Hieronymi, in plerisque e Theodotionis editione additi sunt, Versus 9. vero subjicitur Versui 5. Omnino vero tanta est horum Versuum et in editionibus et in codicibus atque versionibus e Graeca Alexandrina factis varietas, ut fere omnes invicem discedant. Docte de hac varietate disseruit Spohnius in notis ad Jeremiam Graecum suis curis editum, quem qui illam nosse cupiverint, adeant.

7. כִּי לְךָ יָאָתָה *Nam tibi convenit* „scil. ut timearis. Radix יָאָה, qua et hic utitur Syrus interpres, Syris et Chaldaeis usitata, denotat *pulcher fuit,* et impersonaliter *decet, convenit.* LXX. πρέπει, et sic quoque Arabicus interpres. Alii: *assentitur* scil. omne, a אוּת, coll. Genes. XXXIV, 15. 22. 23., sed coactius, nam ea radix non tam absolutum obsequium, quam conventionem certis conditionibus initam notat." C. B. Michaelis. De מֵאֵין כָּמוֹךָ vid. not. ad Vs. 6.

8. וּבְאַחַת Hebraei fere interpretantur *in uno,* in una hac re, idololatria, stulti sunt aliorum populorum sapientes (Vs. 7.). C. B. Michaelis, referente filio, Joa. Davide, ex ejus notis manuscriptis, ellipsin esse suspicatus est, pro וּבְעֵצָה אַחַת *et consilio uno.* Melius placet quod in Annotatt. ad Biblia Halensia cum Noldio *Concordantt.* p. 170. ed. Tymp. בְּאַחַת exponit *in uno,* i. e.

ad

ad unum omnes, i. q. Chaldaicum כַּחֲדָא *ſicut unum,* ſimul, pariter, et ἀπὸ μιᾶς Luc. XIV, 18. „Verborum מוּסַר הֲבָלִים עֵץ הוּא ſtructura eſt eadem, quae ſuperius Vs. 3. cernitur. Quemadmodum ibi הוּא, dictum pro הֵמָּה, Verbi ſubſtantivi uſum obtinet, et quod proxime antecedit, הֶבֶל, praedicatum eſt, ut ſenſus ſit: *disciplina gentium,* h. e. id in quo verſatur gentium disciplina, *eſt vaniſſimum quid, eſt enim lignum* rel.; ita hic quoque עֵץ praedicatum eſt, et ſententia planiſſime ſic reddenda: *disciplina vaniſſima eſt lignum,* h. e. occupatur in ſimulacro, quod ex ligno factum eſt. Poſſis quoque ſumta lectione defectiva הבלם pronuntiare הֶבְלָם, plane ut eſt in Vulgata: *doctrina vanitatis eorum lignum eſt.*" Schnurrerus. Nos quidem haud dubitamus, in recepti הֲבָלִים interpretatione ea, quam dedit Schnurrerus, acquiescendum eſſe. Quod tamen aliter viſum Leistio, qui aliam eamque duplicem verba illa interpretandi rationem propoſuit. Alteram, quae eo nititur, ut מוּסַר h. l. haud ipſa ſit doctrina, ſed doctrinae objectum, ſeu id, quod doceatur, et quidem, ut חֻקּוֹת Vs. 3. *ſimulacra* ſignificet, quae divino cultu proſequenda et ipſi judicarent deductorum in captivitatem Iſraelitarum domini, iisdemque praeciperent. Porro הֲבָלִים Leiſtius Participium benoni eſſe cenſet formae פָּקֵד (vid. Storrii *Obſervatt.* 73.) a radice הָבַל *evanuit, periit,* futura ſignificatione h. l. gaudens deque Aſſyriis idololatris intelligendum, quos vates, quum nihilum quid venerarentur, ipſos ad nihilum redactum iri (cf. ſupra II, 5.), ideoque nomine imminentia iisdem fata ſimul indicante *ad nihilum redituros* ſ. *perituros* appellaſſe videatur, ut haec evadat ſententia: lignum eſt ab idololatris iſtis celebratum numen, qui quidem, quum tam vanum deum venerentur, ipſi ſane olim evaneſcent. Altera, quam Leiſtius propoſuit, interpretandi loci ratio inde eſt petita, quod מוּסַר nonnunquam *vituperationem* ſignificat, ideoque et de refutandis convincendisque erroribus dici poteſt. „Hoc ſi ſumas, perinde eſt, utrum de

de idolis, an de idololatris vocem הֲבָלִים dictam velis. Prius si statuas, haec prodit sententia: *ipsum lignum est idolorum refutatio, s. redarguit idola*, i. e. idola pro diis non esse habenda, vel inde apparet, quod e ligno sunt fabricata, quae homines creasse debeant. Ita fere Dathe atque Blayney. Quodsi vero הֲבָלִים, ut supra ostendi, ad idololatras respiceret, ita reddenda forent verba: *ipsum lignum redarguit idololatras*, i. e. ipsum simulacrum, quum hominum manibus sit exsculptum vitaque careat, Deum se non esse, temereque nec nisi per summam stultitiam divino cultu affici miseros suos cultores docet." Quae tamen sententiae argutae magis sunt, quam simplicitate et veri specie commendabiles.

9. כֶּסֶף מְרֻקָּע *Argentum diductum* malleo, cf. not. ad Jesaj. XL, 19. De תַּרְשִׁישׁ *Tartesso* Hispaniae, et Hispania tota, argenti ditissima, ejusque metalli patria antiqua, vid. not. ad Genes. X, 4. Nomen אוּפָז, praeter hunc locum nonnisi Dan. X, 5. obvium, esse nomen proprium regionis auriferae, sicut quod praecedit תַּרְשִׁישׁ terrae argentiferae nomen est, praefixum מִן haud sinit nos dubitare. „Sitne Ophir Arabia, an alia auri dives terra, incertum; potuerit sane nova ab Hebraeis detecta auri patria אוֹפִיר nomine paulisper mutato אוּפָז dici ultima ex פָּז *aurum*, syllaba mutuata. Possit et aliud quid nomini novo ad Ophiram alludenti, occasionem dedisse, nec negaverim, Seilanam insulam Uphazam esse, licet Ophiram fuisse neutiquam credam; fuit enim, ut Bochartus jam monuit (*Geogr. S.* P. I. L. II. Cap. p. 261.), huic insulae *Phasis* fluvius (forte Phoeniciis a פָּז *auro* dictus), et *Pasi* sinus (πᾶσι κόλπος), Ptolemaeus L. VII. p. 180." J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 46. E veteribus pro אוּפָז h. l. *Ophir* posuerunt Chaldaeus, Syrus et Theodotion. Corruptum ex אוֹפִיר esse putat et Gesenius in *Lexic. min.* p. 20. edit. sec. quum ר, ر, et ז, ز, Arabibus sint literae cognatae, ut فخر et فخز utrumque *gloriatus*

tus fuit denotat. „Eſt inſula Πάζος in India memorata Stephano ex Alexandro Polyhiſtore: creditur eadem eſſe, quam in mari rubro *Topazon* Plinius nominat, unde gemmae *Topazio* nomen, quae in Jobo. In eam inſulam cuncta ex India perferebantur, atque inde diſtribuebantur.“ Grotius. Ante יְדֵי צוֹרֵף repetendum מַעֲשֵׂה *et opus manuum conflantis* ſcil. metalla. De צֹרֵף vid. not. ad Jeſaj. XL, 19. De תְּכֵלֶת *colorem coeruleum* et talis coloris veſtimenta ſignificante, vid. not. ad Exod. XXV, 4. חֲכָמִים *Sapientes* hic ſunt *periti artifices*, cf. not. ſupra ad IX, 16.

10. „Verba וַיהוָה אֱלֹהִים אֱמֶת Pagninus vertit: *at Jehova Deus veritas eſt.* in qua enunciatione videtur *Jehova Deus* eſſe ſubjectum *veritas* praedicatum. Alii malunt ſubjectum eſſe יְהוָה, praedicatum אֱלֹהִים אֱמֶת, et vertunt *Deus verus eſt*, per enallagen formae abſolutae pro conſtructa, pro אֱלֹהֵי אֱמֶת *Deus veritatis*, id eſt, verus. Malim אֱמֶת adverbialiter ſumere pro בֶּאֱמֶת *vere;* quo ſenſu ſaepe in Liturgia Judaeorum uſurpatum invenio, ut cum dicunt: אמת אתה הוא ראשון ואתה הוא אחרון *vere tu es primus et ultimus.* Niſi forſan ſenſus ſit: *o veritas, tu es primus* rel. Significat autem אמת et אמתה paſſim apud Hebraeorum Magiſtros ipſiſſimam rei cujusvis ſubſiſtentiam, et, ut ſic dicam, eſſentiae realitatem; nec aliter hoc loco accipiendum. Quamobrem eum Maimonides in *Miſchnah Thorah*, ubi Dei eſſentiam cum reliquorum entium eſſentia confert, recte ſic explicat: אין אמתתו כאמתת אחד מהם הוא לבדו האמת ואין לאחר אמת כאמתתו *non eſt eſſentia ejus ſicut eſſentia ullius illorum; ille ſolus eſt vera eſſentia, nec habet alius illam eſſentiae veritatem quam is habet.*“ Ludov. de Dieu. Verum ſenſum haud dubitamus expreſſiſſe Pagninum, primo loco a Ludov. de Dieu laudatum. אֱמֶת hic oppoſitum eſt *vanitati*, הֶבֶל, quo nomine fictitii dii nuncupantur Vs. 3. 8. 15. אֱלֹהִים חַיִּים *Deus vivus*, oppoſitus eſt mortuis idolis. Syrus et Arabs (qui quidem hic Syrum

Syrum sequutus est hiantibus LXX) reddunt ܐܠܗܐ ܚܝܐ, الله الحياة *deus viventium.* Quin et Theodoretus in Graecis Bibliis legit *θεὸς ζώντων*. Id esset hebraice אלהי חיים. „Favet," inquit J. D. Michaelis, „חַיִּים numero plurali positum, quod esset in Adjectivo cum nomine אֱלֹהִים constructo insolentius. Forte huc alluditur Matth. XXII, 32." Equidem illos interpretes *non* aliter ac nos legisse, sed in interpretando lapsos esse existimo. מִקִּצְפּוֹ, „*Fragore ejus.* Proprie קָצַף est *frangere magno sonitu,* collato Arabico قصف *fregit navim ventus.* A fragore deinde *ira* dicta est; hic vero malim proprie accipere de *tonitru vehementi,* indignationis divinae teste, maxime quum verbum Arabicum etiam sit *magno fragore tonuit.*" J. D. Michaelis. *Tonitru* significatio etsi speciosa sit h. l., quum additum sit תִּרְעַשׁ הָאָרֶץ *contremiscit terra;* tamen apud Hebraeos linguae usu קֶצֶף *iram vehementiorem,* qua quis totus effervescit et spumat indicasse, ostendunt plurima codicis Hebraei loca. Proprio *spumae* significatu legitur Hos. X, 7., ubi R. Tanchum, referente Ed. Pocockio in *Commentar. in Hos.* p. 528., illud Arabice زبد *spumam,* et نفاخات التي تطلع على وجه الماء *bullas quae ascendunt supra aquae superficiem,* atque Abu-Walid استشطاطه وعليانه *exaestuationem ejus* (aquae) *et ebullitionem ejus* explicat. וְלֹא־יָכִלוּ *Nec capiunt,* sustinere valent, ut supra VII, 11.

11. Hic Versus scriptus est Chaldaice. Cujus rei rationem vulgo reddunt hanc: prophetam sistere sibi suos populares tanquam jam abductos in exilium et inter Chaldaeos versantes, quibus formulam praescribat, qua respondere debeant Chaldaeis ad idola colenda ipsos pellicientibus. Quae jam Chaldaei interpretis erat sententia, Versui huic haec praemittentis: *Hoc est exemplar epistolae,*

ſtolae, quam miſit Jeremias propheta ad reſiduos ſeniores exſulum in Babylonia. Si dixerint vobis populi, inter quos verſamini: colite idola, ſic reſpondebitis, et ſic illis dicetis. J. D. Michaelis Chaldaice concepta haec verba ait, quibus reſpondere deberent Iſraelitae exſules *Aſſyriis.* Sed Aſſyrii non Chaldaicâ, ſed Medo-Perſicâ linguâ uſi videntur; vid. librum noſtrum *Handbuch der bibl. Alterthumskunde, I. B. 2. Th.* p. 33. Hubigantius librarium quendam, qui Jeremiae librum transſcriberet, Verſibus alternis hebraicis et chaldaicis exaratum, ut ſunt hodie nonnullae Pentateuchi membranae, de Verſu erraſſe conjicit, et Chaldaicum Verſum deſcripſiſſe, quum debuiſſet Hebraicum. Cui conjecturae vere Dathius in *Nott. critt.* ad h. l. obvertit, dormitaſſe librarium illum oportere, qui non intellexerit ſeſe Chaldaice integrum Verſum deſcripſiſſe, quem Hebraice ſcribere vellet. Majori veri ſpecie ſeſe commendat quod in medium attulit Venema: „Quum nusquam Chaldaica lingua aliquid exprimat Jeremias, ne quidem in epiſtola ad exſules Cap. XXIX, ſeries quoque ſermonis manifeſte per haec verba intercipiatur, eaque non tantum parentheſeos ſpeciem prae ſe ferant, verum et inſtructionem ad praeſentes, inter Chaldaeos degentes, redoleant; non ſine ratione, aut temere, ſtatueretur, additamentum eſſe ab alia manu, tempore morae in exilio, profectum. Nec exemplo careret. Utique in libris Moſaicis et Hiſtoricis V. T. paſſim a doctis hujusmodi additamenta admittuntur, in Pſalmis quoque a nonnullis, et poſtea XXV, 13. in hoc ipſo libro ſeſe tale quid offerret. Sed nihil deſinio.“ Mirum praeterea foret, ſi formulam, qua uti poſſent Hebraei inter Chaldaeos verſantes, praeſcribere voluiſſet propheta, eum et ſua ipſius verba, initio Verſus, Chaldaice ſcripſiſſe. Hensleros hunc Verſum non quidem Jeremiae adjudicat; ſed Hebraice ab eo poſt Verſum 9. ſcriptum exiſtimat, quem quispiam inter Chaldaeos degens, in eorum linguam ſuum in uſum transtulerit, ex ejus

ejus codice Verſum hunc translatum, ſed caſu loco ſuo motum, in alios codices tranſiiſſe. Quidquid de hoc Commate ſtatuas, illud jam in eo codice, quo Graecus Alexandrinus interpres eſt uſus, Verſum 12. proxime praeceſſiſſe certum eſt. יֹאבְדוּ poteſt vel *pereant,* vel *peribunt* reddi. אֵלֶּה „*Hi,* emphatica reaſſumtio ſubjecti, q. d. *qui coelum et terram non fecerunt — hi,* inquam, *peribunt.* Hanc enim expoſitionem juvant Accentus. Alii: *hisce* ſ. *ex his,* ſcil. terra et quae ſub coelo ſunt, quaſi porrecta manu vates coelum terramque monſtraſſet." C. B. Michaelis. Ita Graecus Alexandrinus: *καὶ ὑποκάτωθεν τοῦ οὐρανοῦ τούτου.* Venema אֵלֶּה refert ad אֱלָהַיָּא, *illi ipſi dii.* Sed addit: „Poteſt, aliis punctis ſuppoſitis, legi אֱלֹהַּ *Deus,* et cum Verſu ſequenti connecti, quod ſeſe eo commendat, quod ceteroquin *ſubjecti* mentio Vs. 12. deficeret, et recepta vox vix locum aut ſenſum habeat commodum. Uteretur autem אֱלֹהַּ in ſingulari, ut opponeret אֱלֹהִים *diis* modo memoratis."

12. Chaldaeus interpres huic Verſui haec praemittit: *Ita vero dicetis: nos colimus eum,* qui fecit terram rel. Ceterum qui ſequuntur Verſus 12—16. totidem verbis repetitos legimus infra LI, 15—19. loco minus commodo. Quod ipſum, praeter alia in Prolegomenis §. V. p. 18. ſeqq. allata, argumento eſt, ordinem ſingularum hujus libri partium turbatum eſſe. Ad נֹטֶה שָׁמַיִם *expandit coelos* cf. Jeſaj. XL, 22.

13. „Verba לְקוֹל תִּתּוֹ הֲמוֹן מַיִם בַּשָּׁמַיִם dupliciter exponi poſſunt. Primum ita: *ad vocem dationis ejus multitudo aquarum eſt in coelis,* i. e. nullam habere poſſunt homines pluviam, niſi Deo dante; ſimul ac dat (*ad vocem dationis ejus*), ſtatim multitudo aquarum in coelis reperitur. Nihil obeſt huic interpretationi, niſi quod תִּתּוֹ non habeat accentum majorem diſtinctivum, quodque cum rerum ordine non ſatis convenit, quod primum dicatur eſſe multitudo aquarum in coelis, deinde,

efferri

efferri vapores e terra. Nam secundum naturae ordinem prius elevantur vapores, deinde oritur pluvia. Utrumque obstaculum tollitur secundo interpretandi modo, nempe si vertamus: *ad vocem dandi ipsum*, i. e. qua dat, vel ponit, *multitudinem aquarum in coelis, ascendere facit vapores ab extremitate terrae;* tum Vau in וַיַּעֲלֶה non erit copulativum, sed illativum, seu consecutivum. Sensus erit: eo ipso quod vocem suam edit, qua multitudinem aquarum in coelis ponat, vel, simulac jubet multitudinem aquarum in coelis esse, elevantur vapores e terra, unde multitudo aquarum in coelis oriatur. Id mihi simplicissimum et constructioni Hebraeae convenientissimum videtur." Ludov. de Dieu. Verum recte monet Schnurrerus, voces לְקוֹל תִּתּוֹ posse nullo modo significare *cum vocem edit;* id hebraice לְתֵת קוֹלוֹ dicendum fuisse. Ipse vertit hoc modo: *ad vocem*, i. e. tonitru, est *dare ejus multitudinem aquae coelestis*, pluviae, h. e. tonandum si fit, efficit, ut praesto sint nubes aqua graves, ut תִּתּוֹ idem sit ac Verbum finitum נָתַן, quemadmodum mox dicitur בְּרָקִים לַמָּטָר עָשָׂה, facit ut cum pluvia sint conjuncta fulmina. Sic Vulgatus locum intellexisse videtur, qui vertit: *ad vocem suam dat multitudinem aquarum in coelo.*" Mihi tamen omnino simplicius videtur, verba לְקוֹל תִּתּוֹ vertere *ad vocem dationis ejus* (quod et accentus poscunt), easque sic intelligere: simul ac vocem edit et jubet, praesto est multitudo aquarum, ut nomen קוֹל *vocandi* et *jubendi* (non *tonandi*) significatum habeat. Nec, quod Lud. de Dieu huic interpretationi opponit, non convenire ordini naturae, ut *pluviae* prius mentio fiat, deinde *vaporum*, me impedit, quo minus illam adsciscam. Neque enim de pluvia in terram demissa prius Versus membrum agit, sed de aquis superioribus (Genes. I, 7.) colligendis et cogendis, ut pluviae in modum ad inferiora haec loca demittantur. Alium pluvias generandi modum commemorat secundum membrum, וַיַּעֲלֶה נְשִׂאִים מִקְצֵה אָרֶץ *facitque ascendere vapores*

res e fine terrae, cf. not. ad Pſ. CXXXV, 7., ubi et haec ipſa verba habentur, et cetera, quae deinceps in hoc Verſu ſequuntur.

14. Verba נִבְעַר כָּל־אָדָם מִדַּעַת complures reddunt: *obbrutuit omnis homo a ſciendo*, i. e. quo minus cognoſcat ſapientiam, מִן praefixo privative ſumto. Sed Lud. de Dieu: „*obbruteſcit omnis homo ex ſcientia*, i. e. ex eo ipſo, quod magna ſcientia ſe egiſſe arbitratur, ſtultus fit. Poſterius membrum, הֹבִישׁ כָּל־צוֹרֵף מִפָּסֶל *erubescit omnis aurifaber ex ſculptili,* explicat prius, cum ſculptile ſcite et artificioſe eſt fabreſactum, gratulantur ſibi ſuam ſcientiam et ſapientiam; at ex ea ſcientia obbrutoſcunt magis et ſcite adornato ſculptili neceſſe eſt erubeſcat faber, *Φάσκοντες εἶναι σοφοὶ, ἐμωράνθησαν*, ut loquitur Apoſtolus Rom. I, 22.; vel מִן hic ſignificat *propter*, ut ſupra Vs. 7.“ כִּי שֶׁקֶר נִסְכּוֹ *Nam mendacium*, figmentum, cui nil veri ineſt, eſt *fuſile ejus*, fuſum ejus idolum. וְלֹא־רוּחַ בָּם *Nec halitus*, vita (ut nomen hebraeum et Pſ. XXXI, 16. Coh. XII, 7. Zach. XII, 1.) *in iis* eſt.

15. מַעֲשֵׂה תַּעְתֻּעִים alii *opus deceptionum*, i. e. ad decipiendum comparatum, alii *opus ludificationum*, i. e. ludibriis dignum, interpretantur. Poſteriore modo Graecus Alexandrinus: *ἐμπεπαιγμένα*, Hieronymus: *opus riſu dignum*, Equidem a Verbo תָּעָה *erravit* mallem *opus errorum*, i. e. quod errori originem debet, interpretari. בְּעֵת פְּקֻדָּתָם יֹאבֵדוּ *Tempore animadverſionis eorum*, i. e. quo tempore in eorum cultores animadvertet Deus, *peribunt* et ipſa.

16. חֵלֶק יַעֲקֹב *Portio Jacobi*, „i. e. ille Deus, qui Jacobo colendus tanquam felici ſorte datus eſt, Phraſis petita eſt ex Deut. IV, 19. 20., ubi reliquis gentibus *diviſiſſe* (חָלַק) Deus dicitur ſolem, lunam et ſidera, quae pro diis colant, ſolum ſibi populum Iſraeliticum reſervans.“

vans." J. D. Michaelis. וְיִשְׂרָאֵל שֵׁבֶט נַחֲלָתוֹ *Et Israelem quod attinet*, (est enim Nominativus absolutus, quod ostendit accentus *Sakephkaton*, ei voci appositus), est ille *virga* s. *pertica hereditatis ejus*, i. e. portio haereditaria, veluti pertica dimensa, cf. not. ad Deut. XXXII, 9. Ps. LXXXV, 2., ubi eadem phrasis.

VI.

VI.

Judaeos exilio mulctandos esse praenuntiat.

Cap. X, 17—25.

ARGUMENTUM.

Jubentur Hierosolymitani ad exilium, patria sede mutandum se parare (Vs. 17. 18.). Quam funestam suam sortem ita lugent, ut quicquid ipsis acciderit malorum illud se suis sceleribus promeritos esse fateantur (Vs. 19—23.). Orant vero Deum, velit in castigando modum tenere, nec irae indulgere (Vs. 24.); irae autem satisfaciendum si sit, sumat sibi, in quas saeviat, barbaras gentes ab se prorsus alienas (Vs. 25.).

Pericopam hanc illi tempori assignandam esse, quo Hierosolyma, regnante Jechonia, a Nebucadnezare obsessa fuit (2 Reg. XXIV, 10. seqq.), suadet illius exordium; cf. not. ad Vs. 17.). Eichhorn (*Bibl. Proph.* T. II. p. 175.), quem sequitur Dahler (*Jérémie* p. 175.), hoc oraculum editum statuit sub Jojakimo, cum nuncius esset Hierosolymam allatus de Chaldaico exercitu contra Urbem admoto, qui regem ob defectionem a Nebucadnezare castigaret. Verum adversus Jojakimum Nebucadnezar, postquam ejus defectionem accepisset, nonnisi turmas Chaldaeorum, quae in iis locis commorabantur, Syrorum, Moabitarum et Ammonitarum, quae Judaeam grassando popula-

pularentur, misit (2 Reg. XXIV, 1. 2.), nequaquam vero Urbem cum exercitu obsidione clausit. Legimus quidem Dan. I, 1. Nebucadnezarem anno Jojakimi tertio Hierosolymam obsedisse, et regem una cum parte vasorum Templi secum Babylonem abduxisse, et 2 Parall. XXXVI, 6. Jojakimus catenis ferreis vinctus Babylonem deportatus narratur. Verum seriores hi libri, ubi antiquiori Regum historiae repugnant, nihil habent fidei auctoritatisque; cf. *Prolegomm.* ad hunc Jeremiae librum p. 8. Not. 8.

X, 17. Collige, o Tu, quae obsidione es cincta,
18. res tuas, e terra migratura. Nam sic dicit
Jova: En! ego hac vice hujus terrae incolas
funda projiciam, et ita coarctabo, ut
19. apprehendantur. Hei mihi! quam sum
fractus! quam atrox vulnus habeo! Quem
quidem morbum mihi ferendum esse ag-
20. nosco. Meum tentorium est perditum, ab-
ruptis omnibus meis funibus: mei nati a
me digressi non adsunt; non jam est, qui
meum tabernaculum intendat et vela erigat.
21. Insaniunt enim pastores, non studiosi Jovae;
ideoque quum non sapiant, omnis eorum
22. dispersa est pastio. Auditur fama: ecce!
adventat, ingensque ex septentrionali terra
motus advenit, ad Judaeas urbes in vastitatem,
draconum mansionem redigendas.
23. Scio, Jova, non esse penes hominem ipsius
viam, non esse penes mortales, ingredi, et
24. suum firmare gressum. Castiga me, Jova,
sed cum moderatione, non irate, ne me
di-

diminuas. Effunde iram tuam in gentes 25.
ignaras tui, in nationes, quae nomen tuum non invocant, eae enim Jacobaeos consumunt et conficiunt, eorumque sedem pervastant.

N O T A E.

Cap. X, 17. Verba אִסְפִּי מֵאֶרֶץ כִּנְעָתֵךְ bene reddidit Graecus Alexandrinus *συνάγαγε ἔξωθεν τὴν ὑπόστασίν σου*, et Chaldaeus: כַּנְּשִׁי מֵאַרְעָא סְחוֹרְתֵיךְ *congrega e terra mercimonia tua.* כִּנְעָה enim, uti recte observavit N. G. Schroederus, referente Everh. Scheidio, in *Thesibus philologg.* p. 38., „collato Arabico كنع *contrahere, constipare*, proprie *contractio*, vel *constipatio*, dicitur *fascis*, seu *fasciculus*, in quem *colligare* et undique *collecta constipare* solent bona, vasa et suppellectilia sua, qui longinquum iter sunt ingressuri. Atque ea phrasis videtur fuisse proverbialis, *colligere fasciculum suum* pro: praeparare se ad iter, suis rebus undique collectis et convasatis.“ Est vero in verbis אִסְפִּי מֵאֶרֶץ כִּנְעָתֵךְ constructio quae dicitur praegnans, in qua Verbum aliud intelligi debet, hoc sensu: convasa res tuas, et migra e patria. Hieronymus vertit: *congrega de terra confusionem tuam*, nomine כִּנְעָתֵךְ *humiliationis* significatu accepto a כָּנַע *humilis fuit.* Unde et Syrus ܡܘܟܟܟܝ *ignominiam tuam* vertit. Eodem modo R. Menachem, Jarchio commemoratus, verba ita exposuit: abjice et demitte magis, quam est humilitas terrae, demissionem tuam, o Hierosolyma, quae nunc habitas in munitione. Quae interpretatio, quam dura sit, et sententia, quam parum commoda, non est, quod demonstremus. Alias minus pro-

 ban-

bandas interpretationes vid. in J. D. MICHAELIS *Supplemm.* p. 1310. Ceterum Imperativo et Suffixo utitur vates generis feminei, quod urbem Hierosolymitanam alloquitur, sequitur enim: יוֹשֶׁבֶת בַּמָּצוֹר o tu *quae sedes in obsidione.* Pro יוֹשֶׁבֶת, quod in margine legi praecipitur, in textu est יוֹשַׁבְתִּי, cum Jod paragogico, de quo conf. GESENII *Lehrgeb.* p. 547. בַּמָּצוֹר plures vertunt *in munitione,* ut עָרֵי מָצוֹר 2 Chron. VIII, 5. sunt *urbes munitae.* Ita Chaldaeus, qui בְּחוּקְפָּא posuit, et HIERONYMUS in Commentario: „Praecipitur Jerusalem, ut quidquid foris habet substantiae in urbem munitissimam congreget, et longae obsidioni paret alimenta." Sed praestat מָצוֹר h. l. *obsidionis* significatu capere, quem et infra XIX, 9. LII, 5. obtinet. Nam quae sequuntur urbem ad extrema redactam et mox ab hostibus occupandam pingunt, incolis in exilium abducendis. Cuinam vero regni Judaici tempori haec conveniant, haud admodum inventu difficile videtur. Mortuo Jojakimo, qui a Nebucadnezare defecerat, quum eo, uti credibile est, inconsulto et invito, regnum occupasset Jechonias, Jojakimi filius, aegre id ferens Nebucadnezar exercitum Judaeam misit, qui urbem Hierosolymam obsidione cinxit (2 Reg. XXIV, 10.). Postquam autem et ipse Nebucadnezar advenerat, Jechonias rex cum matre, servis, ducibus, eunuchis egressus, potestati ejus se permisit. Chaldaeus vero, metuens haud dubie, ne Jechonias patris perfidiam imitaretur, et ipsum cum familia regia regnique proceribus, et praecipuos Hierosolymae incolas, numero IX millium, Babylonem captivos abduxit, 2 Reg. XXIV, 14. 15. 16. Cur vero hoc quod prae manibus habemus oraculum tempori primae a Nebucadnezare factae obsidionis adsignemus, rationem reddemus in not. ad Vs. 18. ad verba בַּפַּעַם הַזֹּאת.

18. הִנְנִי קוֹלֵעַ אֶת־יוֹשְׁבֵי הָאָרֶץ *En! ego funda projiciam incolas hujus terrae,* scil. e terra sua in exilium. HIERONYMUS: *ecce ego longe projiciam habitatores terrae.* Chaldaeus: *sicut projiciunt lapidem fundae,*

dae, ſic diſpergam habitatores terrae. Simili imagine ad deſcribendam violentiam, qua abripiendi ſint Judaei captivi in remotiſſimas terras, utitur Jeſajas XXII, 17. 18.: *Jova magna vi te projiciet, convolutum inſtar pilae te gyrabit in regionem ſpatioſam.* Quod addit בַּפַּעַם הַזֹּאת *hac vice* eo reſpicere videtur, quod quum Jojakimus defeciſſet a Nebucadnezare, is ſatis haberet, Chaldaeorum aliarumque gentium vicinarum turmas concitare, quae Judaeam vaſtarent, incolis vero illas terram privaſſe, in Regum certe hiſtoria (2 Reg. XXIV, 2. ſeqq.), quam ſolam genuinum hiſtoriae illorum temporum fontem agnoſcimus (vid. *Prolegg.* p. 8. not. 8.), non legimus. Cum vero Nebucadnezar denuo irritatus a Jechonia cum exercitu Judaeam invaderet, omnino metuendum erat, ne graviores poenas a populo Judaico expeteret. וַהֲצֵרֹתִי לָהֶם *Et anguſtiam faciam iis,* coarctabo eos in locum anguſtum, לְמַעַן יִמְצָאוּ *ut inveniant*, deprehendant, ſcil. apprehendentes eos, i. e. ut apprehendantur. Similitudo videtur a venatoribus petita, qui feras beſtias in locum anguſtum cogunt, ut facilius eas capiant. Ita Hieronymus: *et tribulabo eos, ut inveniantur,* et in Commentario: „Sic eos obſideri faciam, ſicque tribulabo et coanguſtabo, ut omnes in urbe reperiantur, et effugere nequeant malum." Alii aliter. Chaldaeus: אֲעִיק לְהוֹן בְּדִיל דִיקַבְּלוּן פֻּרְעֲנוּת חוֹבֵיהוֹן *coarctabo eos, ut accipiant poenam peccatorum ſuorum.* Grotius: *affligam eos, ut inveniant,* nempe, me non eſſe mendacem in iis, quae per prophetas dixi. J. D. Michaelis verba ſic vertit: *conſtringam eos, ut ad metam perveniant,* additis, quo magis pateret ſententia, his: „convolvimus in orbem, quae longius vibrare volumus, ſic ergo et conſtringet conglomerabitque Deus incolas terrae, ut Babylonem usque vibrentur. Vid. de verbo מָצָא Levit. IX, 12. Num. XI, 22. Jeſaj. X, 10." Quibus locis tamen מָצָא tamen haudquaquam *ad metam pervenire* ſignificat, ut inſpicienti illa patebit. Schnurrerus ad הֲצֵרֹתִי ſubaudiens צַר locum ſic interpretatur: *anxie-*

tatem

tatem illis faciam, tantam, quae sufficiat. Sententia minus commoda.

19. Inducitur populus Judaicus suam calamitatem lugens. בְּחֵלָה מַכָּתִי *Morbosum* est *vulnus meum,* i. e. aegerrimum, desperatum; plaga atrocissimi generis, quae sanationem non admittit, ut infra XIV, 17. XXX, 12. — וַאֲנִי אָמַרְתִּי *Ego* vero *dico* mecum, cogito, agnoscens, justas me poenas luere, אַךְ־זֶה חֳלִי *certe hic* est *meus morbus* s. *dolor* gravis quidem, sed quem ipse mihimet peccatis meis concitavi, וְאֶשָּׂאֶנּוּ *sed feram eum* patienter; cf. Baruch. I, 13. 15. II, 5. 6. 7. Minus necesse videtur, cum Schnurrero ante וַאֲנִי אָמַרְתִּי subaudire formulam אָז תֹּאמְרִי *tunc dices,* tunc haec tua erit querimonia: incredibilis est, quem nunc perfero, dolor, et multo quam antehac putaram intolerabilior. Pro חֳלִי I. D. Michaelis in *Biblioth. Orient.* T. XV. p. 170. probante Schleusnero cum suffixo חָלְיִי vel חֹלִי *dolor meus* legendum putat, haud memor, nomina terminationis Jod suffixo primae personae accedente, ne duo Jod concurrant, eorum unum abjicere, ut גּוֹי *populus meus,* Zeph. II, 9.; vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 212. not. 1. Schnurrerus suffixum primae personae in חָלִי, quod Hieronymus, Syrus et Chaldaeus exprimunt, non agnoscit, „rectissime,“ inquiens, „nomen positum est nudum, pressius enim vertenda verba sic: *utique hunc dolorem quod attinet, perferam eundem.*“

20. אָהֳלִי שֻׁדָּד וְכָל־מֵיתָרַי נִתָּקוּ *Tentorium meum est destructum, et funes mei,* i. e. funes tendendo et firmando tentorio meo *sunt avulsi.* Sensum recte expressit Chaldaeus: אַרְעִי חֲרִיבַת וְכָל קִרְוַי אִתְבְּזִיזָה *terra mea vastata est, et urbes meae omnes direptae sunt.* בָּנַי יְצָאֻנִי *Filii mei exierunt a me,* i. e. עַמִּי גָּלָה *populus meus migravit* in exilium, ut Chaldaeus reddidit. יְצָאֻנִי Kimchi positum dixit pro יָצְאוּ מִמֶּנִּי, ut infra XX, 7. legitur חֲזַקְתַּנִי pro חָזַקְתָּ מִמֶּנִּי *fortior es me.* Graecus Alexandrinus pro hisce hebraicis haec posuit: *οἱ υἱοί μου καὶ*

καὶ πρόβατά μου οὐκ εἰσιν. Legit וְצֹאנִי, et neglexit copulam ante אֵינָם. אֵין־נֹטֶה עוֹד אָהֳלִי *Non est, qui extendat ultra tentorium meum,* „non est, qui me instauret, et murorum meorum jaciat fundamenta, qui ad solum usque prostrati sunt." HIERONYMUS.

21. הָרֹעִים *Pastores* Chaldaeus recte מַלְכַּיָא *reges* interpretatus est, et in altero hemistichio מַרְעִיתָם, proprie *pascuum eorum,* i. e. grex, quem pastum ducunt, est populus, quem regnat. לֹא הִשְׂכִּילוּ JARCHI recte interpretatur לא יצליחו במלכותם *non prospere egerunt in regno suo.* Verbum הִשְׂכִּיל hic valet *prospere succedere,* ut Prov. XVII, 8. Sed *intelligendi, animum advertendi* significatu verbum הִשְׂכִּיל hic vertit HIERONYMUS, qui Versum ita exposuit: „Per translationem *pastorum* atque *ovium* principum culpa et dispersio populi describitur. Quia enim principes stulte egerunt, nec quaesierunt Dominum, quem toto debuerunt corde perquirere, idcirco et mala venientia non viderunt, sive non intellexerunt Dominum, et omnis multitudo Jerusalem huc illucque dispersa est."

22. קוֹל שְׁמוּעָה *Vox auditionis* s. *rumoris* hic est: nuncius de adventante Chaldaeorum exercitu. De מְעוֹן תַּנִּים vid. not. ad Jesaj. XIII, 22.

23. יָדַעְתִּי יְהוָה כִּי לֹא לָאָדָם דַּרְכּוֹ *Scio, Jova, non esse homini,* i. e. penes hominem, in hominis potestate, *viam ejus,* לֹא לְאִישׁ הֹלֵךְ *nec esse viro ambulanti* scil. *viam suam,* וְהָכִין אֶת־צַעֲדוֹ *et firmare gressum suum,* coll. Prov. XVI, 9. *Cor hominis supputat viam suam,* וַיהוָה יָכִין צַעֲדוֹ *sed Jova firmabit gressum ejus,* a Jova pendet felix moliminum humanorum successus. Singulae hujus Versus voces et phrases etsi nihil habeant difficultatis, tamen, quia sententia haec abrupta est, trahitur in diversas partes. Sunt, qui vatem hoc dicere existiment: scimus, o Deus! non ab hominis arbitrio pendere, quid velit agere, quid omittere; sed a te puniri, si quid agat, quod tuae voluntati contrarium est. Quum nos itaque

nunc

nunc ob inobedientiam nostram a te puniamur, petimus abs te, ut nos modice castiges, Vs. sequ. Ita fere Leistius, nisi quod pro יָדַעְתִּי personam secundam יָדַעְתָּ legere mallet, hoc sensu: Ipse scis, o Jova, in arbitrio hominis, qui propter recti inscitiam, animi perturbationes, malorumque irritamenta haud a se pendeat, nequaquam esse, quem vitae tramitem sequatur; quodsi igitur erraverim, ideoque a te puniendus sim, infirmitatis meae ratione habita, modice me punias. Sed primam personam, יָדַעְתִּי, exhibent omnes codices et versiones antiquae. Praeterea *gressus hominis firmare* Deus dicitur, cum ei felices successus dat, ut e loco Proverbiorum, quem supra attulimus, et e Ps. XXXVII, 23. patet. Quare assentior Schnurrero, hunc Versum sic exponenti: agnosco neminem mortalium perficere quidquam posse, nisi te volente propitioque, nec hostes, nisi te moderante et opitulante, potuisse patria potiri, divinitus igitur immissam esse, quam luo, poenam. Similiter Hieronymus: „Sive hic sensus est: quod a Babyloniis sustinemus, non est eorum fortitudinis, sed nostri meriti, et indignationis tuae."

24. בְּמִשְׁפָּט *Cum jure*, i. e. non justo severius, justi et aequi fines non excedens, בְּדִין חָשׂוּךְ *cum judicio minuto*, i. e. moderato, tolerabili. אַל־בְּאַפְּךָ *Ne in ira tua*, nam qui irati castigant, modum fere excedunt. פֶּן־תַּמְעִטֵנִי *Ne diminuas me*, donec tandem penitus consumar.

25. Hic Versus facit Psalmi LXXIX, Versum 6. et 7., ad quem loc. cf. not. Sensum Schnurrerus bene in hunc modum expressit: Irae satisfaciendum si sit, sumas tibi, in quas saevire possis, barbaras gentes, abs te prorsus alienas, atque eo magis etiam deprimendas, quod insolentiores factae populum tuo nomini sacrum oppresserint ac vexaverint miserrime.

VII.

VII.

In pristinam superstitionem revolutis, relicto Jovae cultu, poenas denunciat.

Cap. XI.

ARGUMENTUM.

Adhortatur vates jussu divino Judaeos ad servandum foedus, quod cum eorum majoribus Aegypto egressis sanciverat Jova, propositis horrendis diris in eos, qui illud sint violaturi (Vs. 1—8.). Tum invehitur in impiorum hominum ex Judaeis et Hierosolymitanis factionem, qui rupto illo foedere et relicto Jovae cultu aliarum gentium superstitiones sectentur (Vs. 9. 10.), quibus promeritas scelerum poenas denunciat, nullis avertendas deprecationibus (Vs. 11—17.). Denique conqueritur de insidiis, quas ob malorum denunciationes, jussu divino a se prolatas, vitae suae Anathothitae struerent (Vs. 18—21.), a quibus tamen eum se vindicaturum Jova spondet, a suis adversariis severas poenas repetiturus (Vs. 22. 23.).

Quam hoc Capite legimus concionem habitam fuisse post repertum anno decimo octavo Josiae librum legis (2 Reg. XXII, 3. seqq.), instauratumque solenni ritu a pio rege foedus populum inter et Jovam (2 Reg. XXIII, 3.), haud obscure arguit ad foedus illud religiose servandum adhor-

adhortatio, qua haecce concio orditur, Vs. 3. fequ. Etfi vero Jofias rex religiofiffimus effet, populus tamen, majori ex parte, animo minus fincero ad Jovae cultum reverfus, pronus ad priftinas fuperftitiones manfit. Atque Jofia quidem fuperftite in regia faltem urbe haud videntur, metu, ne indignationem regis incurrerent, ad impia facra palam et publice redire aufi effe. Sed fuiffe Hierofolymis plures, qui clam et in occulto fictitiis diis facra facerent, colligi poteft ex iis, quae Vs. 9. 10. dicuntur. In ceteris vero Judaeae urbibus propalam, omni fepofita verecundia, peregrinis diis litatum fuiffe credibile eft (Vs. 12. 13.), praefertim ultimo Jofiae anno, cum regem pium bellum cum rege Aegyptio imprudenter fufceptum (2 Reg. XXIII, 29.) a facrorum cura avocaret. Huic igitur tempori hanc pericopam affignandam arbitramur. Ad feriora Zedekiae regnare incipientis tempora illam refert Eichhornius (*die bibl. Propheten*, Vol. II. p. 214. feqq.), quem fequitur Dahler (*Jerémie* p. 192.), hoc maxime permotus argumento, quod Verfus 16. 17. ad infignem illam cladem refpicere exiftimat, quam brevi antea a Nebucadnezare, abductis una cum rege regiaque familia, IX millibus hominum, Judaea accepiffet. (2 Reg. XXIV, 13. feqq.). Verum Verfus illos non praeterita mala commemorare, fed futura minari, orationis tenor fatis prodit.

XI, 1. Hic eft fermo, qui ad Jeremiam habitus
2. eft in hunc modum: Audite verba foederis
illius, et Judaeos ac Hierofolymitanos hisce
3. verbis alloquimini. Sic dicit Jova, Deus
Israelitarum: exsecrabilis homo, qui illius
4. foederis dictis non obediverit. Quo ego
majoribus veftris (cum quidem eos ex Aegypti fornace ferrea eduxissem) praecepi
hunc

hunc in modum: eſtote mihi dicto audien-
tes, et quaecunque vobis praecipio facite,
et vos mihi populus, et ego vobis Deus
ero, ut praeſtem, quod majoribus veſtris 5.
jurejurando promiſi, daturum me iis lacte
melleque ſcatentem terram, ſicut hodie vi-
detis. Et ego reſpondens; ita eſto, inquam,
Jova. Et Jova: pronuncia, inquit me ad- 6.
loquens, haec omnia verba in oppidis Ju-
daeae, perque vicos Hieroſolymae, ita di-
cens: obedite ejus foederis dictis, eaque
exſequimini. Quum enim ego majores ve- 7.
ſtros, ex quo eos ex Aegypto eduxi, ad hunc
usque diem vigilanter monere perſeverave-
rim, ut mihi dicto audientes eſſent, non 8.
obediverunt, nec aurem praebuerunt, ſed
ſui quisque animi perditae libidini obſe-
quuti ſunt. Itaque ego invexi eis omnia in
illo foedere contenta, quoniam quod a me
juſſi erant facere non feciſſent. Porro Jova 9.
mihi haec dixit: deprehenſa eſt conjuratio
in Judaeis et Hieroſolymitanis: redierunt 10.
ad majorum ſuorum priscorum delicta, qui
meis dictis obedire recuſarunt, ſequutique
ſunt alienos deos colendo eos; violarunt
Iſraelitica Judaeaque domus foedus, quod
ego cum eorum majoribus percuſſeram.
Itaque ſic dicit Jova: ego in eos malum 11.
inveham, ex quo emergere non poterunt,
nec eos invocantes exaudiam. ibuntque 12.
Ju-

Judaeae civitates et Hieroſolymitani invoca-
tum eos, quibus ſuffiunt, deos, qui eos pe-
riculoſo eorum tempore non tuebuntur.
13. Nam quot habetis oppida, Judaei, tot ha-
betis deos; quot ſunt Hieroſolymae com-
pita, tot pudendas aras poſuiſtis, aras ad
14. ſuffiendum Baali. Tu vero noli pro iſto
orare populo, aut oratione precibusve uti:
nec enim exaudiam tum, cum invocabunt
15. me ſuis in malis. Quid meo dilecto eſt in
aede mea, quum eam ſcelere inquinatam
reddant adeo multi? Faceſſent a te ſacrae
carnes, quando malum tuum ingruet tremore
16. corripieris. Pulchre frondentem decenterque
fructuoſam oleam te nominavit Jova, cujus
folia magno ſonitus ſtrepitu comburet ignis,
17. cujusque rami frangentur. Atque idem qui te
plantavit, Jova, agminum Deus, in te malum
decernit, ob Iſraeliticae Judaeaeque domus
ſcelus, quo committendo me irritant, dum
18. Baali ſuffiunt. Jova me edocuit, ut intelli-
gerem. — Tunc oſtendiſti mihi eorum fa-
19. cinora! Atque equidem ſimilis eram man-
suetae ovi, quae ad caedem ducitur, nec
intelligebam eos in me talia moliri: cor-
rumpamus arborem cum ſuo cibo, eumque
ex viventium terris exſcindamus, ne nomen
20. ejus memoretur amplius. At, o Jova, ag-
minum Deus, juſte judex, renum cordisque
explorator! videbo tuam de illis ultionem,
quan-

quandoquidem Tibi meam patefeci caufam.
Itaque fic dicit Jova in Anathotenfes, qui 21.
tibi necem machinantur, vetantes te Jovae
nomine vaticinari, nifi velis eorum mani-
bus mori. Ideo fic dicit Jova, agminum 22.
Deus: en! ego fic in eos animadvertam,
ut eorum et juvenes ferro, et filii filiaeque
fame moriantur, nec ex eis fuperfint reli- 23.
quiae: tantum mali importabo Anathotenfi-
bus anno eorum fupplicii.

N O T A E.

Cap. XI, 2. שִׁמְעוּ אֶת־דִּבְרֵי הַבְּרִית הַזֹּאת *Audite verba foederis hujus*, fcil. quod cum veftris majoribus inii (Vs. 4.), quodque Jofias, reperto nuper libro legis, renovavit, 2 Reg. XXII, 8. feqq. XXIII, 3. Ceterum verbis hisce et iis, quae fequuntur, וְדִבַּרְתָּם אֶל־אִישׁ יְהוּדָה, *et loquamini ad virum*, i. e. viros *Judaeae*, J. D. Michaëlis facerdotes compellari exiftimat; Schleusnerus autem ftatuit, fcribendum effe שְׁמַעָה et דִּבַּרְתָּם *et loqueris ea*, quod Dathio quoque vifum eft, neganti, quae ad Jeremiam folum dicta fint, referri poffe ad alios complures. Neque tamen adhibita etiam lectione שְׁמַעָה et דִּבַּרְתָּם rem omnem expeditam effe, vere obfervat Schnurrerus. „Etenim quae fequuntur Verfu 3. haud dubie innuunt, illud agi, ut aliis, iisque levioribus fegnioribusque hominibus, capita legis objiceret propheta, non ut ipfe ad fuum animum ea revocaret, qui fane illorum ignarus aut immemor putari non poffet. Sed in oratione ipfa indicium adeft haud obfcurum, nonnihil a legentibus cogitando adjiciendum effe, quod verbis expreffum haud fit. Etenim וְאָמַרְתָּ Vs. 3., quod non poteft non effe futuri temporis, quum

quum non habeat, unde pendeat, praemiſſum aliud Verbum ejusdem temporis; conſequitur, haud temere ſumi, formulam כֹּה־תֹאמַר אֲלֵיהֶם ſermoni, qui a Jova proficiſcitur, mente praefigendam. Senſus autem Verſus ſecundi eſt hic: percipite, vos Judaei, vosque Hieroſolymitani, verba hujus foederis, atque alii alios commonefacite, et ad ea obſervanda excitate.“ וְדִבַּרְתֶּם et C. B. Michaelis exponit: alii aliis referte quae ex me audiviſtis. Kimchi vero ad prophetas veros directum eſſe dicit, quibus injungat Jova, ut quae ab ipſo accepiſſent aliis annunciarent.

3. אָרוּר הָאִישׁ וגו׳ *Exſecrabilis vir* rel. Sunt verba Legis foedere ſancitae in illa ipſa pericopa Deut. XXVII, 26., quam Joſias exhorruit, 2 Reg. XXII, 11. ſeqq. Ea hic repetit inculcatque Judaeis, ut metu perculſi ad frugem redeant. Voce בְּרִית *foederis* Jovam inter et populum Hebraeum initi ſaepe deſignatur Lex mutua pactione inter utramque partem ſancita; cf. not. ad Ezech. XVI, 60.

4. אֲשֶׁר צִוִּיתִי אֶת־אֲבוֹתֵיכֶם *Quam* legem foedere ſancitam (Vs. 3.) *injunxi patribus veſtris.* בְּיוֹם *Die*, i. e. quo tempore. Neque enim eo ipſo, quo Aegypto egreſſi ſunt Hebraei, die, ſed quinguaginta dies poſtea, Lex promulgata eſt in monte Sinai. מִכּוּר הַבַּרְזֶל „*E fornace ferri*, in qua ferrum funditur aut tractatur, Ezech. XXII, 18. 20. 22., i. e. e duriſſima ſervitute et adflictione conf. Jeſaj. XLVIII, 10. Ergo כּוּר ſicut in Arabismo, ita et apud Hebraeos *fornacem* ſignificat, *ferrariam* quidem, ſed *non ferream*, ut interpretantur nonnulli.“ C. B. Michaelis. Cf. not. ad Deut. IV, 20. — וַעֲשִׂיתֶם אוֹתָם *et facite ea*, ſcil. אֶת־דִּבְרֵי הַבְּרִית *verba foederis*, Vs. 3.

5. Vos, inquit, meis praeceptis obedire volui, לְמַעַן הָקִים אֶת־הַשְּׁבוּעָה וגו׳ *ut ſtabilirem*, i. e. ſervare poſſim *jusjurandum*, quod juravi patribus veſtris, me iis daturum eſſe אֶרֶץ זָבַת חָלָב וּדְבָשׁ *terram manantem lacte et melle*, i. e. Cananaeam, quae ſaepius hac formula deſignatur, vid. not. ad Exod. III, 8. — כַּיּוֹם הַזֶּה *Sicut hoc die*

die fcil. videtis, quod et factum eft, ut Deut. II, 30. ubi cf. not. Quae fequuntur verba funt prophetae: אָמֵן יְהוָה *Fiat, ratum fit, o Jova.* Quae verba tamen in varium fenfum trahunt interpretes. HIERONYMUS: „Dixerat Dominus, juravi patribus veftris, daturum me eis terram lacte et melle manantem, ficut rebus ipfis hodie comprobatur. Propheta diligens populum fuum, occupat vocem Domini, et cupit vera effe, et in perpetuum permanere quae data funt. Unde ait: vere, Domine, implefti, quod pollicitus es, five fiat, Domine, hoc eft, femper maneat, quod dedifti." Similiter J. D. MICHAELIS: „Solita formula acceptationis foederis, fumta ex Deut. XVII, 15—26.; fed qua hic propheta bonam in partem uti, et proxime ad promiffionem terrae aeternum poffidendae refpondere videtur: *ratum hoc fit et perpetuum, o Deus!*" Equidem affentior JARCHIO, verbis אָמֵן יְהוָה annotanti: שיהא ארור *ut fit exfecrandus*, qui hoc foedus violarit, Vs. 3. Ita et SCHALOM HACCOHEN: „Confirmantis haec funt foedus et diras in eos qui illud violaverint, quafi dicat: ratum hoc fit, ut diris devoveatur, qui verba foederis illius non obfervaverit. Fuit enim hic veterum mos in icendis foederibus, ut, poftquam unus jurisjurandi formulam recitaffet, alter refponderet: *ita fit!* Quo modo jusjurandum et foedus confirmari folebat." In alia omnia abit JUNIUS, qui haec ita exponit: ego folus acquievi vocationi et mandato Dei ad pronunciandam doctrinam generalem legis, quod facerdotes praeftare tenebantur. „Sic," addit, „accipiendum effe, commonftrant ea, quae fequuntur Vs. 18. feqq., facerdotes non tantum recufaffe promulgationem foederis, fed periculum etiam Jeremiae intendiffe." Nec magis feliciter GROTIUS: „Id eft: faciam quod jubes, et collegas meos ad idem officium excitabo."

6. „Mandat Deus prophetae, ea, quae adhuc fummatim de foedere cum patribus dixerat, ita propalare, ut fententiam, quam ipfe juftam effe agnoverat, ad fui tem-

poris

poris Judaeos, ceu impios transgreſſores foederis divini adplicet.“ C. B. Michaelis.

7. הֵעֵד *Teſtes provocare contra aliquem* ſignificat, quorum adhibitis teſtimoniis is manifeſte convincatur neglecti officii, ut Deut. XXX, 19.; unde interdum, ut h. l. *cum ſeria conteſtatione adhortari*, proteſtando de ſua innocentia, ſi quid mali eveniat, et conteſtando mala graviſſima obventura, niſi obſequium praeſtetur dictis. Ita Deut. VIII, 19. dicitur de Moſe, conteſtante, Iſraelitas perituros eſſe, ſi alienos deos culturi eſſent. Cf. not. ad Pſ. L, 7. Hoc loco dicitur de Deo populum ſuum per prophetas cohortante. — הַשְׁכֵּם וְהָעֵד *Mane ſurgendo et conteſtando*, i. e. aſſidue et ſummo ſtudio adhortatus ſum, conf. de hac phraſi not. ſupra ad V, 8. p. 198. et VII, 13.

8. בִּשְׁרִירוּת לִבָּם הָרָע *In obſirmatione cordis ſui mali*, vid. not. ad III, 17. וָאָבִיא עֲלֵיהֶם אֶת־כָּל־דִּבְרֵי הַבְּרִית־הַזֹּאת *Et duxi contra eos omnia verba hujus foederis*, i. e. effeci, ut omnia illa mala, quae iis, qui foedus cum iis initum violaverint, minatus ſum, in eos irruerent. Chaldaeus haud male ſic expoſuit: *immiſi eis poenam propterea quod non ſuſceperunt verba foederis.* Jarchi: „*Induxi* in eos exſecrationes, quae pronuntiatae ſunt in foedere propterea, quae iis obſervanda injunxi, quae vero non obſervarunt.“ — „Pro וָאָבִיא *venire feci*, mallem legere וְאָבִיא, in Futuro, *venire faciam*, implebo minas, diris conſtabit eventus. Idem ſenſit Venema, non tamen videns, Punctis mutatis tantum hanc interpretationem poſſe locum habere. Sed recogitans, video Verſum 9. 10. 11. aptiorem eſſe conſuetae interpretationi. Patres poenas jam dederant a Moſe praedictas, et tamen poſteri ad eadem peccata revertuntur.“ J. D. Michaelis. Videtur vates decem tribuum deportationem reſpicere. Ceterum duo hi Verſus in Graeca Alexandrina verſione non habentur, eosque jam Hieronymi tempore deſideratos fuiſſe, ex hisce illius verbis patet:

patet: „Hucusque in Septuaginta non habetur, quodque ſequitur, *et non fecerunt*, ab eis poſitum eſt, et cum ſuperioris Capituli fine (Vs. 6) ſociatum, in quo ſcriptum eſt: *audite verba pacti hujus, et facite illa, et non fecerunt.*"

9. נִמְצָא קֶשֶׁר בְּאִישׁ יְהוּדָה וּבְיֹשְׁבֵי יְרוּשָׁלָםִ *Inventa eſt conjuratio in viro*, i. e. in viris *Judaeae, et in incolis Hieroſolymae.* קֶשֶׁר, quod proprie *colligationem* denotat, in V. T. libris conſtanter ſenſu malo de hominum malorum conſenſu, conſpiratione dicitur. Hieronymus: „Pro *conjuratione* quam nos juxta Symmachum interpretati ſumus, Aquila, et LXX. et Theodotio *συνδεσμὸν* transtulerunt, quam nos *colligationem* poſſumus dicere. Unde et Athalia, quum in Templo ſibi parari inſidias deprehendiſſet, eodem verbo loquuta eſt (2 Reg. XI, 14.): *conjuratio, conjuratio.* Proprie autem hoc verbo Scriptura abutitur, quando non ſubito fortuitoque peccato, ſed paratis inſidiis et conjuratione, tenditur ad delictum, et pari mente unoque ſtudio id agunt, ut Dei mandata contemnant." Quod vero hic dicitur, *inventam eſſe conjurationem*, haud obſcure indicat, vere obſervante Ghislerio, impiorum, de quibus hic ſermo eſt, ſecretiſſimam agendi rationem, et metum, ne detegerentur. „Hoc certe illud eſt, quod hic ſignificatum Jeremiae voluit Deus, viros Juda et habitatores Jeruſalem in ipſo tempore, quo ſub ſanctiſſimo Rege arctius in fide, veroque in cultu, et in legis obſervantia apparebant ut ſuo peculiari Deo obſtricti; occulte nihilominus prae optimi Josiae Regis metu ſimul conveniſſe, et ſecreta conſpiratione facta conjuraſſe, ut et a Deo deficerent, et illius e medio tollerent cultum, quam primum libere ſibi agendi exhibita eſſet opportunitas."

10. שָׁבוּ עַל־עֲוֹנֹת אֲבוֹתָם הָרִאשֹׁנִים *Redierunt ad delicta patrum suorum priorum*, qui Amonis, Manasſis et Achasi tempore idolorum cultui ſe dederunt. עַל hic, ut alias ſaepe, idem quod אֶל, vid. Geneſ. XXXVIII, 12.

2 Sam. XV, 4. Non audiendus eſt Venema, qui in eo, quod שׁוּבִי hic per עַל conſtruitur, emphaſin eſſe putat, ut ſignificetur, rediiſſe illos magis quam patres ſuos ad delicta, ſuperaſſe eos in malitia. Sed hoc ſi propheta exprimere voluiſſet, vix dubium eſt eum ſcripſiſſe שָׁבוּ אֶל־עֲוֹנוֹת עַל־אֲבוֹתָם ſive מֵאֲבוֹתָם, *prae patribus eorum*, ſ. *magis quam patres eorum.* הָלְכוּ אַחֲרֵי אֱלֹהִים אֲחֵרִים *Sectati ſunt deos alios*, vid. ſupra VIII, 2.

11. אֲשֶׁר לֹא־יוּכְלוּ לָצֵאת מִמֶּנָּה Malum *ex quo non poterunt egredi*, i. e. quo ſeſe nulla prudentia, nullis viribus expedire poterunt.

13. כִּי „*Quoniam;* eſt vel *declarativum* ejus quod Vs. 12. de diis pluribus dixerat, vel *cauſſale*, rationem reddens, cur nolit audire eos Deus.“ C. B. Michaelis. מִסְפַּר עָרֶיךָ הָיוּ אֱלֹהֶיךָ Secundum *numerum urbium tuarum ſunt dii tui*, quot urbes tot habes deos, ut ſupra II, 28. — שַׂמְתֶּם מִזְבְּחוֹת לַבֹּשֶׁת *Poſuiſtis aras pudori*, i. e. turpiſſimo et pudendo idolo Baali, ut hic per ἐπεξήγησιν ſtatim ſubjicitur. Quae ignominioſa ἀντονομασία et in hominum nominibus propriis, quae cum בַּעַל componuntur, reperitur. Ita qui Jud. VI, 32. vocatur יְרֻבַּעַל idem 2 Sam. XI, 21. dicitur יְרֻבֶּשֶׁת. Vid. et Hoſ. IX, 10.

14. Ad prius hujus Verſus hemiſtichium cf. not. ad VII, 16., ubi eadem, quae hic, verba leguntur. בְּעַד רָעָתָם *Pro malo eorum*, i. e. propter malum quod iis imminet avertendum. Ita בְּעַד notat *propter* et Job. VI, 22. Prov. VI, 26. Sed veteres magno conſenſu *tempore mali eorum* reddunt; quaſi בְּעֵת רָעָתָם legerint, ut ſupra Vs. 12. et II, 27. Quod ipſum et hoc loco exhibent plures a Kennicotto et de-Roſſio enumerati partim bonae notae codices.

15. Tranſit jam ad denunciandas poenas tantis ſceleribus dignas. מֶה לִידִידִי בְּבֵיתִי *Quid* eſt *dilecto meo in domo mea?* in templo meo? Quid, inquit Jova, negotii eſt populo mihi olim caro in templo mihi ſacro, ſed a ſe

a ſe profanato? *Dilectum ſuum* appellat Jova hic populum a ſe electum e reliquis populis et inſignibus beneficiis a ſe ornatum, ut Jeſaj. V, 1. Utitur vero hac maxime appellatione, ut ei populo ingratam ſuam erga benefactorem ſuum mentem objurget. Chaldaeus: מַה לְעַמָּא דַהֲוָה חֲבִיב קֳדָמַי שְׁבַקוּ פּוּלְחַן בֵּית מַקְדְּשִׁי *Quid* eſt *populo, qui mihi dilectus* fuit, ſed *reliquerunt cultum aedis mihi ſacrae?* Hieronymus: „Dilectum et amantiſſimum vocat populum Juda, qui in templo ejus poſuit et veneratus eſt idola.“ עֲשׂוֹתָהּ הַמְזִמָּתָה הָרַבִּים *Faciendo illud, ſcelus,* inquam, *illud multi,* i. e. facientibus ſcelus illud Vs. 10. 13. deſcriptum multis, ſ. plurimis. Redditur ratio, cur templum ſit deſolandum. „Ubi notandum 1) Infinitivum עֲשׂוֹת *facere* cum Subjecto הָרַבִּים *plurimi* veluti participiaſcere, ac circumſcribi poſſe: *dum faciunt plurimi,* fere ut Geneſ. XXV, 18. בֹּאֲכָה *veniente te,* ſeu: *dum venis;* 2) Suffixum illud in עֲשׂוֹתָהּ eſſe emphatice redundans, ut infra XXVII, 8. LI, 56.“ C. B. Michaelis. מְזִמָּתָה pro מְזִמָּה. Chaldaeus: עֲבַדוּ עֵצָה לְחֶטְאִין סַגִּיאִין *inierunt conſilium ad peccata multa.* Hieronymus: *fecit ſcelera multa.* Poſſit הָרַבִּים valere: *multis modis.* וּבְשַׂר־קֹדֶשׁ יַעַבְרוּ מֵעָלָיִךְ *Igitur carnem ſanctitatis auferent a te* ſcil. auferentes, i. e. victimae, quae et Hagg. II, 12. *caro ſancta* vocantur, faceſſent a te; in exilium acto temploque deſtructo. יַעַבְרוּ, forma Futuri Hiphil contracta, more Aramaeo, pro יַעֲבִירוּ, ut ſupra IX, 2. וַיַּדְרְכוּ eſt pro וַיַּדְרִיכוּ *calcant,* et 1 Sam. XIV, 22. וַיַּדְבְּקוּ pro וַיַּדְבִּיקוּ *inſequuti ſunt.* Suffixum femininum in מֵעָלָיִךְ non eſt dubium reſpicere ad populum Judaicum, utpote collectivum adeoque femininum, unde et Suffixum et Verbum femininum ſtatim ſequuntur, quamvis initio Verſus Jova illum nomine maſculino יְדִידִי alloquutus ſit. Qua generis permutatione, ubi de populis agitur, nil eſt frequentius; cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 469. Poſtremum Verſus membrum, כִּי רָעָתֵכִי אָז תַּעֲלֹזִי, fere ita reddunt: *quando* ſ. *quamvis malitia tua* ſcil. ſumma eſt, *tunc* ſ. *tamen ex-*

fultas, incredibili audacia et perfricta fronte peccas. Equidem mallem cum R. Jona, Kimchio memorato in Lexico fub voce עָלַז, collata ea cum cum Arabico عَلِزَ *prae aegritudine corporis animive inquietus et impatiens fuit*, et רָעָה accepto de *malo, infortunio*, quod alicui accidit, verba fic vertere: *quando malum tuum*, i. e. decretum tibi te invadet, *tunc tremore corripieris*. „Arabibus," inquit R. Jona, five Abulwalid (de quo vid. Gesenii Praefat. ad *Lex. hebr. min.* p. XVI. ed. sec.), „ע"לז אל"מות [عَلَزُ ٱلْمَوْتِ] eft tremor, qui corripit morti vicinum, aut morbo correptum ob virium defectum, aut ebrium ob infirmitatem nervorum; eftque tremor ille tanquam rifus, qui nonnullis inter moriendum accidit (rifus Sardonius)." Cum hac vocis עלז explicatione convenit ea quam in Lexico *Camus* dicto affert Firuzabadius T. I. p. 719. edit. Calcutt. العَلَزُ مُحَرَّكَةً قَلَقٌ وَخِفَّةٌ وَهَلَعٌ يُصِيبُ ٱلْمَرِيضَ وَالأَسِيرَ وَالحَرِيصَ وَالمُحْتَضَرَ وَقَدْ عَلِزَ كَفَرِحَ وَهُوَ عَلِزٌ أَيْ وَجِعٌ قَلِقٌ لا يَنَامُ *Nomen* عَلَزٌ, *media Fatha, denotat* commotionem, *et* inquietudinem, *et* trepidationem ex impatientia, *qui corripit aegrotum, captivum, avidum, et morti vicinum. Verbum* عَلِزَ (media Kesre) *ut* فَرِحَ *intranfitivum, unde nomen* عِلَزٌ, *quod* dolorem *et* inquietudinem infomnis *denotat*. Atque Hebraeis quidem עָלַז non folum ad laetitiae exfultantis motum, fed univerfe ad quascunque animi vehementer commoti perturbationes translatum fuiffe videtur, quem-

quemadmodum verba גִּיל, פָּחַד, רָגַז, et *tremoris* et *consternationis admirationisque* affectibus exprimendis inserviunt, vid. infra XXXIII, 9. Jesaj. LX, 5. Pf. II, 11. De ebriis, titubantibus et mente exturbatis, verbum עָלַז Noster usurpat infra LI, 39. Recte igitur C. D. A. Martini in *Commentat. philolog. crit. in Jesaj.* LII, 13. seqq. p. 30. observat: „Plures animi adfectus eodem verbo saepius comprehendi, docet quoque verbum עָלַז, quod quidem apud Hebraeos plerumque *de gaudio exsultante* ponitur, sed, ut ex usu Arabici عَلَز intelligi potest, latiore significatu ad omnes etiam vehementiores mentis perturbationes exprimendas adhibetur." Conf. A. Schultens *Origg. hebrr.* L. I. Cap. IV. §. 45. p. 250. edit. Lugd. Bat. 1761. Ceterum in explicando hoc Versu et veteres et recentiores ita variant, ut tot fere illius sint interpretationes quot interpretes. Nos tantummodo quasdam potiores, pro instituti nostri ratione, afferemus. Graecus Alexandrinus hunc Versum sic reddidit: Τί ἡ ἠγαπημένη ἐν τῷ οἴκῳ μου ἐποίησεν βδέλυγμα; μὴ εὐχαὶ καὶ κρέα ἅγια ἀφελοῦσιν ἀπὸ σοῦ τὰς κακίας σοῦ, ἢ τούτους διαφεύξαι; *Quid dilecta mea in domo mea fecit abominationem? Numquid vota et carnes sanctae auferent a te malitias tuas, ut istis effugias?* Videtur interpres in suo codice Hebraeo Versum hoc modo legisse: מָה לִידִידָתִי בְּבֵיתִי עָשְׂתָה הַמְּזִמָּתָה הַנְּדָרִים וּבְשַׂר קֹדֶשׁ יַעַבְרוּ מֵעָלַיִךְ רָעָתֵיכִי אוֹ תַּעֲלֹזִי. Postremam vocem J. D. Michaelis ab interprete תָּעוּזִי lectam putat fuisse, Dathius, cui assentitur Schleusnerus, תָּלוּזִי. Magis verisimile quod Spohnius conjicit, interpretem, ut nos, תַּעֲלֹזִי legisse, sed verbum cepisse consoni Arabici significatu, *sollicitum, inquietum esse,* cui *effugiendi* notio est adjuncta. Longe aliter Syrus: ܠܡܢܐ ܚܒܝܒܬܝ ܒܒܝܬܝ ܥܒܕܬܝ ܛܢܦܘܬܐ ܣܓܝܐܬܐ ܘܗܫܐ ܢܥܒܪܘܢ ܡܢܟܝ ܢܕܪܝܟܝ ܘܩܘܪܒܢܝ ܩܘܕܫܐ ܕܒܝܫܬܟܝ *Quare, o mihi dilecta, domi meae fecisti abominationem multam? ideo*

ideo carnem ſacram amovebunt a te propter crimen tuum, quod graviſſimum eſt. Hic quidem, ut Graecus Alexandrinus, femininum ידידתי expreſſit, ſed omiſſo ל praefixo. Tum הָרַבִּים junxit tanquam Adjectivum nomini הַמְזִמָּתָה; denique pro תַּעֲלֹזִי videtur הָעֵנָה legiſſe. Hieronymus alteram Verſus partem inde a בְּשַׂר־קֹדֶשׁ ſic reddidit: *Numquid carnes ſanctae auferent a te malitias tuas, in quibus gloriata es?* Junxit מֵעָלָיִךְ cum רָעָתֵכִי neglecto כִּי. Chaldaeus: מְעָרְבִין בְּשַׂר שִׁקּוּצִין עִם בְּשַׂר קוּדְשָׁא יִגְלוֹן מִנִּיךְ מִן קֳדָם בִּישָׁתִיךְ בְּכֵן הֲוֵיתָא תַּקִּיפָא *commiſcent carnem abominationum,* i. e. victimas idolis oblatas, *cum carne ſancta; migrabunt a te propter malitiam tuam; tunc eras durus,* i. e. obſtinatus in vitiis, quomodo et ex noſtris interpretibus nonnulli תַּעֲלֹזִי ceperunt, vid. ſupra. Jarchi Verſum hunc in modum exponit: „Quid eſt populo peculii mei, ut amplius in aedem meam veniat, quum ſectetur conſilium eorum qui peccant, multorum, qui inter ipſos ſunt; etiam circumciſionem, propter quam mihi ſunt ſanctificati, removerunt a carne ſua: et quando peccatum committitis, tunc gaudetis." Kimchi hoc Verſu non Jovae, ſed prophetae ipſius verba contineri exiſtimat, qui Jovam *dilectum ſuum* appellet, ita templum quoque prophetam vocare *aedem ſuam*, quam ipſe, non ceteri Judaei, coleret et in pretio haberet, et integri Verſus ſenſum facit hunc: quid eſt Jovae in templo negotii, ut in eo praeſentiae ſuae ſymbolum (שכינתו) habitet, quum perpetret populus Judaicus abominanda cum multis (את הרבים), i. e. cum multis diis aliis, ut ſupra Vs. 13. dixerat. „Tunc convertit ſe ad coetum Iſraelis, cui objicit, quod quae Jovae debebantur ſacrificia (בְּשַׂר־קֹדֶשׁ) *multis* i. e. idolis obtulerit, quae propterea quaſi non oblata reputentur (יַעַבְרוּ מֵעָלָיִךְ)." Quae interpretatio quam ſit contorta, vix erit qui non ſentiat. Praetermitto e recentioribus interpretibus eos, qui Hebraea vel ſecundum Graecum Alexandrinum, vel ſecundum Syrum mutanda cenſent, uti Hubigantius, Dathius et J. D. Michaelis.

Gaa-

Gaabius Verſum noſtrum in hunc modum interpretatur: Quid eſt dilecto meo, Jeremiae, ſive, quid eſt negotii dilectis meis, piis, in aede mea? voluntne poenas ſceleſtis illis decretas deprecari? nonne flagitia maxima committunt? Age igitur, plerique illorum una cum carnibus ſacris, i. e. ſacrificiis, a te faceſſent, i. e. maxima populi tui pars abducetur, et ſacrificia, templo deſtructo, ceſſabunt. Certe, malum, i. e. infortunium tuum ingruet, tunc exſultabis. Recentiſſimus denique Jeremiae interpres locum ſic vertit: *Mon ami, que ferait-il dans mon temple tandis qu'on y commet des abominations? Les voeux et la chair des victimes peuvent-elles vous en purifier? Vous qui faites gloire de votre mèchancetè?* Virum Doctiſſimum pro הָרַבִּים patet cum Graeco Alexandrino הַנְּדָרִים legere. Buxtorfius tamen in *Anticrit.* p. 661. Graecum interpretem haud aliter ac nos in ſuo codice habuiſſe putat, ſed affinitate literarum ב et נ deceptum pro הרבים legiſſe הרנים, a רנן, unde רִנָּה *clamor, precatio*, quaſi eſſet הָרִנִּים, vel הָרַנִּים; nam Graeci interpretes רִנָּה ſaepe δέησιν, *precationem*, reddunt.

16. זַיִת רַעֲנָן *Oleam virentem*, cui arbori, propterea quod ſemper viret, ſeſe et Davides in florente rerum ſuarum ſtatu Pſ. LII, 10. comparet. Verba יְפֵה פְּרִי־תֹאַר Kimchi per compendium poſita eſſe dicit pro יְפֵה־פְרִי וִיפֵה־תֹאַר *pulchram fructu et pulchram formâ.* Verum poſſunt et recte verti: *pulchram fructu ſpecioſo.* קָרָא יְהוָה שְׁמֵךְ *Vocaverat Jova nomen tuum*, i. e. te effecerat. Nam quemadmodum *nomen* rei quandoque pro re ipſa ponitur (vid. Glassii *Philol. S.* p. 896. edit. Dath.), ita et *vocare rem aliquam hoc vel illo nomine* eſt illam talem facere, quali nomine deſignatur; cf. Jeſaj. LVIII, 12. et ad eum loc. not. לְקוֹל הֲמוּלָּה גְדֹלָה *Ad ſonum crepidationis magnae.* Vocem הֲמוּלָּה Hebraei fere exponunt *ſonitum* ſ. *tumultum exercitus hoſtilis* contra Judaeos advenientis, conjecturâ, uti videtur, e contextu facta. Sed primus in propriam nominis illius, praeter hunc locum

femel

ſemel tantummodo, Ezech. I, 24. in codice Hebraeo obvii, ſignificationem inquiſivit Everard. Scheidius in *Specim. Obſervatt. ad quaedam V. T. loca* ad calcem *Diſſertat. in Cantic. Hiskiae* p. 7. ſeqq. (et in *Sylloge Diſſertatt. ſub Schultenſſ. et N. G. Schroederi praeſid. defenſar.* (P. 11. p. 958.), et ex Arabico هطل oſtendit, proprie ſignificare *imbrem copioſe effuſum*, unde noſtrum locum ſic interpretatur: *nunc ad ſonum effuſi imbris facit crepare fulmen ſuper eam*, oleam, intelligitque imbrem grandiorem, qui tempeſtatibus adjunctus eſſe ſolet, qualem deſcribit Virgilius *Aen.* V. 693. ſeqq.

Effuſis imbribus
Tempeſtas ſine more furit, tonitruque tremiscunt
Ardua terrarum et campi; ruit aethere toto
Turbidus imber aqua, denſisque nigerrimus auſtris.

Mallem tamen hoc loco, ubi non de fulmine et tempeſtate, ſed de flamma ignis accenſi agitur, cum J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 555. proprium, quem הֲמוּלָּה obtinet, *imbris vehementioris* ſignificatum translatum eſſe ad aequabilem ardentis ignis ſonum, murmuri aquae continuo ſimillimum, ſive ad graviorem etiam ſtrepitum ligni igne diſſilientis, quamvis prius praetulerim. הִצִּית אֵשׁ עָלֶיהָ *Accendit ignem ad eam.* Venema cum Gatackero in Annotatt. ad Biblia Anglicana mallet עָלֶיהָ pro Plurali nominis עָלֶה *folium* cum ſuffixo ad oleam referendo capere, ut vertendum ſit: *accendit ignis folia ejus*, ſive, ut Venema vult, *ſcanſores ejus*, quibus ramos arboris intelligit, in quibus vigor crescendi ſit, altius altiusque ſurgentes, non favente linguae uſu. *Ramorum* mentio ſit poſtremis Verſus verbis: וְרָעוּ דָּלִיּוֹתָיו, quae Jarchi recte ſic explicavit: רצצו ענפיו *frangent ramos ejus* ſcil. frangentes, i. e. frangentur rami ejus. רָעוּ eſt a רָעַע i. q. רָצַץ ex Aramaeismo, ut infra XV, 12. Excidit coepta imagine de arbore igne conſumenda. Quam tamen Hieronymus ſervare ſtuduit, dum vertit: *et combuſta ſunt fruteta ejus*,

Alii

Alii a רָעָה *depaſcere* vertunt: *depaſcent* hoſtes *ramos ejus*, ut ſupra VI, 5., quod tamen huic loco minus congruit. Graecus Alexandrinus vertit ἠχρειώθησαν οἱ κλάδοι αὐτῆς. Retulit רָעוּ ad רוּעַ *malum eſſe*, nam rami mali ſunt inutiles. J. D. Michaelis imaginem h. l. ab arbore deſumtam conjicit, juxta quam paſtores ignem accendunt. הֲמוּלָה, inquit, „poſſit eſſe *grex libere paſcens*, quae propria vis eſt Arabici verbi همل. Ejusmodi in arbore, ad quam paſtores ignem accendunt, vix ulli fructus relinquentur, frangentur etiam rami, alendo igni. Sunt autem paſtores hic, ut ſaepe, duces Babylonii cum exercitibus ſuis." Verum ſignificatio *gregis libere paſcentis*, quam voci הֲמוּלָה Michaelis tribuit, vel ob locum Ezech. I, 29. locum habere nequit.

17. הַנּוֹטֵעַ אוֹתָךְ *Plantans* ſ. *qui plantavit te;* retinet vocabulum e ſimilitudine oleae, Vs. 16. דִּבֶּר עָלַיִךְ רָעָה *Loquutus eſt*, decrevit *contra te malum*, ut 1 Reg. XXII, 23. — אֲשֶׁר עָשׂוּ לָהֶם *Quod fecerunt iis*, i. e. ſibi, libidini ſuae obſequuti.

18. Quae deinceps narrat vates facta videntur poſtquam ſuperiorem concionem habuiſſet, in qua mala populo et ſupplicia tot digna ſceleribus denuntiavit. Eichhorn, quem ſequitur Dahler, hic novae pericopae, quae usque ad XII, 13. decurrat, et regnante Zedekia edita ſit, initium ſtatuit. Verum ſuffixum tertiae perſonae Pluralis in מַעַלְלֵיהֶם manifeſte reſpicit ad malos illos, de quibus in his, quae praecedunt, loquutus eſt. Illi igitur, aegre ferentes quod non deſineret vates ipſos vitiorum coarguere et poenas minari, de monitore ipſis tam moleſto e medio tollendo conſilia clam inter ſe agitarunt. הוֹדִיעַנִי *Scire me fecit* ſcil. מַעַלְלֵיהֶם *facinora eorum*, machinationes contra vitam meam, Vs. 19. Mox concitato affectu, de quo in tertia perſona loqui coeperat, Deo, ad eum ſermonem convertit: אָז הִרְאִיתַנִי מַעַלְלֵיהֶם *tunc oſtendiſti mihi eorum facinora.* Nihil neceſſe eſt, ut cum J. D.

J. D. Michaelis Particulam אַו hic *ecce!* vertamus, ut Arabicum أَنْ, quod ab Hebraeo ufu plane alienum eft.

19. Vocem אַלּוּף funt inter Hebraeos, qui pro nomine habeant *bovem* fignificante, ut Pf. CXLIV, 14., i. q. אֶלֶף, et repetita Particula fimilitudinis e nomine praecedente, atque fubaudita copula ו verba אֲנִי כְּכֶבֶשׂ אַלּוּף fic vertant: *ego fum inftar agni et* f. *aut bovis,* qui ad mactandum ducitur. Sed effe אַלּוּף Adjectivum, quod ad כֶּבֶשׂ pertineat, agnoverunt veteres omnes, quamvis non uno modo verterint. Alexandrinus: ὡς ἀρνίον ἄκακον, Syrus, ܐܝܟ ܐܡܪܐ ܬܡܝܡܐ *ficut agnus purus* f. *fimplex,* Chaldaeus, כְּאִימַּר בְּחִיר *ficut agnus felectus,* f. fegregatus ad mactandum. Quorum nullus tamen vocis אַלּוּף fignificatum recte expreffit. Melius Hieronymus: *ut agnus manfuetus.* Nam أَلِفَ Arabibus *manfuefactus fuit* denotat, docuitque Bochartus *Hieroz.* P. I. L. II. Cap. XLVI. T. I. p. 592. edit. Lipf., Arabibus dici شاة الوف *ovem manfuefactam* et cicuratam, quae lingit veftes educatoris fui. Et facti diritatem id auget, ut talis ovis educatur ad lanienam. Quum Arabibus أَلِفَ et *affuetus fuit,* in IV. *familiarem reddidit, familiaris fuit* fignificet; J. D. Michaelis poft A. Schultens in *Commentar. ad Proverb.* II, 17. et in *Animadverff. philologg.* ad h. l. כֶּבֶשׂ אַלּוּף *ovem affuefactam,* familiarem, reddere mallet, quales agnos ad delectationem familiae fuae nutriunt Arabes, et olim aluerunt Hebraei, vid. 2 Sam. XII, 3. „Ut ejusmodi oves, adfuetae domino, ita et Jeremias nihil mali timebat a populo Judaico." Verba נַשְׁחִיתָה עֵץ בְּלַחְמוֹ, ante quae דאמר eft fubaudiendum (Chaldaeus fupplevit אָמְרִין *dicentes*), Graecus Alexandrinus fic vertit: ἐμβάλωμεν ξύλον εἰς τὸν ἄρτον αὐτοῦ, quod fequutus eft Hieronymus: *mittamus lignum*

lignum in panem ejus. Intellexerunt עֵץ de ligno venenato, quod Jeremiae inimici ejus cibo injicere vellent. Quod clarius apparet e Chaldaeo interprete, cujus haec sunt verba: נִרְמֵי סַמָּא דְמוֹתָא בְּמֵיכְלֵיהּ *projiciamus venenum mortiferum in cibum ejus.* Illos interpretes pro נַשְׁחִיתָה legisse נַשְׁלִיכָה conjecit Lud. Cappellus in *Crit. S.* p. 678. edit. Halens. Sed negat Buxtorfius *Anticrit.* p. 661. „Audi," inquit, „Kimchium, qui hic scribit: *dicit* propheta נַשְׁחִיתָה corrumpamus pro נָשִׂימָה ponamus, *quia positio haec fuit corruptio s. perditio.* Sensum itaque reddiderunt, et שחת sumserunt fortassis, quasi aliquando idem sit quod שׁוּת, unde si Varia lectio hinc elicienda esset, diceretur probabilius, illos legisse נָשִׁיתָה, quod propius, quam נַשְׁלִיכָה. Sic Jerem. XLIX, 9. pro הִשְׁחִיתוּ habent ἐπιθήσουσι." Sed illa Kimchii interpretatio coacta est. Illius pater, Josephus, verba עֵץ בְּלַחְמוֹ per hypallagen dicta esse putat pro לַחְמוֹ בְּעֵץ corrumpamus *cibum ejus per lignum*, illud videlicet, quod Arabes רפלא = دِفْلي, vocent, i. e. *oleandrum*, cujus lignum sit venenum mortiferum. A. Schultens in Differtat. *de utilit. ling. Arab.* Groning. 1706. §. 33. (in auctoris *Opp. minorr.* p. 508.), collato Arabico لَحْم, quod non tantum *carnem*, verum et *medullam* denotat, verba נַשְׁחִיתָה עֵץ בְּלַחְמוֹ sic vertenda existimaverat: *corrumpamus arborem in medulla ejus*, i. e. non tantum truncum ejus perrumpendo et dissecando perdamus eam, sed et cor ejus penitius exscindendo funditus eam deleamus. Sed in *Animadverss. philol. critt. in V. T.* anno 1709. editis, agnovit, simpliciorem et magis congruentem esse Belgicam horum verborum interpretationem: *perdamus arborem cum cibo,* i. e. cum fructu *ejus.* לֶחֶם, addit, „similiter fere sumtum invenio apud Arabes. Ita in *Tophaili* Differtat. لحوم الفواكة est *pulpa in fructibus.* Et ثمرات ذات لحم

sunt

ſunt *fructus, qui pulpam*, לָחֶם, *habent.* Ratio, cur in hanc ſententiam propendeam, eſt, quod additur, *exſcindamus eam, et in memoriam non amplius veniat nomen ejus*; hoc eſt: *delere arborem cum fructu.*" Addere potuiſſet Schultenſius ad confirmandam hanc interpretationem, Arabibus nomen أُكُلٌ, quod proprie *quidquid editur, cibum* denotat, ſpeciatim de *arborum fructibus*, praeſertim palmarum, uſurpari. In Lexico *Camus* Vol. II. p. 1390. habetur: الأُكُلُ بِالضَّمِّ وَبِضَمَّتَيْنِ الثَّمَرُ i. e. أُكُلٌ *cum Eliph Dhammate ſignato et duobus reliquis literis eadem Vocali inſignitis, notat* fructum arboris. Ita in Corano XVIII, 31., ubi Deus ait, ſe duobus hominibus totidem hortos dediſſe, vitibus et palmis conſitos, tum pergit: كِلْتَا الْجَنَّتَيْنِ آتَتْ أُكُلَهَا *uterque hortorum attulit fructum ſuum.* Ceterum vix dubium eſt, eſſe hanc formulam: *perdamus arborem cum fructu ſuo* proverbialem, quae adhibetur in rem penitus exſcindendam.

20. בֹּחֵן כְּלָיוֹת וָלֵב *Qui probat renes et cor*, i. e. cui deſideria et conſilia hominum perſpecta ſunt, ut infra XVII, 10. XX, 12. Pſ. VII, 10. אֶרְאֶה נִקְמָתְךָ מֵהֶם *Videbo ultionem tuam ab iis*, i. e. certus ſum, te me ab eorum injuriis vindicaturum et in eos animadverſurum eſſe. כִּי אֵלֶיךָ גִּלִּיתִי אֶת־רִיבִי *Nam tibi revelavi cauſam meam*, „id eſt, commendavi, per μετωνυμίαν: nam qui cauſam ſuam alicui commendant, prius eam notam faciunt." Grotius.

21. Specialius deſignat eos, qui vitae ſuae inſidiarentur, qui erant Anathotaei, cives Jeremiae, cf. I, 1. Verba, quae illos dixiſſe ait, לֹא תִנָּבֵא בְּשֵׁם יְהוָה וְלֹא תָמוּת בְּיָדֵנוּ *ne vaticinare in nomine Jovae, ne manu noſtra pereas,*

pereas, Schmidius exiſtimat illos non ipſi Jeremiae dixiſſe, alioquin enim divina revelatione haud opus fuiſſe (Vs. 18.), ſed indicari, illos cogitaſſe et invicem deliberaſſe, niſi vaticinari deſiſteret, eum ſe occiſuros eſſe. Sed recte obſervat C. B. Michaelis, non obſtare Verſum 18., quo minus haec ipſi Jeremiae dixerint, ſi illis nunc inſidiis, nunc minis prophetae reſtitiſſe ſumamus.

23. Verba שְׁנַת פְּקֻדָּתָם Hieronymus vertit *annum viſitationis eorum*, ſcil. adducam Anathotenſibus, quaſi *ἐπιεξήγησις τοῦ* רָעָה eſſet. Sed rectius Graecus Alexandrinus, ſubaudito ב ante שְׁנַת: *ἐν τῷ ἐνιαυτῷ ἐπισκέψεώς αὐτῶν*, i. e. ſuo tempore, cum in Anathotaeos animadverſurus ſum, i. q. בְּעֵת פְּקֻדָּתָם ſupra X, 16. Conf. infra XXIII, 12.

VIII.

VIII.

Conqueritur vates malorum impunitatem et quae ipſi ab illis ſint perferendae injurias.

Cap. XII, 1—6.

ARGUMENTUM.

Duo quum eſſent quae prophetam excruciarent, alterum, quod neſarios homines videret continua impunitate, et rebus etiam ſecundis uti, alterum, quod ſibi, moleſto quidem cenſori, at conſcientia officii benevolentiaeque divinae freto, perferenda ſit adverſariorum multiplex vis atque injuria (Vs. 1. 2. 3.); rogat Deum et excitat, velit et ſibi incolumitatem praeſtare, et abolere homines, qui tanquam peſtes civitatis aliena ſacra fovendo agrorum ſterilitatem tantam patriae inducant, ut beſtiis etiam ſit pereundum (Vs. 4.). Reſpondet Deus, feſtinantius ipſum querimoniis indulgere, quae adhuc expertus ſit mala atque incommoda, levia eſſe, multo autem graviora inſtare, de quibus necdum cogitet; nimirum familiaribus etiam et conſanguineis tam odioſum ipſum eſſe et inviſum, ut et ipſi de eo tollendo cogitarent (Vs. 5. 6.).

Hanc pericopam interpretes tantum non omnes conjungunt cum iis, quae praecedunt et ſequuntur. Eichhornius et Dahler inde a Verſu 18. Capitis praecedentis usque ad Verſum 13. hujus Capitis unam continuam oratio-

tionem contineri existimant. Nos tamen adstipulamur SCHNURRERO, in *Observatt. ad vaticinia Jeremiae* (*Commentatt. theologicar.* Vol. III. p. 376.) haec scribenti: „Quae sex prioribus Capitis XII. Versibus absolvitur oratio, seu amplioris orationis pars quaedam reliqua, non magis ea, quae praecedunt, attingit, quam ad ea respicit, quae nullo intervallo sequuntur, sed sola et a proximo sermone sejuncta, spectanda est. Quod vero hunc magis, quem nunc occupat, quam alium quemcunque locum obtinuit inter sermones Jeremiae, alia, si qua fuerit, ratio intelligi non potest, nisi quod argumentum esset a praecedentis sermonis argumento haud absimile."

Quo tempore haec pericopa scripta fuit Judaeam jam per tempus aliquod magna terrae siccitate laborasse, ostendit Versus quartus. Eam calamitatem, de qua vates et infra Vs. 13. hujus Capitis et XIV, 1. 2. queritur, regnante Josia incidisse, colligitur inde, quod et supra III, 3. V, 24., quae conciones sub Josia habitae fuerunt, magnae siccitatis, e longo pluviae defectu ortae, fit mentio.

XII. Justus es, Jova, si tecum conten- 1.
dam; attamen judiciariam controversiam tecum agitabo. Cur prospera est impiorum via? cur fortunati sunt omnes perfidiosi?
Plantati a Te radices agunt, proficientesque 2.
fructum edunt, quum Tu, quamvis in eorum ore adsis, longe tamen absis ab eorum re-
nibus. Tu vero, Jova, qui me nosti et per- 3.
spicis, animumque meum exploratum habes, abripe eos, tanquam oves, ad caedem, et
necis diei destina. Quousque lugebit ter- 4.
ra, et omnis agri arebit herba, ob incolarum

rum ſcelus, quadrupedibus volucribusque
conſumtis? Ita enim dicunt: nequaquam
5. videbit noſtrum exitum. Si cum peditibus
currens defatigaris ab eis, quo pacto cum
equitibus certabis? et ſi iſtud in pacato ſo-
lo, in quo ſecurus es, accidit, quid in Jor-
6. danis decore facies? Nam tui etiam fra-
tres, paternaque domus, te ipſi quoque pro-
dunt, teque maturum eſſe ad caedem poſt
te clamant, quibus noli credere, quamvis
te comiter adloquantur.

N O T A E.

Cap. XII, 1. צַדִּיק אַתָּה יְהוָה כִּי אָרִיב אֵלֶיךָ *Juſtus tu es, o Jova, quando litem intendero tibi*, vinces, ſi tecum judicio contendam. Cf. Pſ. CXIX, 137. אַךְ מִשְׁפָּטִים אֲדַבֵּר אוֹתָךְ *Attamen judicia loquar tecum*, i. e. controverſiam judicialem tecum agitabo, cupiens informari de cauſis mirae tuae gubernationis, et quo pacto conciliari poſſit cum juſtitia tua. Phraſis *judicia cum aliquo loqui* interdum valet: *ex aliquo cauſas factorum quaerere*, eumque examinare, an et quomodo defendere ea poſſit; vid. 2 Reg. XXV, 6.; infra XXXIX, 5. Chaldaeus noſtra verba haud male interpretatus eſt: שְׁאֵילַת אֲנָא שָׁאֵל מִן קֳדָמָךְ *quaeſtionem judiciorum ego a te quaero.* Quaeſtionem hanc, cur improbis bene omnia ſuccedant, bonis tam ſaepe male ſit, illa aetate plures exercuiſſe, teſtes ſunt cum plures Pſalmi, veluti XXXVII. XXXIX. XLIX. LXXIII., tum Jobi Liber, qui totus in hoc argumento tractando verſatur. רְשָׁעִים vero h. l. non ſunt pravi homines univerſi, ſed Judaei, iique viri primarii, qui quum novis et alienis ſacris magis faverent, quam antiquis legitimisque, Jere-

Jeremiam, ſuae impietatis poenas iis denuntiantem, oderunt eumque per inſidias e medio tollere quaeſiverunt; vid. Vs. 2. 3.

2. נְטַעְתָּם *Plantaſti eos*, in ſede ſtabili collocaſti, quo ſenſu hoc verbum 2 Sam. VII, 10. de populo Hebraeo a Jova in terra Cananaea plantata dicitur. Chaldaeus vertit: קַיֶּמְתִּינוּן *ſtabiles eos reddidiſti*. Omnes hae phraſes, quibus impiorum felicitas deſcribitur, ſunt ab arboribus deſumtae, cf. Jeſaj. XL, 24. גַּם־שֹׁרָשׁוּ *Etiam radicantur*, aſſurgit gradatim oratio. Chaldaeus: תְּקִיפוּ *roborati ſunt*. יֵלְכוּ *Eunt*, i. e. procedunt, *proficiunt*, ut Hieronymus vertit. Plena phraſis eſt Pſ. LXXXVIII, 8. יֵלְכוּ מֵחַיִל אֶל־חָיִל *eunt a robore ad robur*. Chaldaeus ſenſum per עֲתַרוּ *diteſcunt* expreſſit, Alexandrinus per ἐτεκνοποίησαν *liberos gignunt*. גַּם־עָשׂוּ פֶרִי *Etiam faciunt fructum*, feliciter iis omnia negotia ſuccedunt, et partis tranquille fruuntur. Chaldaeus: אַף קְנוֹ נִכְסִין *etiam acquirunt opes*. קָרוֹב אַתָּה בְּפִיהֶם *Propinquus tu es in ore eorum*, continuo te, Jovam, in ore habent, cultores tuos ſe eſſe ſimulant.

3. וְאַתָּה יְהוָֹה יְדַעְתָּנִי *Tu vero, Jova, noſti me*, me te ex animo colere, et tibi totum eſſe deditum. J. D. Michaelis: „noſti, nihil me illis mali nec feciſſe, nec meditatum eſſe.“ Minus recte; nam quo erga Deum affectus ſit animo, de ſe vatem teſtari, oſtendunt verba, quae ſequuntur: תִּרְאֵנִי וּבָחַנְתָּ לִבִּי אִתָּךְ *vides me et probaſti cor meum*, quale ſit *tecum*. Quum igitur me probum eſſe noveris, qui ſit, ut mihi male ſit, improbis vero, qui me de medio tollere ſtudent, bene? הַתִּקֵם כְּצֹאן לְטִבְחָה *Avelle eos ſicut ovem*, quae avellitur a grege, *mactationi* deſtinatam. Jarchi: „avelle eos e vita ad mortem, lingua vernacula: *detache les*. Verbum הַתִּיק hic ſumitur ut Joſ. VIII, 6.: *Perſequantur nos*, עַד הַתִּיקֵנוּ אוֹתָם מִן־הָעִיר *donec eos avellamus ab urbe*.“ וְהַקְדִּשֵׁם לְיוֹם הֲרֵגָה *Et ſanctifica*, deſtina (ut ſupra VI, 4.) *eos diei caedis*, ut

victimae elegi et destinari solent ad mactandum. הַקְדִּשֵׁם Jarchi exponit הַזְמִינֵם *praepara eos,* ut Num. XI, 18.

4. עַד־מָתַי תֶּאֱבַל הָאָרֶץ וְעֵשֶׂב כָּל־הַשָּׂדֶה יִיבָשׁ *Quousque lugebit terra, et herba omnis agri exarescet?* inhibitis videlicet pluviis, cf. supra III, 3. V, 24., infra Vs. 13. et XIV, 1. 2. Quamdiu, inquit vates, tolerabis improbos, propter quos terra tam misere a Te affligitur? Sequitur enim: מֵרָעַת יֹשְׁבֵי־בָהּ סָפְתָה בְהֵמוֹת וָעוֹף etenim *propter malitiam habitantium in ea consumtae sunt pecudes et volucres,* defectu graminis et pabuli. Eadem sententia Ps. CVII, 34. *Terram frugiferam convertit in salsuginem propter malitiam habitantium in ea.* Pro סָפְתָה J. D. Michaelis legere mallet סָפִתָּה, *consumsisti,* secundam personam, ut Numeri anomalia vitetur. At, vere observante Schnurrero, cum nomine plurali feminino, quod rei est, non personae, construi Verbum singulare femininum, Schroederus observavit *Syntax. hebr.* Reg. LXII, 4. locisque comprobavit etiam ex Jeremia petitis, veluti infra XLVIII, 41. נִלְכְּדָה הַקְּרִיּוֹת וְהַמְּצָדוֹת נִתְפָּשָׂה *captae sunt urbes et munitiones occupatae sunt,* et infra LI, 56. חִתְּתָה קַשְּׁתוֹתָם *confracti sunt arcus eorum.* Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 714. כִּי אָמְרוּ *Nam dicunt,* scil. improbi illi, quorum caussa tota nostra regio hanc ariditatis calamitatem subit. Proponit enim vates specimen, unde, quanta sit hominum nequitia, רָעָה, possit intelligi, illos ita loquutos inducens: לֹא יִרְאֶה אֶת־אַחֲרִיתֵנוּ, quae verba plures ita intelligunt: *non videbit* scil. Jeremias *finem* s. *exitum nostrum,* q. d. interitum quidem nobis Dei nomine comminatus est, sed id numquam videbit impleri. Verum recte Schnurrerus ad Deum referenda esse haec verba vidit, eorumque sensum esse hunc: *nequaquam ille vel curat vel novit, quid sit nobis eventurum.* „Jeremiam suis oculis visurum esse rerum eventum, negare poterant absque gravi crimine; gravissimum contra scelus erat negare, quod Jova et praevideat rerum eventus, et ex arbitrio etiam suo moderetur. Extitisse autem inter homi-

mines Judaeos ejusmodi temerarios ſermones, intelligitur etiam ex Cap. V, 12.“ Chaldaeus ad quemnam haec verba retulerit, incertum eſt, vertit enim illa hoc modo: לָא גְלֵי קֳדָמוֹהִי סוֹפָנָא *non eſt revelatum coram eo finis noſter.* Sed Graecus Alexandrinus: *οὐκ ὄψεται ὁ Θεὸς ὁδοὺς ἡμῶν.* Pro אַחֲרִיתֵנוּ interpretem אָרְחוֹתֵינוּ *vias noſtras* legiſſe patet, probante J. D. Michaelis.

5. Chaldaeus huic Verſui recte praemittit: תְּתּוּבְתָּא לְיִרְמְיָה נְבִיָּא עַל בָּעוּתֵיהּ *haec eſt reſponſio facta Jeremiae prophetae ad interrogationem ejus.* „Verſus hic et proximus continent reſponſum Dei ad praecedentem querelam et expoſtulationem, eo tendens, ut impatientia et meticuloſitate animi depoſita, ad patientiam, conſtantiam et fiduciam majorem excitaretur, eaque ratione ad graviora diſcrimina audaciter ſubeunda, quae ipſum manerent, praepararetur.“ Venema. כִּי אֶת־רַגְלִים רַצְתָּה וַיַּלְאוּךָ *Quando cum peditibus cucurriſti et defatigarunt te,* וְאֵיךְ תְּתַחֲרֶה אֶת־הַסּוּסִים *et quomodo contendes cum equis?* תְּתַחֲרֶה Futurum formae ſive Conjugationis rarioris Syriſſantis תִּקְטֵל (vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 254., et cf. Storrii *Obſervatt.* p. 213. not.) verbi חָרָה, proprie *fervidum eſſe,* tum *cum fervore contendere,* ut Syris: ܐܬܚܪܝ quo ipſo verbo hic Syrus interpres utitur: ܐܝܟܢܐ ܡܬܚܪܐ ܐܢܬ ܥܡ ܪܗܛ ܣܘܣܘܬܐ *quomodo curſu contendes cum equis?* Chaldaeus: וְאֵיכְדֵין אַתְּ מְדַמֵּי לְמִרְהַט *et quomodo cogitas currere?* וּבְאֶרֶץ שָׁלוֹם אַתָּה בוֹטֵחַ *Et in terra pacis,* quietis, ubi periculi nihil extimeſcendum, *confidis,* ſecurum te putas, וְאֵיךְ תַּעֲשֶׂה בִּגְאוֹן הַיַּרְדֵּן *et quid facies in elatione Jordanis?* Quod nonnulli de exundatione Jordanis intelligunt, quae tempore meſſis fieri ſolet. Sed vere obſervavit Schnurrerus, גְּאוֹן הַיַּרְדֵּן eſſe *gloriam, decus Jordanis,* quemadmodum Ezech. XXXII, 12. גְּאוֹן מִצְרַיִם eſt *decus Aegypti.* „Jordanem,“ pergit, „fluvium arboribus virgultisque bene obſitum fuiſſe, et locus docet 2 Reg. VI, 1—7., et affirmant, qui terram

Judaicam ipſi perluſtrarunt, complures, veluti Maundrellius, qui ripam fluvii interiorem arboribus varii generis fruticibusque ita conſitam vidiſſe ſe refert, ut fluminis quidquam niſi qui ſylvam pervaſiſſet, conſpicere haud poſſet (*Sammlung der merkwürdigsten Reisen in den Orient, herausgeg. von* H. E. Paulus, P. I. p. 104.). Ejusmodi viridis ac umbroſa ripa, quam vix poſſit non placere oculis, atque haud exiguum fluminis ornamentum haberi; quidni putemus, orae Jordanis, vel univerſae, vel parti, quae reliquis amoenior eſſe videretur, obtigiſſe appellationem גְּאוֹן הַיַּרְדֵּן *decus,* h. e. nemus *Jordanis,* ipſamque formulam ſenſim ita abiiſſe in conſuetudinem, ut vulgari etiam ſermone uſurparetur ad ripam Jordanis ſignificandam; non quod nomen גָּאוֹן ipſum *ripae* ſignificationem haberet, ſed quod Jordanis ripa talis eſſet et haberetur, qua ſuperbire poſſet fluvius. At quod idem Jordanis nemus feras quoque et leones maxime reciperet in ſuas latebras, quod intelligitur ex loco Zachar. XI, 3., ubi leones rugire dicuntur propterea quod vaſtatum ſit nemus Jordanis; hinc factum eſt, ut formula גְּאוֹן הַיַּרְדֵּן tranſiret ad illum uſum, quo ſignificaret habitacula leonum, veluti infra XLIX, 19. et L, 44. dicitur univerſe de leonis luſtro, quemadmodum כַּרְמֶל transfertur ad ſignificandum tractum quemcunque amoeniorem et feraciorem infra XLVIII, 33." De feris beſtiis ad ripam Jordanis prophetam hic loqui, vidit et Chaldaeus, qui haec ita explicavit: וְאֵיכְדֵין אַתְּ מְדַמֵּי לְמֶעְבַּד כָּל קֳבֵל חֵיוַת בָּרָא דִּבְרוּם יַרְדְּנָא *quomodo* igitur *putas facere contra beſtias agri, quae in alto Jordanis?* Jam vero, ſingulis hujus Verſus phraſibus explicatis, videndum eſt, quo ſpectet duplex hoc Verſus propoſita ſimilitudo? In quo quidem magnopere inter ſe diſſentiunt interpretes. Hebraei fere conſentiunt in ea interpretatione, quam a patre ſuo traditam protulit et ipſe probavit Davides Kimchi. Ea talis eſt: docet Deus prophetam, ad ſuam quaeſtionem reſpondens, ne temere perquirat divina conſilia in mundi gubernatione.

Non

Non potuisti, inquit, *contendere cum peditibus*, i. e. tui similibus, Anathotaeis, *et quomodo provocas equos, ut cursu cum iis certes.* Nesciebas, Anathotaeos, contribules tuos, tibi exitium meditari, et interrogas, qua ratione ego gubernem hunc universum mundum? Ecce, cucurristi cum contribulibus tuis, et illi anteverterunt te, quid putas, fiet, si cursum institueris cum equis, i. e. cum principibus et magnatibus Hierosolymae, et qui inflantur quasi Jordanes? Quae interpretatio tamen minime talis est, quae satis concinnam et bene cohaerentem sententiam fundat. Nec quem alii huic Versui inesse putant sensum: conatus es cives tuos, Anathotaeos, in rectam viam adducere, quod assequi non potuisti, imo fatigaverunt te et afflixerunt; quodsi pedites illi te fatigarunt, longe magis te fatigatur, sunt Hierosolymitani, qui te majori odio prosequuntur magisque te affligent, nec hunc, inquam, sensum genuinum arbitramur. Propius ad veritatem videtur Grotius accessisse, Versum in hunc modum interpretatus: „Deus Jeremiam alloquens significat, exigua esse, de quibus querebatur, nempe contumelias et minas Anathotensium, prae iis malis, quae ipsi allaturi essent Hierosolymitani. *Cum in terra pacis securus fueris,* supple: et tamen praeter exspectationem insidiae tibi factae sunt. *Terra pacis* indicat amicos et cognatos, de quibus mox Vs. 6.“ Verum ex eodem Versu patet Anathotensium insidias non ut minus malum, sed ut maximum describi. Incipit enim: כִּי גַם *nam etiam* etc. Rectius itaque J. D. Michaelis sensum hujus Versus, quo Deus prophetae respondet, hunc esse perhibet: si tibi jam mirum videtur, hocque te angit, quod lentus ad poenam sim, nec illico in impios, qui in te ne quidem injuriosi fuerunt, nec ulla aliqua ratione tecum conjuncti sunt, animadvertam, quid judicabis certior a me factus, de injuriis tibi factis a tuis, et insidiis, quae vitae tuae a consanguineis adeo struuntur. Consentit in rei summa Schnurrerus, utramque, inquiens, „quam Versus 5. amplectitur sententiam proverbii speciem habere

dixe-

dixeris, certe utriusque nonnisi unum eundemque fere sensum esse suadet tota orationis forma et compositio. At vero prior illa formula: *cum peditibus decurrens deficit,* quum omnino talem significet, qui ne levioribus quidem et quotidianis molestiis sufficiat; altera, *in pacata ille terra bono est animo,* non potest nisi ad eundem fere sensum referri. Nec inepte, imo acute etiam, qui timido animo, humili, demisso fractoque est, negatur in tuto quidquam metuere; quemadmodum, ut hoc utamur, Latine dixeris: in vado haud timet mergi. Nobis quidem satisfacit sententia haec: tu quidem in tuto loco audeas bono esse animo, at quid tum fiet, ubi in loca incideris leonibus infesta? Igitur quod Deus significat prophetae hoc est: festinantius ipsum querimoniis indulgere; quae adhuc expertus sit mala atque incommoda, levia esse, multo autem graviora instare, de quibus necdum cogitet; nimirum familiaribus etiam et consanguineis tam odiosum ipsum esse et invisum, ut et ipsi tollendum eum esse existiment." Longe a scopo aberravit Hieronymus, qui Versu hoc et proximo mala Judaeis denunciari ratus, hunc Versum sic exposuit: „Si, inquit (Deus), te crebra vicinarum gentium captivitas fatigavit, Moabitarum et Ammonitarum, Philisthaeorum et Idumaeorum, quid facies ad longam captivitatem, quae te Chaldaeam usque ductura est? Et comparat pedites equitibus, quia re vera et juxta historiam omnis Persis et universa Chaldaea, et regionum illarum exercitus gaudet equitatu. Istae autem gentes, quas supra memoravi, propter difficultatem locorum, non tam pugnae aptae sunt, quam latrocinio. Servatque metaphoram et dicit: si cum peditibus currens lassitudine defecisti, quid facies, si equis cursum tuum volueris coaequare? Et si in terra tua aliquam habuisti fiduciam, quid actura es, quum Jordanem transieris, et illius gurgites sustinueris."

6. Plenius declarat Deus, quae ipsum maneant mala majora, insidiae ab ipsis cognatis suis et contribulibus, Anathotaeis, vitae suae structae. Sunt vero in hoc Versu

Verſu verba קָרְאוּ אַחֲרֶיךָ מָלֵא dubiae interpretationis ob vocem מָלֵא, quam plures Hebraeorum, ut JARCHI et KIMCHI, pro nomine, *congregationem* ſignificante habent (ut Arabicum مَلَأ *coetus, hominum turba*), ut vertendum ſit: *clamant poſt te congregantes ſe,* ſ. *turmatim,* ac ſi dicat: congregati ſunt poſt te, ut, ſi vaticinatus fueris, terreant te. Ita jam Graecus Alexandrinus: *καὶ αὐτοὶ ἐβόησαν, ἐκ τῶν ὀπίσω σου ἐπισυνήχθησαν.* Verum מָלֵא quoties in V. T. occurrit eſt vel tertia Praeteriti Cal, vel Adjectivum, *plenus. Congregationem* denotat מְלֹא. JOSEPHUS KIMCHI מָלֵא hic conciſe dictum putat pro מָלֵא לִבְּךָ *plenus* eſt *cor tuum,* i. e. audax, imperterritus, et collato מְלָאוֹ לִבּוֹ לַעֲשׂוֹת כֵּן *implevit eum cor ſuum,* i. e. auſus eſt *ita facere,* quae phraſis eo ſenſu Eſth. VII, 5. legitur. Quaſi hoc dicat Deus: quamvis te vaticinari vetent, propoſita poena mortis, tu tamen intrepidus meo nomine vaticinari pergis. Eam ſententiam vero vates ſimplici מָלֵא juſto obſcurius expreſſiſſet. Alii adverbialiter ſumunt *plene,* i. e. pleno gutture, *plena voce,* ut habet Hieronymus, collato ſupra IV, 5. קִרְאוּ מַלְאוּ *clamate plena voce.* Ita et LUTHERUS: *und schreien Zeter über dich.* Cui interpretationi quamvis non faveant Accentus, quum accentus diſtinctivus major, *Tiphcha,* voci אַחֲרֶיךָ appoſitus, eam cum מָלֵא illo ſenſu conjungere haud permittat, tamen aptior ad rem videtur, quam quod SCHLEUSNERUS verbis *plena voce poſt te clamant* hoc ſignificari autumat: quanquam plena voce te laudibus et encomiis celebrant. J. D. MICHAELIS מָלֵא mutato in מִלֵּא ſic vertendum putat: *occurrunt tibi* officioſe (קָרָא poſito pro קָרָה), *et* honorifice *te comitantur,* adhibito loco Num. XIV, 24. וַיְמַלֵּא אַחֲרָי *et implevit* ſcil. ire *poſt me,* conf. not. ad eum locum. Cui interpretationi vere obvertit SCHNURRERUS, abhorrere ab hoc loco vocis אַחֲרֶיךָ cum verbo מִלֵּא conjunctionem; formula enim מִלֵּא אַחֲרֵי יְהוָה, quae de Calebo dicitur laudato Numerorum loco, deinde etiam de Joſua Cap. XXXII,

11. 12., ſignificat, utrumque Jovam ſectatum eſſe ita, ut conſtans, plenum perfectumque obſequium ei praeſtaret; qui ſenſus ab hoc loco eſt alieniſſimus. Neque, ut ſupra vidimus, admittunt Accentus, אַחֲרֶיךָ cum מָלֵא conjungere. Quae quum ita ſint, una reſtat a Seb. Schmidio propoſita hujus loci interpretatio, et Schnurrero probata, quae talis eſt: *etiam illi clamant poſt te: plenus eſt*, i. e. maturus eſt ad caedem, ut מָלֵא conciſe dictum ſit pro מָלֵא יָמִים ſupra VI, 11., implevit ſuum vivendi tempus. Cui ſententiae convenit quod ſupra XI, 19. prophetae populares de eo occidendo cogitaſſe dicuntur. Hoc igitur volunt haec verba: pone te, i. e. poſt tuum ab illis diſceſſum, palam te nece dignum eſſe pronuntiant; quibus addit Jova, poſteriore Verſus hemiſtichio, monitum de fide iſtis hominibus non adhibenda, etiamſi blandiuſculis verbis uſi fuerint.

IX.

IX.

Plectendos praenunciat Judaeos ad meliorem frugem revocandos, perdendos vero populos illis vicinos, qui Jovam Deum agnoſcere renuerint.

Cap. XII, 7—17.

ARGUMENTUM.

Jova terram Judaicam barbaris hoſtibus depopulandam et vaſtandam ſe permiſſurum eſſe denuntiat (XII, 7—13.); tum vero ſe et in populos Judaeis vicinos, qui, quum prius eis auctores ad idolorum cultum exſtiterint, in eorum terram manus intulerint, graviter animadverſurum (Vs. 14.). Denique vero et ſuo populo et ei vicinis populis ſpem facit, ſe illorum omnium miſerturum, et in ſuam quamque terram revocaturum eſſe (Vs. 15.), ſed, ad populos quod attinet, ea ſub conditione, ut Jovae cultoribus ſe aggregent (Vs. 16.), renitentes perditum iri (Vs. 17.).

Interpretum plures, inter quos Venema, malorum denunciationem, ſupra XI, 17. coeptam, ſed inſidiarum prophetae ab Anathotenſibus ſtructarum mentione interruptam (XI, 18—XII, 6.), hac pericopa continuari exiſtimant. Verum particulam ſuperiorem (XII, 1—6.) neque cum iis, quae praecedunt, neque cum iis quae ſequuntur, cohae-

cohaerere, adeoque a reliquis ſeparandam eſſe, vidimus in Argumento ad illam. Eichhornius (*Bibl. Propheten* P. II. p. 228.), quem ſequitur Dahlerus (*Jerémie* p. 201.), Verſus 7—13. nectit ſuperioribus, quae inde ab XI, 18. unam continuam orationem, regnantis Zedekiae initiis habitam, efficere, Verſus 14—17. vero ſeorſum oraculum eodem fere tempore editum arbitratur (*Bibl. Propheten* P. II. p. 232.), niſi quod Dahlerus (*Jerémie* p. 173.) id ſeptimo aut octavo Jojakimi anno aſſignet, cum Moabitae et Ammonitae Chaldaeis juncti in terram Judaicam irruptionem feciſſent (2 Reg. XXIV, 2.). Nobis tamen, quum Vs. 14. manifeſte reſpiciat Verſum 7., quo utroque terram Judaicam Jova *ſuum* vocat *patrimonium*, inde a Verſu 7. usque ad Capitis finem una oratio continuari videtur. Eam haud dubitamus illi tempori aſſignare, quo a Nebucadnezare deſciverat Zedekias (2 Reg. XXIV, 20.), et cum vicinis populis foedus ad illum debellandam inierat (infra XXVII, 2. ſeqq.), quod quam male ceſſurum eſſet foederatis, prophetae animus vere praeſagibat. Ceterum quod quae alias plerumque novo oraculo praemitti ſolet formula: *ita dixit mihi Jova;* vel: *hic eſt ſermo, quem Jova habuit ad Jeremiam,* ab hujus initio abeſt, me adducit ut credam, eſſe hanc pericopam longioris alicujus orationis fragmentum, aut partem extremam.

XII. 7. Deſerui meam domum, dereliqui meum
patrimonium, addixi id quod meo animo
8. erat cariſſimum, ejus hoſtium manibus. Eſt
mihi meum patrimonium quaſi leo ſylveſtris,
me ſua voce perſequens, ideoque ego id
9. odi. Ecce beſtia rapax, hyaena, factus eſt
populus meus, en! beſtiae rapaces undique
in eum irruent. Agite, congregentur omnes
agre-

agrestes bestiae, adducite eas ad epulandum.
Multi pastores corruperunt meam vineam, 10.
proculcavere meum fundum, meum carum
mihi fundum in vastam redigere solitudi-
nem. Is in vastam redactus solitudinem 11.
apud me luget; vastata est tota haec regio,
quia nemo ad id animum advertit. Om- 12.
nia deserti cacumina pervadunt depopula-
tores. Jovae gladius regionem ab extremo
ad extremum conficit, ita ut nihil mortale
pacem habeat. Triticum seminarunt et spi- 13.
nas metunt, debilitati sunt, non proficiunt.
Pudeat vos vestrorum proventuum, ob ar-
dorem irae Jovae. Sic minatur Jova om- 14.
nibus malis vicinis, qui laedunt patrimo-
nium, quod ipse suis dedit Israelitis possi-
dendum: Ego et eos e sua terra, et Judaeam
domum ex medio eorum evellam. Ac post- 15.
quam eos revulsero miserabor eos, reconci-
liatus, et in suum quemque patrimonium
terramque revocabo. Quodsi illi populi mei 16.
instituta sequantur, et per meum viventis
Jovae nomen jurent, quemadmodum eos
per Baalem jurare docuerunt; exstruentur
inter populum meum. Sin non obtempe- 17.
raverint, eam ego gentem perdam funditus,
inquit Jova.

NOTAE.

N O T A E.

Cap. XII, 7. Verba in tempore praeterito posita hoc Versu et iis qui sequuntur, sunt de futuro aut praesente tempore capienda, qua anticipatione nihil potest esse efficacius ad res clare et evidenter demonstrandas, et paene sub adspectum subjiciendas, adeoque in poësi prophetica saepissime locum habet; vid. e. c. Jesaj. X, 28—32. descriptionem exercitus adversus Hierosolymam moventis, et cf. J. D. Michaelis not. 75. ad *Lowthii Praelect. XV. de Sacra Hebraeor. Poësi*, p. 527. edit. Lips. עָזַבְתִּי אֶת־בֵּיתִי *Reliqui domum meam*, quia adeo corrupta sunt omnia ipsum Templum tueri desinam. נָטַשְׁתִּי אֶת־נַחֲלָתִי *Dimisi haereditatem meam*, populum Judaicum abduci sinam. Cf. Deut. XXXII, 9. *Portio Jovae est populus suus*, יַעֲקֹב חֶבֶל נַחֲלָתוֹ *Jacobus est funis*, portio, *haereditatis suae*. נָתַתִּי אֶת־יְדִדוּת נַפְשִׁי בְּכַף אֹיְבֶיהָ *Dedi dilectionem animae meae*, i. e. populum, quem dilexeram, ut recte Chaldaeus, *in manum inimicorum ejus*.

8. הָיְתָה־לִּי נַחֲלָתִי כְּאַרְיֵה בַיָּעַר *Facta est mihi haereditas mea sicut leo in sylva*, sicut leonis rugitus hominibus tantum terrorem incutit, ut aufugiant ab eo loco, ubi illum audiunt, sic ego fugio populum, prius mihi dilectum, nunc ob sua flagitia horrori mihi factum. נָתְנָה עָלַי בְּקוֹלָהּ *Edidit namque contra me voce sua* rugitum s. fremitum. De phrasi נָתַן בְּקוֹלוֹ vid. not. ad Ps. XLVI, 7. *Rugitu leonis* Kimchi hic clamorem pauperum, qui a potentioribus vim patiuntur, significari existimat. Sed recte Bochartus *Hieroz.* P. I. L. Cap. 5. T. II. p. 89. edit. Lips. „Dei verba sunt, de Judaeis conquerentis, quod, ferae instar indomitae, in dominum suum insurgant, et in eum quasi rugiant, id est, blasphema lingua obloquantur."

9. In hoc Versu explicando interpretibus haud parum negotii facesserunt voces עַיִט et צָבוּעַ. Et priorem quidem vocem, עַיִט, quod attinet, eam antiquiores interpretes, Graecum Alexandrinum si excipias, *avis rapacis* signi-

ſignificatu ceperunt, quem ſane obtinet Geneſ. XV, 11. Job. XXVIII, 7., cf. nott. ad ea loca; צָבוּעַ vero plerique *tinctum coloribus,* a צָבַע, Arabice صبغ, *tinxit* pannum, denotare exiſtimarunt. Ita Hieronymus, qui prius Verſus hemiſtichium, הַעַיִט צָבוּעַ נַחֲלָתִי לִי הַעַיִט סָבִיב עָלֶיהָ, ſic vertit: *Nunquid avis discolor haereditas mea mihi? nunquid avis tincta per totum?* Quorum verborum ſenſum in Commentario hunc eſſe tradit: „*Avem discolorem tinctamque per totum* juxta literam *pavum* vocat. Tantam, inquit, habuit pulchritudinem Iſrael, et tantis fuit Jeruſalem diſtincta virtutibus, ut nihil eſſet bonorum, quod non cerneretur in ea.“ Verum ut taceamus, hanc ſententiam ſi vates exprimere voluiſſet, eum הֲלֹא עַיִט *nonne avis discolor* vel. fuit? ne videretur id negare quod afſirmat; illi interpretationi et hoc obſtat, quod ad *pavonem* ſignificandum nomen עַיִט parum apte adhibitum eſſet, quum ille non ſit avis rapax. Attamen et Syrus ܦܪܚܐ ܡܨܒܥܬܐ *avis picta* vertit, nec aliam videtur Chaldaeus intellexiſſe, qui עוֹפָא דְמִתְפַּבַּר *avis ſparſa* ſ. *conſperſa,* ſcil. coloribus, reddidit. Ex Hebraeis Jarchi *ave colorata* noctuam indicari exiſtimat, ſanguine foedatam, aut maculis rubris adſperſam, in quam aliae aves involant. Josephus Kimchi Verſum ſic exponit: „Num avis ſanguine occiſorum tincta erit in circuitu ſuper haereditatem meam, quam mihi elegi? Et quum ſaturatae fuerint aves, venient beſtiae agri ad comedendum, quas invitat his verbis: *agite, congregate omnes feras agri.* Sic enim fieri ſolet, ut primum aves in cadavera involare ſoleant, et poſt eas ferae beſtiae occiſorum locum explorent.“ At ſi haec mens propheta fuit, interrogatione non erat opus. Sunt qui עַיִט צָבוּעַ *avem digitatam,* i. e. uncis unguibus in praedam involantem denotare exiſtiment, ab אֶצְבַּע *digitis.* Verum ab eo nomine Adjectivum non eſſet צָבוּעַ, ſed אֶצְבָּעִי, ut ab אֶזְרָח אֶזְרָחִי, 1 Reg. V, 11. Viam ad genuinum hujus loci ſenſum eruendum primus monſtravit Bochartus *Hieroz.* P. I. L. III.

L. III. Cap. 11. T. II. p. 176. edit. Lipſ., qui nomen עַיִט non ſolum de avibus, verum et de feris beſtiis dici obſervavit (cf. Ezech. XXXIX, 4.), et צָבוּעַ *hyaenam* eſſe docuit (l. I. p. 164.), collato Arabico ضَبُع, quomodo et Graecus Alexandrinus vertit, vid. infra. Hinc Verſum ſic interpretatur: „*An igitur eſt fera rapax hyaena, haereditas mea erga me? An eſt fera rapax circumquaque ſuper eam?* Id eſt: num Judaei, quos in filios et haeredes adoptaveram, usque adeo omnem ſenſum humanitatis perdiderunt, ut hyaenarum inſtar ſint? An feras dicam pro hominibus incolere terram illam, quam elegeram? quum moribus efferatioribus, quam ulli barbari, imo quam rapaciſſimae belluae utantur? Ita eſt omnino; jam ferae ſunt, non homines. At ego in feras illas alias feras immittam, Chaldaeos, a quibus terra deſolabitur. Id dicit ſequens apoſtrophe: *Ite, congregamini, omnes agri beſtiae, venite ad vorandum!*" Quam interpretationem tamen merito improbat Schnurrerus, hac de cauſa, quod, ſi interrogantis eſſet oratio, dicendum fuerit: הֲלֹא עַיִט צָבוּעַ, ne quidquam ineſſet dubitationis, quae locum habere nequit poſt gravem illam affirmationem Vs. 8. *Populus meus peculiaris factus eſt mihi ut leo ſylveſtris.* „Verum," pergit, „nomini עַיִט praefixum ה non eſt interrogantis, ſed demonſtrantis, quod, docente N. G. Schroedero *Inſtitutt. ad fundamm. ling. Hebr.* Sect. IX. Reg. CLVII. 6., commode reddi poteſt: *ecce! ſane*, ut Ezech. XXXVIII, 17. הַאַתָּה־הוּא *tu ſane es ille*, et 1 Sam. XVIII, 20. הַחַיִל הַיֹּצֵא *exercitus ecce! egrediens fuit.* Vidit hoc etiam Alb. Schultens, (in Notis ad *Excerpta ex Hamaſa*, ad calcem Grammaticae Arabicae Erpenianae a ſe editae, p. 442.), ſed non prorſus ſatisfacit quam ille exhibuit verborum converſio: *Heus fera rapax hyaena, haereditatem mihi meam, heus fera rapax, undiquaque ſuper eam* involato! Nos vero locum ſic exponimus: *Ecce! beſtia rapax, hyaena, factus eſt mihi po-*

pu-

pulus meus; en! bestiae rapaces undique in eum irruent, h. e. Judaei jam hyaenae magis sunt quam homines, at ego in feras illas alias feras immittam, Chaldaeos. Verbis אִסְפוּ לְכוּ animo praemittendum est אֹמַר *dicam: agite, colligite omnes bestias, educite eas ad edendum.* Si verum sit, quod J. D. Michaelis existimat, verba illa Vs. 8.: *facta mihi est haereditas mea instar leonis*, habere aliquid Deo indignum, nec Dei verba esse, sed prophetae interpellantis; eodem modo et de his: *facta mihi est haereditas mea instar ferae rapacis*, statuas necesse est. Sed continuum, non alternum esse sermonem, qui initium habet Vs. 7., vix habere potest quidquam justae dubitationis." הֵתָיוּ *Adducite*, Imperativus Hiphil verbi אָתָה, pro הַאְתִיוּ, ut Jesaj. XXI, 14. Alexandrinus, Hieronymus et Syrus vertunt *venite*, quod אֲתָיוּ esset. Graecus Alexandrinus prius Versus hemistichium sic reddidit: Μὴ σπήλαιον ὑαίνης ἡ κληρονομία μου ἐμοί, ἢ σπήλαιον κύκλῳ αὐτῆς ἐπ᾽ αὐτήν; *Nunquid spelunca hyaenae haereditas mea mihi? an spelunca in circuitu ejus super eam?* uti Graeca illa vertit Hieronymus, qui in Commentario notat: „Sin, ut Septuaginta et alii interpretes transtulerunt, legatur; referamus ad immunditiam nocturnae bestiae, quae vivit cadaveribus mortuorum, et de sepulchris solet effodere corpora, nihilque est immunditiae, qua non vescatur. Talis est Israel offendens Dominum suum, et omnium bestiarum morsibus traditus." Recte quidem Graecus interpres solus omnium veterum צָבוּעַ *hyaenam* vertit, sed male עַיִט *speluncam* reddidit, collato, uti videtur, Arabico غايط *terra cava depressiorque, ubi quis latere possit*, qua significatione Hebraeis עַיִט non videtur usitata fuisse.

10. רֹעִים רַבִּים *Pastores multi*, i. e. reges, ut recte Chaldaeus vertit. Intelligitur Nebucadnezar cum ducibus suis bellicis (ut supra VI, 13.), qui exercitus ducunt, ut pa-

paftores fuos greges. שִׁחֲתוּ כַרְמִי *Perdiderunt vineam meam,* i. e. Ifraelem qui, Jefaj. V, 7. expreffe *Jovae vinea* dicitur. Hinc Nah. II, 3. hoftes legimus *propagines Judaeorum et Ifraelitarum corrupiffe.* בֹּסְסוּ אֶת־חֶלְקָתִי *Conculcarunt* per greges f. exercitus fuos *agrum meum.* חֶלְקָה, quod proprie in univerfum *partem, portionem* notare conftat, h. l. *partem terrae, agrum* (חֶלְקַת־הַשָּׂדֶה Genef. XXXIII, 19.) fignificat, ut 2 Sam. II, 16. XIV, 30. Hinc Jarchi hoc nomen hic Gallico *campagne* interpretatur. Graecus Alexandrinus בֹּסְסוּ vertit ἐμόλυναν; *polluerunt.* Videtur interpretis menti obverfatus effe locus Zach. X, 5. גִּבֹּרִים בּוֹסִים בְּטִיט חוּצוֹת *fortes qui conculcant* adverfarios *in coeno platearum.* אֶת־חֶלְקַת חֶמְדָּתִי *Portionem,* i. e. agrum, terram *defiderii mei,* mihi prae aliis caram, uti fupra III, 19. Pf. CVI, 24. Canaan אֶרֶץ חֶמְדָּה *terra exoptatiffima* vocatur. נָתְנוּ לְמִדְבַּר שְׁמָמָה *Reddiderunt defertum defolationis,* i. e. defolatiffimum, ut Joel II, 3. IV, 19. Graecus Alexandrinus h. l. ἔρημον ἄβατον *defertum invium* vertit.

11. שָׂמָהּ *Pofuit,* reddidit *eam,* terram mihi defideratam, חֶלְקַת חֶמְדָּתִי Vs. 10., fcil. hoftis. Quum in Verfu fuperiore de *hoftibus,* in Plurali, loquutus effet, debuiffet nunc שָׂמוּ אוֹתָהּ dicere. Sed ubi de collectivis agitur, in eodem fermone nunc Pluralis, nunc Singularis ufurpari folet. Ita Jefaj. XXIII, 13. vates poftquam de Chaldaeis Tyrum aggreffuris in Plurali loquutus effet, addit in Singulari: שָׂמָהּ לְמַפֵּלָה *reddet eam ruinam.* Alexandrinus imperfonali loquendi modo fumfit, fubaudito Participio שָׂם *pofuit* fcil. ponens *eam,* i. e. ponitur; vertit enim ἐτέθη. אָבְלָה עָלַי שְׁמֵמָה *Luget propter me,* quod eam reliquerim (Vs. 7.), *defolata* terra. כִּי אֵין אִישׁ שָׂם עַל־לֵב *Quia nemo* eft qui *ad cor ponit,* i. e. qui ad animum revocet, qui curet (ut Jefaj. XLII, 25. LVII, 1. 11.), fcil. meas et aliorum prophetarum adhortationes. Chaldaeus: אֲרֵי לֵית אֱנוֹשׁ דִּמְשַׁוֵּי דַחְלְתִי עַל לִבָּא *quia nullus eft homo, qui timorem mei in corde fuo reponat.* Alii: quam-

quamvis nemo animum advertat scil. ad totius hujus regionis vastationem, ut haec verba querimoniam contineant de obstinato stupore sub afflictionibus.

12. עַל־כָּל־שְׁפָיִם בַּמִּדְבָּר בָּאוּ שֹׁדְדִים *Super omnes clivos in deserto veniunt,* advolant, festinant *vastatores ad* hanc regionem occupandam et vastandam. Kimchio מִדְבָּר h. l. sunt loca invia, in quibus pecudes pascuntur, quae nec ipsa vastationis immunia futura sint. De שְׁפָיִם vid. not. ad III, 2. חֶרֶב לַיהוָה *Gladius* qui est *Jovae,* i. e. Jovae gladius, ab eo immissus. Alii: *gladius* hostis qui *est Jovae,* i. e. ei inservit ad poenas exercendas, quemadmodum Ps. XVII, 13. impius vocatur Jovae gladius. מִקְצֵה אֶרֶץ וְעַד־קְצֵה הָאָרֶץ *Ab extremitate terrae ad extremitatem terrae,* i. e. late per omnes extra Judaeam terras gladius hostium saeviet.

13. Verba זָרְעוּ חִטִּים וְקֹצִים קָצָרוּ *severunt tritica, sed spinas messuerunt* plures figurate dicta putant, nec tamen uno modo intelligunt. Chaldaeus: לָא תֶהווּן דָּמַיִן לְדִזָרְעוּ חִטִּין עַל בַּיִר וְלָא מַשְׁכְּחִין לְמִכְנַשׁ אֱלָהֵן כּוּבִין וּמֵעַלְלָתְהוֹן לֵית לְהוֹן הֲנָאָה *Nolite similes esse his qui seminant triticum in agro, et non inveniant quod colligant, nisi spinas, et ex fructu eorum non est illis utilitas.* Hieronymus: „Meliora," inquit propheta, „exspectaverunt, et venerunt pessima; sperabant prospera, et adversa perpessi sunt; acceperunt a Domino rerum omnium abundantiam, quae eis non proderit." נֶחְלוּ, quod post verba illa sequitur, vertit *haereditatem acceperunt,* itemque, sed alia constructione, Graecus Alexandrinus, οἱ κλῆροι αὐτῶν οὐ ὠφελήσουσιν αὐτούς, quasi a נָחַל esset, sed hujus verbi Imperativus est נֶחְלוּ. Jarchi sensum hunc esse ait: orant, nec eorum oratio exauditur, propterea quod novale conversionis et bonorum operum sibi non novellarunt, ideo seminarunt inter spinas, ut supra IV, 3. Praeterea observat Jarchi, se in quodam libro זִרְעוּ *seminate* scriptum vidisse, quod rejicit, probat vero J. D. Michaelis, quia in fine Versus sequitur suffixum secundae personae pluralis (מִתְּבוּאֹתֵיכֶם), et Alexandrinus

quoque, Syrus et Chaldaeus Imperativum exhibent. DAV. KIMCHI haec de prophetis incassum laborantibus intelligit, qui seminaverunt bonum semen, et Hebraei ita non responderunt fructibus, ut non frumentum, sed spinas carduosque messuerint. JOSEPHUS denique KIMCHI hoc Versu putat Judaeos tecte reprehendi ob eorum ab Aegyptiis auxilia sibi comparandi studium, quod iis tandem perniciei fuit. Quae tamen omnia artificiosa nimis nec satis concinna videntur. Nos quidem haud dubitamus adstipulari VENEMAE judicanti, Versum simpliciter hoc dicere, agros frugiferos, unde triticum solebant metere, nunc plaue desolatos fore, ut nil nisi pudorem afferant possessoribus et cultoribus eorum, sive sensus sit, agros ab ipsis magno labore excultos et consitos ita esse hostilibus incursionibus vastandos, ut in posterum nil nisi spinas proferant; sive etiam, agros conferi alias et excoli magno labore solitos, in sterilia loca esse commutandos, ut non nisi spinae excrescant, omni cultura cessante. נֶחְלוּ *Debilitati sunt,* i. e. laborarunt ad debilitatem et lassitudinem usque in colendis agris, sed frustra. וּבֹשׁוּ מִתְּבוּאֹתֵיכֶם מֵחֲרוֹן אַף־יְהוָה *Pudefiatis igitur a proventibus* hisce *vestris,* spinis, quae loco tritici vobis proveniunt *ob excandescentiam irae Jovae.* J. D. MICHAELIS haec verba sic interpretatur: „pudeat pudebitque vos proventuum vestrorum, in quibus nil habebitis nisi irae divinae argumenta. Recordemur, frequens esse Hebraeis, de sterilitate et fame ut de re pudorem injiciente loqui; vid. Ezech. XXXVI, 30. Joel II, 26. 27." Pro verbis וּבֹשׁוּ מִתְּבוּאֹתֵיכֶם Graecus Alexandrinus habet haec: *αἰσχύνθητε ἀπὸ καυχήσεως ὑμῶν.* Videtur, ut Spohnius conjicit, מתפארתכם legisse, quod Alexandrini Ezech. XVI, 12. 17, 39. XXIII, 26. et alias hoc modo verterunt. Postremis Versus verbis, מֵחֲרוֹן אַף־יְהוָה in Graeca versione respondent haec: *ἀπὸ ὀνειδισμοῦ ἔναντι Κυρίου,* quasi interpres מחרפה legisset, *ἔναντι* videtur explicandi caussa addidisse, quoniam *ὀνειδισμὸς Κυρίου* obscurum est.

14.

14. De hoc Verſu et iis qui ſequuntur conf. Argumentum. In verbis כֹּה אָמַר יְהוָה עַל־כָּל־שְׁכֵנַי הָרָעִים *ita dicit Jova de omnibus vicinis meis malis* prophetae et Dei verba miſcentur; ſequitur enim Dei ipſius loquentis ſermo. Gaabius illa verba prophetae eſſe putat, Dei vero, quae inde a הַנֹּגְעִים ſequuntur, ut interpretatio hunc in modum ſit inſtituenda: *ſic dicit Jova contra vicinos meos malos; quod eos attinet, qui animo hoſtili tangunt ...., eos evellam.* Sed eodem plane, quo hic, modo prophetae et Dei verba permiſcentur infra XIV, 15. כֹּה־אָמַר יְהוָה עַל־הַנְּבִיאִים הַנִּבְּאִים בִּשְׁמִי *ſic dicit Jova de prophetis, qui meo nomine vaticinantur. Vicinos ſuos* appellat Deus Aegyptios, Philiſthaeos, Ammonitas, Moabitas, quod terrae illi, quam ſupra Vs. 10. *carum ſuum agrum* vocaverat, vicini eſſent. הַנֹּגְעִים בַּנַּחֲלָה *Qui tangunt,* i. e. דְּמַנְזְקִין *qui laedunt,* ut Chaldaeus vertit, *haereditatem,* terram jure haereditario poſſidendam. Ita et Zachar. II, 12. הַנֹּגֵעַ בָּכֶם נֹגֵעַ בְּבָבַת עֵינוֹ *qui vos,* Hebraeos, *laedit, laedit pupillam oculi ſui,* Dei. הִנְנִי נֹתְשָׁם מֵעַל אַדְמָתָם *En! ego evellam eos e terra ſua,* in alias terras exſules transplantandos; antea vero אֶת־בֵּית יְהוּדָה אֶתּוֹשׁ מִתּוֹכָם *domum Judae evellam e medio eorum*, adhuc dum aliquantisper ſalvorum, a populo meo ſuppliciorum exſequendorum initium facturus, uti infra XXV, 29. dicitur. Sunt qui poſteriora haec verba de populo Hebraeo e terris exteris, in quas deportati fuerint in patriam reſtituendo intelligant. Quod tamen haud permittit uſus verbi נָתַשׁ, quod conſtanter in malam partem, et 1 Reg. XIV, 15. ſpeciatim de populi Hebraei deportatione in exilium uſurpatur. Accedit, quod Hebraei non ad *vicinos,* ſed ad longinquos Chaldaeos abducti ſunt. Conf. et Vs. 15. initium.

15. אָשׁוּב וְרִחַמְתִּים *Redibo et eorum miſerebor,* i. e. eorum rurſus miſerebor, ita enim uſurpatur Verbum שׁוּב alii Verbo junctum ſignificatu adverbiali, vid. e. o. Geneſ. XXVI, 18. et cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 822. Ceterum quod

 hoc

hoc Versu continetur promissum non ad populos restringendum est, sed ad Judaeos quoque pertinet, quum *omnes* hic intelligantur, quorum modo facta erat mentio. Moabitas et infra XLVIII, 47. et Ammonitas XLIX, 6. terrae suae restituendos futuro aliquo tempore promittit. „Omnes isti," ait Jarchi, „puniti sunt circa illud tempus, quo templum (Hierosolymitanum) vastatum est."

16. לְהִשָּׁבֵעַ בִּשְׁמִי *Jurando per nomen meum*, me Deum colendo, quem in summo honore habent, praesertim cum poenas pejeranti imprecantur. Hinc Ps. LXIII, 12. Jovae cultores כָּל־הַנִּשְׁבָּע בּוֹ *omnes qui per eum jurant* vocantur; cf. not. ad eum loc. et Jesaj. XIX, 18. — וְנִבְנוּ *Tunc aedificabuntur*, stabiles et pacatas sedes recuperabunt; oppositum est evulsioni, Vs. 14. Sensus hujus Versus est hic: si populi Hebraeis vicini, qui iis auctores fuerunt ad idololatriam, nunc melius a Judaeis instituti ad me, id est, unius Dei cultum se referant, vivent placide in vicinia Judaeorum, et inter ipsos, nemine iis nocente.

17. וְאִם לֹא יִשְׁמָעוּ *Si vero non audierint*, adhortationibus de relinquendo idolorum cultu non fuerint obsequuti. Graecus Alexandrinus: ἐὰν δὲ μὴ ἐπιστρέψωσι, *si vero se non converterint*. Similes minas in eos populos, qui Hebraeis, Jovam Deum colentibus, se aggregare renuerint, vid. Jesaj. LX, 12. Zach. XIV, 17.

X.

X.

Denuntiatur Hierofolymae urbis et totius reipublicae Judaicae excidium propter fummam ejus corruptionem.

Cap. XIII.

ARGUMENTUM.

Populi Judaici infignibus beneficiis Deo obftricti ingratum erga eum animum, fummamque illius depravationem, vates fiftit imagine linei cinguli per aliquod tempus fibi adpliciti, tunc in caverna occultati, fed ibi ita corrupti, ut nulli rei utilis effet (Vs. 1 — 11.). Deinde eundem illum populum fanae mentis ftatu deturbatum et perniciofa fibi confilia tenentem defcribit, fimilitudine petita a lagenis vino repletis (Vs. 12 — 14.). Hortatur fuos, ut quod iis immineat exitium refipifcendo avertere ftudeant (Vs. 15. 16. 17.). Tum ad regem ejusque matrem converfa oratione, iis denunciat, fore, ut regia dignitate fpolientur, et populus captivus abducatur (Vs. 18. 19.). Denique oftendit, Judaeos graviffima, quae ipfis immineut, mala fuis fceleribus in fe concitaffe (Vs. 20 — 27.).

Quae hoc Capite continetur concio illi tempori affignandam effe, quo Jofiae regis nepos Jojachinus, five Jechonja, regnum Judaicum tenuit, colligere licet e Vs. 18., ubi praeter regem et regina, ejus mater, compellatur. Quae

Quae Vs. 19. 20. leguntur haud obscure indicant, occupasse tunc Chaldaeos plures Judaeae urbes, et in eo fuisse, ut ad urbem Hierosolymam exercitum admoverent. Videtur haec concio haud longe ante pericopam VI. Cap. X, 17—25. (vid. supra p. 321.) habita fuisse.

XIII, 1. Sic dixit mihi Jova: I comparatum
tibi cingulum lineum, idque tuis lateribus
accommodato, et ne in aquam immittito.
2. Igitur ego cingulum ex Jovae mandato com-
3. paravi, et meis lateribus accommodavi. Et
4. Jova mecum iterato loquutus est: Sume,
inquit, cingulum quod comparasti, quem
habes in lateribus, et ad Euphratem pro-
fectus, illud ibi in cavo rupis abscondito.
5. Itaque ivi, illudque ad Euphratem abscon-
didi, quemadmodum mihi Jova praeceperat.
6. Deinde multo post tempore Jova ita me al-
loquitur: Age, i ad Euphratem, et illinc su-
mite cingulum, quod ego te illic occultare
7. jussi. Ego ad Euphratem profectus cingu-
lum ex eo loco effodi, in quo illud abdide-
ram, quod quidem cingulum ita corruptum
offendi, ut ad nullam rem esset idoneum.
8. 9. Et Jova me alloquens: Sic dicit Jova, in-
quit: Sic ego tantum Judaeae Hierosoly-
10. maeque fastum corrumpam, efficiamque,
ut homines isti mali, qui meis dictis obtem-
perare recusantes animi sui pravitati obse-
quuntur, alienos sequentes deos, colendo

eos

eos adorandoque, ſimiles ſint iſtius cinguli,
quod ad nihil eſt idoneum. Ut enim ad- 11.
haeret cingulum lateribus hominis; ſic ego
mihi applicaveram omnem Iſraeliticam Ju-
daeamque domum, inquit Jova, ut mihi po-
pulus et famae, et laudi, decorique eſſent;
ſed non obtemperarunt. Igitur haec iis di- 12.
ces: Sic dicit Jova, Deus Iſraelitarum; om-
nis lagena impletur vino. Atque illi tibi di-
cent: num ſumus neſcii, omnem lagenam
vino impleri? Et tu eis dices: Sic dicit Jo- 13.
va: en! ego omnes iſtius terrae incolas, et
reges, qui pro Davide ſedent in ejus ſolio,
et ſacerdotes, et vates, et omnes Hieroſoly-
mitanos ebrietate implebo, eosque inter ſe 14.
collidam, parentes ſimul et liberos, inquit
Jova, nihil neque parcens, neque temperans,
neque miſereſcens, quo minus eos perdam.
Audite et auſcultate, ne inſoleſcatis, nam 15.
Jova loquitur. Tribuite Jovae, Deo veſtro, 16.
gloriam, antequam tenebras inducat, et an-
tequam offendant ad caliginoſos montes pe-
des veſtri, atque dum vos lucem ſperatis,
eam ille in ferales umbras redigat et in
tetram caliginem convertat. Si vero non 17.
obtemperaveritis, flebo ego in occulto iſtam
ſuperbiam, et lacrimabundi demittent oculi
mei lacrimas, quod Jova grex abactus eſt.
Dic regi et reginae: humi ſedete, nam veſtri 18.
decoris corona de capite veſtro deſcendet.

Au-

19. Auſtrales urbes clauduntur, nemine ape-
riente; abacta eſt tota Judaea, abacta peni-
20. tus univerſa. Attollite oculos et adſpicite
venientes a ſeptentrionibus! Ubinam eſt tra-
ditus tibi grex? ubinam ſunt tui decoris
21. oves? Quid dices, cum in te animadver-
tet? Tu vero illos contra te ipſam docuiſti
duces eſſe primarios. Nonne te dolores
invadent, quales parturientem feminam?
22. Quodſi cogitaveris in animo tuo, curnam
haec tibi acciderint? ſcito, ob tui criminis
magnitudinem tuas fimbrias retegi, violari
23. tuos calces. An Aethiops ſuam cutem, aut
pardus maculas ſuas mutabit? et vos recte
24. facere poteritis, edocti male facere. Itaque
vos ego diſſipabo, tanquam ſtipulas vento
25. e deſerto actas. Haec eſt ſors tua, portio
tibi a me admetienda, inquit Jova; quae
26. oblita mei confidis falſis. Ego quoque
fimbrias tuas in faciem tuam ſubducam, ut
27. appareant tua verenda. Tua adulteria, hin-
nitus, flagitioſam in collibus ſub dio luxu-
riam video. Hei tibi, Hieroſolyma! Poſt
quantum adhuc temporis non te munda-
bis?

N O T A E.

Cap. XIII, 1. הָלוֹךְ *Eundo* ſcil. ito, cf. not. ſupra ad II, 2. — וְקָנִיתָ לְּךָ אֵזוֹר פִּשְׁתִּים *Et compara tibi cingulum linteum.* Intelligunt plures interpretes cingulum ex-

te

terius, quod vestibus adstringendis inserviret. Et Dahler quidem de magni pretii cingulo cogitandum existimat, propterea quod illud divitis et luxuriosi populi imago esse deberet. Verum non ad ornatum Jeremiae mandatum est sibi cingulum comparare, sed ad arctissimam conjunctionem significandam, vid. infra Vs. 11. Quare vulgare cingulum, nudis lumbis applicandum ad vires confirmandas, quo quasi unitum constrictumque corpus sit eo fortius, indicari statuendum erit. Ita et Grotius: „Περίζωμα Graecis (Alexandrinis interpretibus) dicitur, subligar, quod corpori proxime adhaeret. Sic populum Judaicum Deus prae ceteris populis proxime sibi admoverat, Vs. 11.“ De פִּשְׁתִּים *lino*, vid. Celsii *Hierobot.* P. II. p. 283. et de nostro speciatim loco p. 302. וּבַמַּיִם לֹא תְבִיאֵהוּ *Et in aquam illud ne inferas*, videlicet, uti notat Jarchi, ad humectandum, i. e. ne laves illud, ut plenum fiat sudore, quo facilius putrescat.“ C. B. Michaelis contra madefieri cingulum illud vetari ideo putat, ne facile computrescat, ut provida Dei cura pro suo populo designaretur, qua illaesum illum et integrum servaret. Nobis quidem cingulo hoc lumbis prophetae applicando nec aquae inferendae videntur duo significari, et quod assumtus a Deo populus Judaicus sordes in dies contraxerit majores, propter quas merito a Deo abjiciendus esset, et quod Deus illum sordidum etiam diutius sustinuerit, ut nec propter innumera illius scelera ipsum commutarit, donec tandem ob summam ejus corruptionem ipsum plane abjecerit. In verbis בַּמַּיִם לֹא תְבִיאֵהוּ explicandis argutatur Kimchi negans, illis cingulum lavandum esse vetari, id enim his verbis exprimendum fuisse: בַּמַּיִם לֹא תְכַבְּסֵהוּ. Hoc potius dicere Deum, e lino incurato nec in aqua macerato, aspero igitur, ut e terra decerpitur, futurum esse illud cingulum, ad asperos Judaeorum mores significandos. Ita et Hieronymus: „Cinctorium sive lumbare, quód Dei renibus jungitur, populus Israel est, qui in lini similitudinem assumtus de terra, et illotus, nec mollitudinem habuit, nec can-

do-

dorem, et tamen per illius miſericordiam adhaeſit Deo.“ Ceterum quae hoc Verſu et iis qui ſequuntur a ſe facta narrat vates, eum non peregiſſe, ſed omnem hanc narrationem eſſe *parabolam* (de quo allegoriae genere vid. Lowth *de Sacra Hebraeor. poeſi* Prael. X. p. 108. ſeqq. edit. Lipſ.), ſolidis argumentis demonſtravit Staeudlin in Commentatione de prophetarum factis ſymbolicis, inſerta libro a ſe edito: *Neue Beyträge zur Erläuter. der bibl. Propheten* (Gotting. 1791.) p. 129. ſequ.

4. וְקוּם לֵךְ פְּרָתָה *Et ſurge i ad Euphratem.* Venema et Dathius vertunt: *ad Ephratam*, ſequuti Bochartum, qui in *Diſſertatt. Geograph. S.* adjectis *Oper.* T. I. p. 956. edit. Lugd. פְּרָת h. l. nomen ſtatuit eſſe regionis, pagi, vel vici cujusdam non longe ab Hieroſolyma diſſiti, fortaſſe Bethlehemi et adjacentis regionis, quae אֶפְרָת dicta fuit, vid. Geneſ. XVIII, 7. Nihil eſt, quod quo minus Euphrates fluvius hic deſignetur impedire putat Bochartus, non addi הַנָּהָר הַגָּדוֹל *flumen magnum*, quod alias ſaepiſſime, ubi Euphrates memoratur, ejus nomini adjici ſolet. Sed adduxit eum ad hanc opinionem amplectendam potiſſimum hoc, quod veriſimilius eſſet, vatem cingulum, quod divino juſſu ſibi comparavit, in locum Hieroſolymae propinquum attuliſſe, quam eum ſuſcepiſſe longinquum quinquaginta milliarium iter ad Euphratem. Verum parabolam, non rem vere geſtam hic narrari monuimus ad Vs. 1. In Euphrate conſentiunt h. l. interpretes veteres omnes. Nec cur ad eum fluvium propheta ſuum, quod populi Hebraei imago eſſet, cingulum portare jubeatur, obſcura eſt ratio. Significatur enim populi Judaici futurum apud Chaldaeos, ſive Babylonios, circa Euphratem exilium. וְטָמְנֵהוּ שָׁם בִּנְקִיק הַסָּלַע *Et abſconde illud in foramine petrae.* „Quumque peccaſſet, rationale quippe eſt hujuscemodi linum atque lumbare, ductus eſt trans Euphratem, id eſt, in Aſſyrios et ibi abſconditus, hoc eſt, multitudine magnarum et innumerabilium gentium quodammodo abſorptus et nihil reputatus.“ Hieronymus.

5.

5. בִּפְרָת *In* i. e. ad *Euphratem*, ut Ezech. X, 15. בִּנְהַר־כְּבָר *ad fluvium Chaboram.*

7. וְהִנֵּה נִשְׁחַת הָאֵזוֹר *Et ecce corruptum erat illud cingulum.* Quidnam id ſignificet, exponit Deus Vs. 9. לֹא יִצְלַח לַכֹּל *Non proderat*, aptum erat, *ulli rei.* Recte Hieronymus: *ita ut nulli uſui aptum eſſet.*

10. הַמֵּאֲנִים *Renuentes*, non eſt Participium Piel verbi מָאֵן, id enim eſſet הַמְמָאֲנִים, ſed Adjectivum מָאֵן, formae חֵרֵשׁ *ſurdus.*

12. Aliam imaginem proponit. נֵבֶל h. l. eſt *lagena teſtacea*, ut Jeſaj. XXX, 14. Thren. IV, 2., non ἀσκὸς *uter*, ut hic habet Graecus Alexandrinus; alluditur enim mox Vs. 14. ad colliſionem et confractionem, licet ejus in propoſitione emblematis nulla fiat mentio. Verbis כָּל־נֵבֶל יִמָּלֵא יָיִן *omnis lagena implebitur vino* quid intelligat vates, ipſe Vs. proximo exponit. „Quaerere liceat," inquit J. D. Michaelis, „ſimpliciterne hic Hieroſolymitani moraliter ebrii lagenae comparentur, vino plenae, an ſubſit alluſio paronomaſtica ad נָבָל *ſtultum?*" Prophetae verba illa edicturo Judaei reponent haec: הֲיָדֹעַ לֹא נֵדַע כִּי כָל־נֵבֶל יִמָּלֵא יָיִן *num ſciendo neſcimus?* i. e. nunquid ignoramus *omnem lagenam vino impleri?* Sunt interpretes, qui Judaeos exiſtiment verba illa bono ſenſu ita cepiſſe, quaſi propheta uberem vindemiam praediceret, ad quae illos: optime ſibi quod praedixerat Jeremias eſſe exploratum, maximam futuram vini fertilitatem. Ita Martin. del Rio *Adagior. Sacr.* T. I. Adag. 850.: „Quum allati a propheta adagii duplex poſſet eſſe ſenſus, unus in bonam partem, de ſumma copia vini, adeo ut vaſa ſint defectura, vino reliquo, alter in malam partem de omnibus ad unum ſupplicio puniendis, et calice irae divinae potandis, Judaei imprudenter intellexerunt, vel ſimularunt ſe intelligere priori illo ſenſu, omnia ſibi pro votis et ultra proſpere eventura." Similiter C. B. Michaelis: „Ambigua oratio, et quam Judaei non ex intentione prophetae, ſed ex ſuo ſenſu capiebant, bonam vindemiam, cujus tem-

tempus forſan tunc inſtabat) ſpe praeſumentes, pollicentibus forſitan et pſeudoprophetis.“ Nobis haec ſimpliciter per contemtum prolata videntur a Judaeis prophetam irridentibus, tanquam nihil novi dicentem.

13. וְאֶת־הַמְּלָכִים הַיֹּשְׁבִים לְדָוִד עַל־כִּסְאוֹ *Et reges qui ſedent Davidi*, i. e. pro Davide, ejus loco *ſuper throno ejus.* Eadem phraſis infra XXII, 4. Reges igitur una cum ſacerdotibus, prophetis et reliquis omnibus Hieroſolymae et Judaeae incolis implendos eſſe praedicit שִׁכָּרוֹן *ebrietate*, i. e. graviſſimarum calamitatum mole, in quibus nihil conſilii et auxilii invenitur, ſed omnes, mentis vertigine correpti fruſtra diſcurrunt titubantque, adeoque ſanorum conſiliorum admittendorum haud capaces, ad interitum ruent, ut Jeſaj. XIX, 14. Ezech. XXIII, 33. Pſ. LX, 5. Senſum Verſu proximo verbis magis propriis exprimit.

14. וְנִפַּצְתִּים *Et collidendo diſſilire eos faciam.* „Verbum praegnans, quod et *colliſionem* et partium fractarum *disjectionem* notat, velut in ollis aut lagenis fictilibus colliſis fieri ſolet; cf. infra XLVIII, 12. Pſ. II, 9. Ita igitur Judaei, inſtar fictilium vaſorum invicem colliſi, peribunt.“ C. B. Michaelis. Verbum נָפַץ ex Arabico نفض *aliquid quatere violenter, vel projicere, ut diſſiliat*, illuſtravit A. Schultens *Origg. Hebrr.* L. I. Cap. 3. p. 42. ſeqq. וְלֹא אֲרַחֵם מֵהַשְׁחִיתָם *Nec miſerebor quo minus eos perdam.* Conjunguntur in altero Verſus hemiſtichio ob affectum plura verba quae *commiſerationem* ſignificant.

15. אַל־תִּגְבָּהוּ *Ne elevate vos*, ne ſuperbiâ et vanâ *fiducia* elati contemnite, quae vobis divino juſſu edico.

16. תְּנוּ לַיהוָה אֱלֹהֵיכֶם כָּבוֹד *Date Jovae, Deo veſtro, gloriam*, i. e. oſtendite reſipiscendo et divinis monitis obtemperando vos Dei majeſtatem revereri. Sic Joſua VII, 19. hortatur Achanem, ut *Deo Iſraelis det gloriam* furtum a ſe commiſſum fatendo, ut ita palam faciat, ſe Deum omniſcium revereri. בְּטֶרֶם יַחְשִׁךְ *Antequam tenebras inducat*

ducat fcil. Deus, i. e., ut recte Chaldaeus exponit, עַד לָא תֵיתֵי עֲלֵיכוֹן עָקָא וּתְהוֹן דָּמְיָן לִדְמְהַלְּכִין בְּקִבְלָא *antequam veniat fuper vos anguftia et fimiles fiatis iis, qui in caligine ambulant.* Caliginem res adverfas defignare notum, vid. e. c. II, 2. et ad eum loc. not. וּבְטֶרֶם יִתְנַגְּפוּ רַגְלֵיכֶם עַל הָרֵי נָשֶׁף *Et antequam allidant pedes veftri ad montes caliginis*, caliginofos, i. e. qui tenebris occultantur, ita ut improvifo pedes in iis offendant, non fecus ac illis contingit, qui intempefta nocte per montana magnis multisque faxis infefta incedentes facile labuntur, et praecipites ruunt. Alii minus apte *montibus caliginofis* intelligunt eos, qui fua altitudine diem fubito auferunt, et progreffum impediunt. Jarchi הָרֵי נָשֶׁף exponit הרי חשך בלכתם בגולה *montes tenebrofos, quando in exilium ibunt.* Similiter Hieronymus: „Nunc provocat ad poenitentiam, ut antequam ducantur in captivitatem, et fervitutis mala fentiant, Deo dent gloriam.“ Male vero Babylonem et omnem regionem Chaldaeorum montes caliginofos hic dici exiftimat, collato Jefaj. XIII, 2. עַל הַר־נִשְׁפֶּה שְׂאוּ־נֵס quod vertit: *fuper montem caliginofum levate fignum.* Sed הַר נִשְׁפֶּה eft *mons excelfus*, vid. not. ad eum loc. Alienum quoque eft, quod Grotius hic de nebulofis Mediae montibus cogitat. In alia omnia abit Kimchi, qui *montibus tenebrofis* Aegyptum exiftimat defignari, a cujus auxilio pars Judaeorum falutem exfpectabat; illam terram comparari hic monti fcopulis et praecipitiis infefto, in quem qui confugiunt, mifere pereunt. Qualis mons tamen haud fatis congrue *caliginofus* appellatur. De Aegypto verba הָרֵי נָשֶׁף et Venema intelligit, fed ita, ut ea *montes crepusculi* vertat. „Pertinet hoc,“ ait, „ad fpem liberationis ab Aegyptis, quae, durante obfidione, adfulfit inftar crepusculi matutini, in montibus fefe primum oftendentis.“ Verum quamvis נֶשֶׁף *crepusculum* et vefpertinum et matutinum fignificare conftet, hic tamen, ubi imagines de *tenebris* defumtae, et omnes fere voces Hebraeae illas defignantes coacervatae funt, haud dubitamus

— *noctem,*

noctem, caliginem denotare, ut Jesaj. V, 11. XXI, 4. LIX, 10. Recte igitur Graeci Alexandrini ὄρη σκοτεινὰ verterunt, quibuscum veteres reliqui omnes consentiunt. Schleusnerus *montes nocturnae caliginis* arbitratur h. l. poni pro mole ingruente tenebrarum et omnia involvente, eadem figura, qua apud Virgilium *montes aquarum*, et apud Arabas أطواد الامواج *ingentes montes fluctuum* commemorantur. וְשָׂמָהּ לְצַלְמָוֶת *Et ponit*, reddit *eam*, lucem, scil. Deus, *in umbram mortis*, vid. de hoc nomine not. ad Ps. XXIII, 4. — יָשִׁית לַעֲרָפֶל *Ponet*, reddet, sive, secundum Keri, וְשִׁית *ponendo*, scil. ponet, scil. lucem *in densam caliginem*. „Finge tibi iter facientem per praecipitia, noctem ingruere, nec sublustrem, sed densas nubes supervenire, totumque coelum obscurari; habebis imaginem a propheta h. l. eleganter pictam!" J. D. Michaelis.

17. וְאִם לֹא תִשְׁמָעוּהָ *Si vero non audiveritis illud*, quod vobis divino jussu edico et denuncio. בְּמִסְתָּרִים תִּבְכֶּה נַפְשִׁי *In occultis locis flebit anima mea*, quo secedere lugentes amant, ut indulgere dolori suo possint. מִפְּנֵי גֵוָה *Propter elationem*, i. e. propter superbiam et contumaciam vestram, qua Deo vos submittere ejusque adhortationibus obtemperare recusatis. גֵּוָה pro גַּאֲוָה, ut Job. XXII, 29. ad quem loc. cf. not. וְתֵרַד עֵינִי דִּמְעָה *Et descendet oculis meis lachrymis* q. d. lachrymando ita instabo, ut ipse velut oculus meus in lachrymas resolutus videatur defluere, cf. not. supra ad IX, 17. — כִּי נִשְׁבָּה עֵדֶר יְהוָה *Quia captivus abductus est grex* i. e. populus *Jovae*. Ita et Arabibus رَعِيَّةٌ *grex* de populo, plebe, in usu est. Hinc *Raya* vocantur Imperatoris Osmanorum subditi ii, qui Islamo non sunt addicti; vid. de Hammer *des Osman. Reichs Staatsverf.* P. I. p. 181. Ceterum vates hic ita loquitur, ac si populum Judaicum jam abductum conspiceret. Pro

בִּשְׁבָּה

נִשְׁבָּה Graecus Alexandrinus habet *συνετρίβη*, quasi נִשְׁבַּר legisset.

18. Alloquitur Jova prophetam: אֱמֹר לַמֶּלֶךְ וְלַגְּבִירָה *dic regi* Jechoniae, *et dominae*, i. e. reginae viduae ac regis matri, cui hic titulus et tribuitur infra XXIX, 2. 1 Reg. XV, 13. Recte Jarchi: יהויכין ואמו, et Hieronymus: „Prophetae praecipitur, ut loquatur regi Jechoniae et matri ejus, quam *dominam* et dominatricem, five reginam appellat." Eam regi ideo adjunctam obfervat Schmidius, quod regnum filii pueri (octodecennis erat, 2 Reg. XXIV, 8.) in illius manu maxime pofitum videretur. Loco וְלַגְּבִירָה Graecus Alexandrinus *καὶ τοῖς δυναστεύουσι* pofuit, quod Hebraice גבורות effet, ut recte Hieronymus monuit. הַשְׁפִּילוּ שֵׁבוּ *Humiliate fedete*, i. e. humi fedete, more lugentium, vid. Job. II, 13. Jefaj. XLVII, 1. et ad ea loca not. יָרַד מַרְאֲשׁוֹתֵיכֶם עֲטֶרֶת תִּפְאַרְתְּכֶם *Defcendet quod in capite veftro eft,* ornatus capitis veftri, videlicet *corona gloriae veftrae,* futurum eft, ut regno et regia dignitate privemini. Pro מַרְאֲשׁוֹתֵיכֶם Graecus Alexandrinus dedit *ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ὑμῶν*, confententibus Vulgato et Syro. Sic fcribendum fuiffet מֵרָאשֵׁיכֶם. „Itane," inquit J. D. Michaelis, „legerunt? an Grammaticae parum fuerunt periti? Utrumque legas, anomalia generis eft in verbo mafculino יָרַד, quod habent h. l. omnes codices hucusque collati, hinc fortaffe excufanda, quod Verbum praecedit. Quod enim Pater meus omitti credit צְבִי *decus* [in *Differtat.*, uti videtur, *qua foloecismus generis a fyntaxi S. Cod. ebr. depellitur*, Hal. 1739.], eft ellipfis nimis arbitraria. Forfaffe tamen legendum eft תֵּרֵד." Sed nihil difficultatis in hoc loco erit, fi memineris, et alias haud raro Verbum fingulare generis masculini jungi nomini plurali feminino, praefertim fi Verbum fenfu impersonali praemittitur, vid. e. c. Job. XLII, 15. Mich. II, 6. et ea loca not., et cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 720. b).

19. עָרֵי הַנֶּגֶב סֻגְּרוּ *Urbes auftri funt claufae. Auftro* funt h. l. qui Aegyptum intelligunt. Ita Grotius: „Id

„Id est, ab Aegypto, quae ad austrum Judaeae, nihil vobis erit auxilii; omnia ibi vobis erant clausa; vid. 2 Reg. XXIV, 7." Verum etsi Dan. XI, 5. 9. rex Aegypti appelletur מֶלֶךְ הַנֶּגֶב *rex austri,* ceteris tamen locis, ut Genes. XIII, 1. 3. Num. XIII, 17. Jos. X, 40., הַנֶּגֶב designat *australem partem Judaeae.* Ita Hieronymus ad h. l.: „*Civitates austri clausae sunt,* id est, tribus Judae et Jerusalem, quae juxta solitudinem ad austrum versa est." Urbes illae dicuntur *clausae,* i. e. ab hostibus obsidione cinctae. Ita Jos. VI, 1. urbs Jericho clausa fuisse dicitur propter Israelitas, ita ut nemo egredi nec ingredi posset. Significatur itaque hisce verbis, hostes, qui ex aquilone irruperunt (vid. Vs. 20.), pervasisse jam totam Judaeam, etiam australem ejus partem, ejusque urbes obsidione cingere. Alii *urbes australes* generatim designare urbes Judaicas existimant, oppositas hostibus Chaldaeis borealibus. Sic Jarchi: „Propter eos qui irrumpunt a septentrione, propter metum a Nebucadnezare, urbes terrae Israeliticae clausae sunt." וְאֵין פֹּתֵחַ *Et nemo est qui aperiat* urbes obsidione clausas, „i. e. nemo aperire portas audet, metu hostium urbem obsidentium. Male alii sic interpretantur: nemo suppetias fert, solvitque obsidionem; nam si פָּתַח de exercitu adhibetur, non *suppetias, venire* et *succurrere,* sed *occupare urbem,* portis vi perfractis, significat." J. D. Michaelis. הָגְלָת יְהוּדָה כֻּלָּהּ *Captiva abducta est Juda tota.* Quae futura erant veluti praeterita narrantur, denotandae certitudinis causa. הָגְלָת שְׁלוֹמִים *Abducta est perfectionibus,* perfectissime, universa. Nomen plurale in Accusativo positum Adverbii vicem gerit; vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 626. et 687. no. 5. Ita Ps. LXXXVII, 3. נִכְבָּדוֹת *honorificentissime,* Ps. LVIII, 2. מֵישָׁרִים *aequissime,* cf. not. ad ea loca. Haud differt haec pluralis a גָּלוּת שְׁלֵמָה Amos. I, 6. 9. Graecus Alexandrinus h. l. συντέλεσεν ἀποικίαν τελείαν, Hieronymus *transmigratione perfecta,* et Chaldaeus גְּלוּ שְׁלֵמָא, quod idem, vertit. Hic vero interpres in שְׁלוֹמִים allusionem ad שִׁלּוּמִים *retributiones* captans,

captans, addit: אִתְקַבָּלוּ תּוּשְׁלֵימַת עוֹבָדֵיהוֹן *receperunt retributionem operum suorum.* „Mirum," inquit J. D. Michaelis, „neminem vertere: *pacifice, non resistens;* deditionem enim fecit Jechonias." Sed hoc ipso modo interpretatus est Jarchi, qui ad verba הָגְלָת שְׁלוֹמִים haec notavit: לא ילחם יהויכין כי לשלום יצא ויגלהו *non pugnavit Jojachinus* contra regem Babyloniae, *sed egressus est pacifice et abduxit eum* Nebucadnezar; vid. 2 Reg. XXIV, 12. Nos quidem haud dubitamus in ea interpretatione quam primo loco dedimus acquiescendum esse.

20. „In verbis שְׂאִי עֵינֵיכֶם וּרְאִי *attolle* (femin.) *oculos vestros et vide* conjunctio est et confusio sermonis proprii cum figurato. Legitima dicendi ratio erat: שְׂאִי עֵינַיִךְ וּרְאִי; sed quum quae compellatur feminina non sit nisi imago vel gentis vel terrae, quae pro gente quam alit dicitur; usurpat auctor Pronomen multitudinis, quod non figurati sermonis est, sed proprii. Marginis autem lectio, שְׂאוּ עֵינֵיכֶם וּרְאוּ, quae minus aspera et inconcinna, quanquam in compluribus codicibus et scriptis et editis locum occupavit, atque apud Vulgatum etiam, Chaldaeum et Syrum interpretem cernitur, tamen haud magis vera dici et haberi potest, quam lectio שְׂאִי עֵינַיִךְ, quae aptior etiam, sed nullius codicis est, at ab Alexandrino tamen expressa, qui habet: ἀνάλαβε τοὺς ὀφθαλμούς σου, Ἰερουσαλήμ, καὶ ἴδε." Schnurrerus. הַבָּאִים מִצָּפוֹן *Venientes ex aquilone* esse hostes Babylonios, vix est quod moneamus. Altero Versus hemistichio, אַיֵּה הָעֵדֶר נִתַּן־לָךְ צֹאן תִּפְאַרְתֵּךְ *ubinam est grex ille qui datus,* commissus, *tibi erat? ubi est pecus gloriae tuae?* i. e. quo gloriata es, Schnurrerus Babyloniorum verba contineri existimat, significantium, in ipsorum nunc potestatem transire pecus illud, a se occupandum esse et abigendum. Ita esset ante posterius hemistichium אֹמְרִים *dicentes* subaudiendum. Quod tamen minime necesse videtur, contra concinnius, esse haec verba vatis admirabundi, cum terram vel urbem, quam alloquitur, suis incolis nudatam coram con-

ſpicere ſibi videretur. Similiter Jarchi: „Poſtquam Judaei deportati fuerint, dicetur ita Hieroſolymae.“ Et Hieronymus: „Interrogatur ipſa civitas, et dicitur ei: *Ubi eſt grex, qui datus eſt tibi, pecus inclytum tuum?* Ubi eſt populus tuus, quem a Deo acceperas, ubi illa tanta et et inclyta multitudo, ut totius provinciae turbam in unum locum crederes congregatam?“

21. Pergit vates populum Hebraeum coarguens: מַה־תֹּאמְרִי כִּי־יִפְקֹד עָלַיִךְ *Quid dices cum animadvertet in te* ſcil. Deus. Minus recte Graecus Alexandrinus: *ὅταν ἐπισκέπτονταί σε;* ſcil. hoſtes. Nullius, inquit, injuſtitiae accuſare Deum poteris, cum per hos ipſos te puniverit, quorum amicitiam avide hucusque ſectata es. וְאַתְּ לִמַּדְתְּ אֹתָם עָלַיִךְ אַלֻּפִים לְרֹאשׁ *Tu* ipſa *enim docuiſti* adſuefeciſti *eos*, hoſtes, eſſe *ſuper te duces in caput*, tu ipſa occaſionem te ſubigendi illis praebuiſti, quod non tam ad Chaldaeos, ſed eo potius eſt referendum, quod Hebraei jam pridem inde ab Ahaſi tempore, qui Aſſyrios in auxilium vocavit, aliarum gentium amicitiam ambierint, et foedera inierint cum iis, qui ex amicis mox facti ſunt domini. Cum Babyloniis amicitiam contraxiſſe videtur Hiskias, reprehenſus ideo a Jeſaja, vid. 2 Reg. XX, 12. ſeqq. Ad ſimilitudinem, quae altero Verſus hemiſtichio continetur, cf. ſupra VI, 24.

22. בְּרֹב עֲוֹנֵךְ נִגְלוּ שׁוּלַיִךְ *Per* ſ. *ob multitudinem delictorum tuorum retectae ſunt ſimbriae tuae,* ſ. partes inferiores amplae veſtis tuae, ceu meretrix nudatis pudendis omnium ludibrio proſtituta. Eandem imaginem vid. Jeſaj. XLVII, 2., et cf. Ezech. XVI, 37. XXIII, 29. — נֶחְמְסוּ עֲקֵבָיִךְ *Violati ſunt calcanei tui,* injectis compedibus, captiva abducenda. Minus commode J. D. Michaelis: „violenter everſis plantis proſtrata eſt libidini hoſtium.“

23. הֲיַהֲפֹךְ כּוּשִׁי עוֹרוֹ וְנָמֵר חֲבַרְבֻּרֹתָיו *An mutabit Aethiops cutem ſuam, et pardus maculas ſuas?* De כּוּשׁ proprie *Aethiopiam*, tum omnes ad auſtrum ſitas terras,

quarum

quarum incolae cutem habent nigricantem, vid. libr. nostr. *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. I. P. I. p. 210. De נָמֵר *pardo* vid. Bocharti *Hieroz.* P. I. L. III. Cap. 7. T. II. p. 100. seqq. edit. Lips. חֲבַרְבֻּרֹתָיו sunt *notae cuti impressae*, collato Arabico حبر, quod in Conjugat. IV. *signare* denotat, et حبرة *vestis striatae Jemanicae genus.* Chaldaeus vertit: שִׁלְטֵי רִקְמְתֵיהּ *scuta operis sui Phrygionici. Scuta* vocat, quomodo Latini *scutula* vocant segmenta in vestibus. Si, inquit vates, illud fieri unquam potuerit, tum גַּם־אַתֶּם תּוּכְלוּ לְהֵיטִיב לִמֻּדֵי הָרֵעַ *etiam vos poteritis bene agere, docti,* assuefacti *male facere.* Hoc dicit, flagitiis et sceleribus committendis longa consuetudine adsuetos sese non magis convertere posse, quam Aethiopem cutem, aut pardum mutare maculas posse, consuetudine in alteram naturam versa. Tales igitur quum sint Judaei, nulla ratione emendandi, nihil superesse, quam ut ultimo supplicio addicantur, id est, a patria expellantur, quod Versu proximo dicit.

24. וַאֲפִיצֵם כְּקַשׁ עוֹבֵר לְרוּחַ מִדְבָּר *Et dissipabo eos,* in alias terras exsules abigendos, *ut stipulam transeuntem ad ventum deserti,* qui ab austro veniens (Jos. XV, 1.) impetuosior esse solet, vid. supra IV, 11. et ibid. not., nec non Job. I, 19.

25. מְנָת־מִדַּיִךְ *Portio mensurarum tuarum*, i. e. tibi ex aequo dimetienda, justa erat proportio inter peccatum tuum et poenam. Jarchi: חלק מרוחיך מדה כנגד מדה *pars mensurae tuae, mensura pro mensura.* Graecus Alexandrinus vertit: *καὶ μερὶς τοῦ ἀπειθεῖν ὑμᾶς ἐμοί*, ac si legisset מְנָת מֶרְיְכֶם אִתִּי *portio rebellionis vestrae contra me.* Nec tamen, cum Schleusnero, hoc ei quod in nostris codicibus exstat praetulerim. וַתִּבְטְחִי בַּשָּׁקֶר *Et quia fiduciam posuisti in mendacio,* in rebus fallacibus et mendacibus, i. e. in diis commenticiis, vanis prophe-

tarum mendacium promissionibus, et vicinis populis, a quibus auxilia exspectabatis.

26. וְגַם־אֲנִי חָשַׂפְתִּי שׁוּלַיִךְ עַל־פָּנָיִךְ *Et etiam ego substringam fimbrias tuas super faciem tuam*, attollam tuas vestes super caput tuum, quod ignominiae causa feminis fieri solet, praesertim belli jure captis. Primis hujus Versus verbis, וְגַם־אֲנִי, hoc indicari videtur, quum sese Judaea, tanquam meretrix, aliis propudiosa libidine prostituisset (Vs. 27.), nunc et Jovam illi summam ignominiam illaturum esse.

27. נִאֻפַיִךְ *Quod attinet ad adulteria tua*, sunt enim hoc et duo quae sequuntur Nominativi absoluti, quibus subjungitur רָאִיתִי שִׁקּוּצָיִךְ *vidi detestanda tua* illa omnia. מִצְהֲלוֹתַיִךְ *Hinnitus tuus*, more equorum, qui suam libidinem explent; cf. supra V, 8. Verbis זִמַּת זְנוּתֵךְ עַל־גְּבָעוֹת בַּשָּׂדֶה *scelus meretricii tui amoris super collibus in agro* commissum alluditur ad aras et sacella diis alienis in locis editioribus sacrata. לֹא תִטְהֲרִי אַחֲרֵי מָתַי עֹד *Non mundaberis post quamdiu adhuc*, i. e. post quantum tempus adhuc non mundaberis? quando tandem operam dabis ut munda fias a tuis flagitiis? Quasi dicat: non prius id fiet, quam abducta fueris in exsilium.

XI.

XI.

Tempore magnae alicujus siccitatis pro suae patriae salute Deum supplicat vates; sed ejus preces haud admittit populum indignatus Jova, imo vatem jubet majora illi decreta mala denunciare.

Cap. XIV. XV.

ARGUMENTUM.

Capite hoc et proximo vatis cum Deo continetur colloquium, tempore gravioris alicujus siccitatis indeque ortae sterilitatis habitum. Communem patriae calamitatem querenti vati et deprecanti (XIV, 1—9.) declarat Deus, se populum Hebraeum ob multa et gravia ab eo admissa flagitia abjecisse, nec sua deprecatione vatem quicquam effecturum esse (Vs. 11. 12.). Propheta, ut populum excuset, culpam conjicit in prophetas mendaces, qui illum vanis promissionibus deciperent (Vs. 13.). Eos Jova quidem acriter reprehendit, sed populum nihilominus nulla dignum esse misericordia ulterius adfirmat (Vs. 15—18.). Iteranti suam deprecationem prophetae (Vs. 19—22.) Deus respondet, si vel Moses et Samuel pro eo populo supplicarint, se tamen decreta illi supplicia non revocaturum esse, quae Manassis regis impietas et populi delicta commeruissent

sent (XV, 1—9.). Hinc suam vates sortem conqueritur, quod quum summa fide suo officio fungatur, omnibus contumeliis et probris a suis oneretur, adeo etiam, ut animo fere despondeat, et muneri prophetae renunciare gestiat (Vs. 10—18.); sed ejus fractum animum erigit confirmatque Deus, et ad muneris functionem intrepide continuandam excitat (19—21.).

Magnam illam siccitatem et agrorum sterilitatem, de qua hujus concionis initium queritur, Judaeam regnante Josia oppressisse, vidimus supra in Argumento ad Cap. XII, 1—6. p. 351.

XIV, 1. Jovae sermo habitus ad Jeremiam su-
2. per siccitate. Luget Judaea, dejectaeque ejus
portae pullatae humi jacent, et Hierosoly-
3. mae clamor it ad alta. Nobiles eorum mittunt
suos minores ad aquam, qui ad conceptacula
profecti non inventa aqua inanibus
vasis revertuntur, tanto pudore erube-
4. scentes, ut sibi caput operiant. Propter
consternatam tellurem, quod pluvia nulla in
terram cadit, agricolae prae pudore sibi ca-
5. put operiunt. Quin etiam cerva ruri quod
6. peperit deserit herbarum penuria; et onagri
stantes in cacuminibus auram more draconum
ducunt, oculis herbae defectu con-
7. sumtis. Si nos vitia nostra accusant, Jova,
facito tui nominis gratia; quandoquidem
dum nimis a bona fruge sumus aversi Te
8. offendimus. O Israelitarum spes, et servator
adverso tempore! cur sis quasi peregri-

nus

nus in hac terra? quaſi divertens ad per-
noctandum viator? Cur ſis quaſi vir atto- 9.
nitus, quaſi defendere non valens miles?
quum tamen ſis inter nos, Jova, a Te deno-
minatos. Ne deſtitue nos. Sic dicit his ho- 10.
minibus Jova: quoniam ſic amant vagari,
pedes ſuos non cohibentes, Jova, cui non
placent, jam eorum memor criminis, in eo-
rum delicta animadvertet. Et Jova mihi, 11.
ne precare, inquit, pro hominibus iſtis, ut
bene iis ſit, quorum ego jejunantium ora- 12.
tionem ego non exaudio, neque victimis et
ferto facientes mihi placent, quin eos gla-
dio, fame et peſte conficiam. At ego, o Do- 13.
mine, Jova, inquam, tamen vates eos arma
viſuros, vel famem paſſuros negant, ſed Te
eis fidam hoc in loco daturum pacem pro-
mittunt. Et Jova, falſo vaticinantur meo 14.
nomine vates, mihi inquit, a me non miſſi,
nec juſſu nec mandato meo, falſas viſiones,
divinationes, futilia, animique ſui fallaciam
vaticinantur vobis. Itaque ſic minatur va- 15.
tibus Jova, quia a me non miſſi meo nomine
vaticinantur, negantes, regionem hanc gla-
dio et fame infeſtandam: et ipſi vates gla-
dio fameque conficientur; homines vero, 16.
quibus vaticinantur, prae fame et gladio per
vicos Hieroſolymae jacebunt, carentes ſe-
pultore, tum ipſi, tum eorum uxores, atque
liberi, eosque ego ſuo ſcelere perfundam.

Dices

17. Dices autem eis haec: profundent oculi mei
noctes diesque lacrymas indefinenter, quip-
pe ingenti calamitate fracta virgine puella
18. mei populi, vulnere perquam atroci. Si rus
exeo, ecce ferro caesos! sin urbem ingre-
dior, ecce fame languentes! et vates et sa-
cerdotes per terram oberrant, quid facien-
19. dum nescii. Judaeamne repudiasti? aut Sio-
nem animus tuus respuit? Cur nos vulnerasti,
nec est, qui nos sanet? Salutem sperantes,
nihil boni consequamur? et pro exspectato
20. sanationis tempore sit pernicies? Agnoscimus,
o Jova, impietatem nostram, culpam avitam,
21. qui adversum Te peccaverimus. Ne detestare,
tui nominis gratia, ne deturpes tuae gloriae
solium, memento, ut quod Tibi nobiscum
22. intercedit foedus, non solvas. Numquid
sunt in ceterarum gentium vanitatibus, qui
pluant, efficiantque ut coelum det imbres?
Nonne Tu is es, Jova, Deus noster? In Te
spem habemus, nam Tu haec omnia effecisti.
XV, 1. At Jova mihi dixit; Etiamsi coram me
staret Moses et Samuel, non esset mihi po-
pulus iste cordi. Apage e meo conspectu!
2. abeant! Quodsi tibi dixerint: quo abeamus?
dices eis: sic dicit Jova: qui ad pestem abit,
ad eam abito, qui ad gladium, ad gladium,
qui ad famem, ad famem, qui ad captivita-
3. tem, ad captivitatem abito; in eosque qua-
tuor poenarum generibus animadvertam,

ferro,

ferro, ad necandum, canibus, ad laniandum,
aëriis avibus et belluis terrestribus ad vo-
randum et corrumpendum, et tradam eos 4.
omnibus orbis regnis divexandos, ob Ma-
nassis, Hiskiae filii, regis Judae, facinus, quod
commisit Hierosolymae. Quis enim tibi par- 5.
cat, Hierosolyma? quis tua causa condolescat?
quis tibi pacem petere adgrediatur? Tu me 6.
relicto, inquit Jova, retro abis; itaque tibi
manum adferam, teque corrumpam, tempe-
rando defessus, et eos ventilabro per terrae 7.
portas disjiciam, orbabo perdamque meos a
suis viis non desciscentes. Efficiam, ut sint 8.
eorum viduae marina numerosiores arena, ad-
ducam iis adversus matres juvenesque vasta-
torem in meridie, incutiam iis subito aestum
terroresque. Elanguet septipara, animam 9.
exhalat, occidit sol ejus interdiu, pudet eam,
ignominia affecta est, et eorum reliquias
hostili ferro objiciam, inquit Jova. Hei mihi, 10.
o mater mea! quae me hominem omnium
mortalium rixis et litibus exponendum pe-
peristi; qui quum neque creditor sim, neque
debitor omnes mihi maledicunt. Tum Jova, 11.
ita vivam, inquit, expediam te, ut bonum
tibi sit, efficiamque, ut tempore malo, tem-
pore angustiae, adversarius tibi supplex oc-
currat. An frangi potest ferrum, ferrum, 12.
inquam, aquilonare et aes? Vestras ego co- 13.
pias et thesauros praedae exponam, nullum
ob

ob pretium, ob veſtra tot peccata, quae to-
14. tis patent veſtris ſinibus. Transferam tuos
adverſarios in terram ipſis ignotam, quando-
quidem incenſus irâ meâ ignis incendet vos.
15. Tu rem noſti, Jova, memento mei, eamque
mei curam habe, ut me a meis inſectatori-
bus ulciscaris. Noli me tua lentitudine tol-
lere! cognoſce, me tui cauſa ferre ignomi-
16. niam. Inventa tua dicta comedi, et tua
dicta mihi fuere laetitiae et animi voluptati,
quoniam a tuo nomine cenſeor, o Jova,
17. agminum Deus. Non ego in deriſorum con-
feſſu exſultans dego; ob tuam manum ſeor-
ſum dego, quoniam tu me indignatione re-
18. pleviſti. Cur in dolore ſum continuo?
adeoque ſaevum vulnus habeo, ut ſanari re-
nuat? dum Tu mihi ſicut infidelis aqua,
19. quaſi fallax es. Propterea ſic dicit Jova:
ſi redieris, reconciliabo te mihi apparitu-
rum; et ſi pretioſum a vili discernes, eris
quaſi meum os: redibunt illi ad te, neque
20. tu redibis ad eos; efficiamque, ut ſis homi-
nibus iſtis murus aheneus, adeo munitus, ut
te oppugnantes non vincant; quippe qui
tibi adſum vindex et liberator, inquit Jova,
21. teque e manu improborum eripiam, et e
violentorum potentia vindicabo.

NOTAE.

N O T A E.

Cap. XIV, 1. Verba אֲשֶׁר הָיָה דְבַר־יְהוָה trajecta esse pro דְּבַר־יְהוָה אֲשֶׁר הָיָה *verbum Jovae quod factum est* ad Jeremiam, ut infra XLVI, 1. XLVII, 1., agnoscunt fere interpretes, praeter Gaabium, qui hoc loco et duobus reliquis duas inscriptiones junctas existimat, alteram: דְּבַר־יְהוָה אֶל־יִרְמְיָהוּ, alteram, אֲשֶׁר הָיָה *quod factum est*, i. e. vaticinium cui exitus respondit. Id vero Hebraeum aliquem illis solis verbis expressisse, nec praemisso דְּבַר sive הַדָּבָר, vix credo. עַל־דִּבְרֵי הַבַּצָּרוֹת *Propter siccitates*, i. e. magnae alicujus siccitatis causa. Ita דִּבְרֵיכֶם Deut. IV, 21. est vestri causa. בַּצֹּרֶת, cujus Pluralem hic legimus, *pluviae defectum*, ἀβροχίαν, ut Alexandrinus vertit, significare, ex iis quae sequuntur apparet. Hebraei nomen illud proprie *cohibitionem* scil. pluviae significare ajunt, a *prohibendi* notione, qua Verbum בָּצַר legitur Genes. XI, 6. וְלֹא יִבָּצֵר מֵהֶם *nec prohibebitur ab iis*, quod facere sibi proposuerunt. J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 209. a ܒܨܪ *diminitus fuit, defuit*, proprie *defectum* scil. pluviae denotare putat. Syrus distinctius vertit ܒܨܝܪܘܬܐ ܕܡܛܪܐ *defectus pluviae*. Pluralis hic usurpatur ad designandam diuturnam continuationem siccitatis. Ceterum non futura aliqua, ut vult Kimchi, sed praesens tunc siccitas describitur. Neque, quod aliis visum, praenunciatur hic fames, quam passuri sint Hierosolymitani tum, cum a Chaldaeis urbs oppugnaretur. Nam quo tempore haec concio habita est, liberum fuisse in agrum egressum, patet e Vs. 3. 18.

2. וּשְׁעָרֶיהָ *Et portae ejus*, Judaeae, i. e. קִרְוֵיהוֹן *urbes eorum*, ut Chaldaeus vertit. Cf. not. ad Exod. XX, 10. *Urbes* vero vix monitu est poni pro eorum incolis; sequitur enim: אֻמְלְלוּ קָדְרוּ לָאָרֶץ *elanguent* et *pullati ad terram*, i. e. humi sedent, lugentium more, vid. Job. II, 13. et ibi not. וְצִוְחַת יְרוּשָׁלִַם עָלָתָה *Et clamor Hierosolymae ascendit* ad coelum. Vau minusculum vocis צִוְחַת

J. D.

J. D. Michaelis recte monet indicio esse alius lectionis, quae olim in codicibus exstiterit; neque tamen ea, uti conjicit, fuerit וְנֵחַת *et raucus sonus*, collato Arabico وحوح *raucam vocem emisit*; sed, ut recte vidit Hillerus, *de Arcano Kethibh et Keri* p. 185., צַוְחַת cum Pathach sub צ; „pariter," addit, *ἰσοδυναμοῦσι* מִשְׁחַר et מִשְׁחָה, *unctio*, שִׂבְעָה et שַׂבְעָה *saturitas*."

3. וְאַדִּירֵיהֶם שָׁלְחוּ צְעִירֵיהֶם לַמָּיִם *Et magnates*, i. e. honoratiores, opulenti *eorum mittunt minores* i. e. pueros, servos *suos ad aquam* accersendam. Pro צְעִירֵיהֶם quod ad marginem Masorethae legi jubent, in textu est forma minus usitata צְעוֹרֵיהֶם, nulla significationis diversitate. גֵּבִים Jarchi recte exponit בורות מים משהתכנסין בהם *cisternas in quibus aquae colliguntur*. Est a radice גּוּב, Arabice جوب, quod in Conjugatione VIII. *puteum fodit* denotat. שָׁבוּ כְלֵיהֶם רֵיקָם *Redeunt* sed *vasa eorum vacua*, redeunt vasis aqua vacuis; ubi enim diu nulla pluvia cadit, aqua in cisternis deficit. וְחָפוּ רֹאשָׁם *Et obtexerunt caput suum*, lugentium ritu, 2 Sam. XV, 30. Esth. VI, 12. VII, 8.

4. Verba בַּעֲבוּר הָאֲדָמָה חַתָּה *propter terram* quae *est confracta* jungenda sunt cum בֹּשׁוּ אִכָּרִים *pudefacti sunt agricolae*. Terram coli solitam, ea enim nomine אֲדָמָה hic indicatur (cf. Genes. IV, 2. 22.), hic *fractam* dici Gaabius existimat ideo quod prae ariditate rimis et fissuris hisceret. Mallem cum C. B. Michaelis vertere; *quae et ipsa est consternata*, uti et alia Verba, quae *fractum esse* denotant, ad mentis *consternationem* designandam transferri constat. Sistitur vero terra consternata, non propter gravem Dei iram, ut vult Michaelis, sed quod pluviis non rigatur, ut statim additur. Sensum genuinum verborum hebraeorum veterum nullus expressit. Alexandrinus: *καὶ τὰ ἔργα τῆς γῆς ἐξέλιπεν*, quasi pro בַּעֲבוּר legisset עֲבֹדָה, quod illi interpretes saepius *ἔργον* red-

reddunt. Hieronymus: *propter terrae vaſtitatem, quoniam defecerunt.* Chaldaeus: בְּדִיל חוֹבֵי יָתְבֵי אַרְעָא אִתַּבָּרוּ *propter elicta incolarum terrae fracti ſunt.* Syrus חַתָּה non expreſſit; ſic enim vertit: ܡܛܠ ܚܛܗܝܗ̇ ܕܐܪܥܐ ܠܐ ܗܘܐ ܡܛܪܐ *propter facinora terrae non eſt pluvia.*

5. כִּי גַם־אַיֶּלֶת בַּשָּׂדֶה יָלְדָה וְעָזוֹב *Nam et cerva in agro parit et deſerendo* ſcil. deſerit puta, quos peperit hinnulos. Syrus: ܫܒܩܐ ܒ̈ܢܝܗ̇ *relinquit catulos ſuos.* Cervam de catulis ſuis ſervandis alendisque maxime eſſe ſollicitam, veterum teſtimoniis oſtendit Bochartus *Hieroz.* P. I. L. III. Cap. 17. T. II. p. 254. edit. Lipſ. Itaque pertinet ad ſummae ſterilitatis deſcriptionem, quod et ipſae cervae ob pabuli defectum ſuos hinnulos deſerunt. Kimchi: „Deſerit foetus ſuos, ut in alia regione pabulum quaerat, et quantumvis miſericors, catulos ſuos non curat, et, ut proprie vitae conſulat, abit.“

6. וּפְרָאִים עָמְדוּ עַל־שְׁפָיִם *Et onagri ſtant ſuper cacuminibus.* De nomine שְׁפָיִם vid. not. ſupra III, 2. Onagros amare cacumina ſilvis nudata, teſtatur Pallas in Obſervatt. ſuper aſino fero, quae Gallico ſermone ſcriptae exſtant *in Actis Academ. Scientiar. Petropolit.* anni 1777. P. II. p. 264. *Les Onagres aiment ſurtout les montagnes pelées.* שָׁאֲפוּ רוּחַ כַּתַּנִּים *Trahunt ventum,* anhelant deſiderio cibi et potus, *ſicut dracones,* „quos Aelianus *Hiſt. Animal.* L. II. Cap. 19. obſervat quotidie per aliquot horas erecto capite et ore hiante coelum verſus aſpiratione ſua non ſolum aërem, ſed et volantes aves ad ſe trahere,“ ait Bochartus, l. l. T. II. p. 229. כָּלוּ עֵינֵיהֶם *Deficiunt oculi eorum* diuturno et circumquaque exporrecto pabuli deſiderio. Alioqui onagrorum oculi ſunt natura acerrimi, ut ex Damiro obſervat Bochartus l. l.

7. אִם־עֲוֺנֵינוּ עָנוּ בָנוּ *Si,* ſ. *etſi delicta noſtra reſpondent contra nos,* contra nos teſtantur, ita ut nos convincant, nos poenas commeruiſſe. Orat vates et confitetur hoc

hoc Verfu et duobus qui proxime fequuntur, fuo et populi nomine. עֲשֵׂה לְמַעַן שְׁמֶךָ *Fac propter nomen tuum,* i. e. etfi poenis digni fimus, tu tamen ita nobiscum age, ut tui nominis gloriae convenit, ne, fi vobis non opitularis, commenticiorum deorum cultores tibi ad opem ferendam vires deeffe dicant. Cf. infra Vs. 21. Jof. VII, 9. Pf. XXV, 11. Alii: *propterea quod de nomine tuo vocamur* (infra Vs. 9.), i. e. quoniam tui vocamur. Ita Grotius: „Ita nobiscum age, ut memineris, nos tuos effe.“ Quem fenfum tamen phrafis hebraica לְמַעַן שְׁמֶךָ vix admittat. כִּי רַבּוּ מְשׁוּבֹתֵינוּ לְךָ חָטָאנוּ *Nam multae funt averfiones noftrae,* quibus *tibi,* contra te, *peccavimus,* q. d. habemus omnino caufam precandi, ut non uti promeriti fumus nobiscum agas, fed tui ipfius caufa nobis opem feras.

8. כְּאֹרֵחַ נָטָה לָלוּן *Et ficut viator qui tendit* fcil. אָהֳלוֹ tentorium fuum (ut Genef. XII, 8.) *ad pernoctandum,* quem peregrinantem non tangit terrae cura.

9. Vocem נִדְהָם hoc folo loco obviam illuftravit A. Schultens in *Animadverff. philologg.* in h. l. ex Arabico دَهَمَ *fupervenit inciditque* in aliquid *de improvifo,* ut igitur נִדְהָם fit qui fubitaneo hoftis aut gravioris mali incurfu oppreffus fuccumbit et obftupefactus eft, ita ut confilii plane fit expers. Hieronymus *vagus* reddidit, intellexit, uti Gaabius monuit, haud dubie eum, qui prae ftupore et pavore huc illuc vagatur et discurrit. כְּגִבּוֹר לֹא־יוּכַל לְהוֹשִׁיעַ *Sicut heros qui non potis eft falvare,* tanquam heros, qui alias ob fortitudinem celebratus, inopinato ingruente malo fpem de fe conceptam deftituit. וְשִׁמְךָ עָלֵינוּ נִקְרָא *Et nomen tuum fuper nos nominatur,* i. e. qui de te nominamur, qui tui fumus, cf. quae de hujus phrafeos fenfu notavimus ad Exod. III, 18. edit. tert. אַל־תַּנִּחֵנוּ *Ne deponas,* relinquas *nos,* ut Pf. XCIX, 121. אַל־תַּנִּיחֵנִי לְעֹשְׁקָי *ne relinquas,* permittas *me meis* oppreffloribus.

10.

10. כֵּן אָהֲבוּ לָנוּעַ *Sic*, tantopere *amant vacillare* ſ. *vagari!* Haec verba Salomo Haccohen cum iis, quae ſupra de oberrantibus ad aquam quaerendam queſtus erat vates, hoc ſenſu jungit: inflicta eſt illis haec ſterilitatis et famis calamitas, in qua ad victum ſibi conquirendum per terram vagari coguntur, quia *vagari* amant, i. e. meo cultu deſciſcentes apud alios vel deos vel populos auxilium quaerunt. Similiter C. B. Michaelis, ex cujus Notis manuſcriptis haec affert Filius, Joannes Davides: „Reſpici videtur ad Vs. 3., ubi dixerat, minores a majoribus circumquaque miſſos ad quaerendam fruſtra aquam; quod malum a populo ſuo Jeremias modo precibus avertere contenderat. Ait igitur: eſt quidem hic ſtatus eorum deploratiſſimus, verum *ſic amant* illi *vagari*, atque adeo mala iſta volentes ſibi arceſſunt, nulla miſericordia digni." Sed multo veriſimilius eſt, reſpicere haec Dei verba ad eas quae proxime praecedunt preces prophetae et populi, quibus movere Jovam ſtuderent, ut ſeſe ipſis tanquam eum exhibere velit, qui hunc populum pro ſuo peculio habeat. Quibus jam reſpondet Deus, ita inſtabiles illos eſſe, ut nunc ab ipſo, nunc ab aliis auxilium quaerant. Ita et Rabbi quidam Elieser Cattimellenbogenſis, cujus interpretationem ſecum communicatam affert Salomo Haccohen: „Verſu qui praecedit deprecatus fuerat vates Iſraelitarum nomine a Deo ſalutem, hisque precibus declaraverat, Judaeos gloriari eo, quod Jovae populus vocentur, et illius majeſtas inter ipſos habitet, adeo ut reſipiſcere et Deo adhaerere viderentur, ille vero viciſſim moveatur, ut ſe ipſis porro Deum ſervatorem praeſtet. Quare nunc dicit Jova: *ita amant vacillare!* q. d. hoc modo iſti homines amant huc illuc nutare, ad inſtar arundinis fluvialis, hodie cum urgentur anguſtiis, me Deum ipſorum eſſe gloriantur, cujus amorem conciliare ſtudent, et cras, cum punire deſierim, pergunt delicta committere." רַגְלֵיהֶם לֹא חָשָׂכוּ *pedes ſuos non cohibent* ſcil. מִנּוּעַ *a vacillando*, divagando; nihil in iis ſtabile, non valent firmum greſſum te-

tenere. Alii, ut Eichhornius et Dahlerus, haec verba cum iis, quae proxime praecedunt, כֵּן אָהֲבוּ לָנוּעַ ad generalem peccati lapſum referunt, ad quem ſignificandum alias phraſis *pedibus nutare* adhibetur, ut Pſ. LXXIII, 2. XXXVIII, 17. LXVI, 9. Ita Hieronymus, qui haec verba ſic vertit: *quia dilexerunt movere pedes ſuos, et non quieverunt.* Ad quae in Commentario: „Dicente populo: *quare factus es ut advena, et viator et vagus, ut tuam deſeras manſionem,* reſpondet Deus populo quondam ſuo: quia dilexit populus movere pedes ſuos, et non abſtulit eos de compede peccatorum, ſive non quievit, et ſtare non potuit, idcirco et deſerui eum." Sed quum כֵּן *ita* manifeſte ad ſuperiora reſpiciat, nos in ea quam antea dedimus interpretatione acquieſcendum arbitramur. Haud ſatis accurate Hebraea expreſſit Graecus Alexandrinus his verbis: *οὕτως ἠγάπησαν κινεῖν πόδας αὐτῶν, καὶ οὐκ ἐφείσαντο.* Longius vero a genuino ſenſu receſſit Chaldaeus, his verbis comminationem exilii contineri ratus. Ea enim ſic explicavit: כְּמָה דְרְחִימוּ כֵּן אִתְפְּרַע מִנְּהוֹן לְאַגְלָיוּתְהוֹן מֵאֲרַע שְׁכִנְתִּי וּכְמָה דַהֲווֹ מְעָרְבִין לְפוּלְחַן טַעֲוָתָא וּמִבֵּית מַקְדְּשִׁי רַגְלֵיהוֹן לָא מְנָעוּ *ſicut dilexerunt, ſic vindictam ſumam ab iis, ut transmigrare faciam eos de terra domus majeſtatis meae, et ſicut oblectarunt ſe in cultu idolorum, et de domo Sanctuarii mei non cohibuerunt pedes ſuos.* Similiter Jarchi: „Eo modo, quo de illis decrevi exilium, amarunt ibidem eſſe exſules, ut ſervirent idolis in locis procul remotis." — Jam vates, oblitus quaſi, qua modo uſus eſſet, exordienti rationis, ſermonem ita inflectit, ut, qui Jovae verba repetere coepiſſet, ſuo ipſius jam nomine ſari pergeret; ſic: וַיהוָה לֹא רָצָם *et Jova eos non voluit,* tales homines inſtabiles probare non poteſt; hinc עַתָּה יִזְכֹּר עֲוֹנָם *nunc memor eſt culpae eorum,* וְיִפְקֹד חַטֹּאתָם *et animadvertet in peccata eorum,* nulla deprecationis ratione habita.

11. אַל־תִּתְפַּלֵּל בְּעַד־הָעָם הַזֶּה *Ne deprecare pro hoc populo,* ut ſupra VII, 16. XI, 14. לְטוֹבָה *In bonum,* i. e. ut bene ipſis ſit, ad malum avertendum.

12. כִּי יָצֻמוּ אֵינֶנִּי שֹׁמֵעַ אֶל־רִנָּתָם *Si jejunant, non audio ad clamorem eorum;* ſimilia vid. Jeſaj. I, 15. LVIII, 5. Cf. et ſupra VI, 20.

13. Malitiam populi Judaici negare non audet vates, inſtat tamen, interceſſioni adhuc locum aliquem eſſe poſſe, quandoquidem erret ex ignorantia, ſeductus a prophetis mendacibus. הַנְּבִיאִים Chaldaeus recte interpretatur נְבִיֵּי שִׁקְרָא *prophetas mendaces.* כִּי־שְׁלוֹם אֱמֶת אֶתֵּן לָכֶם *Nam pacem veritatis,* i. e. ſtabilem nec interrumpendam tranquillitatem, *dabo vobis.*

14. שֶׁקֶר הַנְּבִיאִים נִבְּאִים בִּשְׁמִי *Mendacium prophetae vaticinantur meo nomine,* Accuſativus emphaſeos cauſa praemittitur, ut infra XXVII, 10. 14. Cf. XXIII, 25. לֹא־שְׁלַחְתִּים *Non miſi eos,* quod inde manifeſtum eſt, quod iſti prophetae nullum ſuae miſſionis divinae documentum habeant; cf. Deut. XVIII, 20. Dum vero prophetarum fraudes detegit, arguit ſimul populum voluntarii erroris, quod haud inviti ab illis decipiantur; cf. ſupra V, 31. — אֱלִיל *Nihilum,* i. e. vaniſſima vaticinia. אֱלוּל, quod in textu, eſt infrequens et obſoleta forma. וְתַרְמִית לִבָּם *Et fraudem cordis ſui,* i. e. fraudulenta et fictitia vaticinia, quae populo tranquilla et felicia promittunt, quibus vanis promiſſionibus populum decipiunt, efficiuntque, ut delictorum poenas, quas denunciant veri vates, haud timeant.

16. Mendaces illi prophetae, qui alios ſeducunt, luent poenas ſuas (Vs. 15.), verum וְהָעָם אֲשֶׁר־הֵמָּה נִבְּאִים לָהֶם *et homines iſti quibus illi vaticinantur,* et qui illis libenter aurem praebent. וְשָׁפַכְתִּי עֲלֵיהֶם אֶת־רָעָתָם *Et effundam ſuper eos,* vehementis imbris ad inſtar, ita ut uno impetu velut unda malorum undiquaque obruantur, *malitiam eorum,* i. e. poenas, quas ſua malitia ſibi concitarunt; cf. ſupra II, 19.

17. De phraſi תֵּרַדְנָה עֵינַי דִּמְעָה vid. not. ſupra ad XIII, 17. וְאַל־תִּדְמֶינָה *Nec ceſſant.* Verbum דָּמָה, ut cognata דָּמַם et דּוּם, *ſilendi* et *ceſſandi* ſignificatus communes

munes habere conſtat. Eadem quae hic leguntur, Thren. II, 18. III, 48. 49. „Haec dicere prophetam Deus jubet, ut pavorem illis incuteret, ſi forte, cum haec audirent, reſipiscerent.“ Kimchi. Ad מַכָּה נַחְלָה vid. not. ſupra ad X, 19.

18. תַּחֲלוּאֵי רָעָב *Aegritudines,* afflictationes, dolores *famis.* Chaldaeus: מְמַרְעֵי כַּפְנָא *infirmi fame.* Syrus: ܡܢ ܟܦܢܐ ܟܦܢܝܢ *languentes fame.* כִּי גַם־נָבִיא גַם־כֹּהֵן סָחֲרוּ אֶל־אֶרֶץ *Sed et propheta* (Chaldaeus interpretatur סַפְרָא *doctus,* legisperitus) *et ſacerdos circumeunt per terram,* i. e., recte explicante Jarchio, circumeunt ut quaerant liberationem ex iis, quibus omnes urgentur, anguſtiis, וְלֹא יָדָעוּ *ſed neſciunt* ſcil. quidquam remedii illis malis. Alii aliter. Kimchi: circumeunt, vagantur, ſcil. exſules ad terram, quam neſciunt. Ita Hieronymus: „Et quid mirum hoc (quod praeceſſit) de plebe et ignobili vulgo dicere? quum prophetae quoque et ſacerdotes, qui alia proſpera prophetabant, et qui debebant Legis aperire mandata, ipſi ierint in terram quam ignorabant, et captivitatis ſuſtinuerint malum.“ Quum verbum סחר Hebraeis aliis locis ſpeciatim ſit: *obire terram commercii,* ſ. *negotiandi cauſa* (vid. e. c. Geneſ. XLII, 34.), ſunt, qui his verbis avaritiam ſacerdotum et mendacium prophetarum accuſari exiſtiment. Ita Chaldaeus: אִתְפְּנִיאוּ לִסְחוֹרַתְהוֹן עַל דִּי מַה בְּאַרְעָא וְלָא בַקַּרוּ *converſi ſunt ad negotiationes ſuas, de eo quod eſt in terra, nec viſitant* ſive *quaerunt,* ſcil. quae publico commodo inſerviant, ea non curant. In hunc ſenſum et Grotius locum interpretatur: „Dicit, tam prophetas illos falſos, quam ſacerdotes pariter id egiſſe, ut ſtultitiam populi ſibi haberent queſtui.“ Verba Verſus poſtrema vero, *non intellexerunt,* ad Judaeos refert, qui non intellexerint, ſe decipi agyrtarum dolis.

19. Nova Jeremiae ad Deum deprecatio nomine totius populi concepta. Poſterius Verſus hemiſtichium, קַוֵּה לְשָׁלוֹם וגו׳, legitur et ſupra VIII, 15., ubi cf. not.

21. אַל־תִּנְאַץ *Ne rejicias* fcil. folium gloriae tuae, ut fequitur. לְמַעַן שִׁמְךָ *Propter nomen tuum*, qui mifericors vocaris, ut vult Jarchi, collato Exod. XXXIV, 6. Malim: propter nominis tui famam, ut te numen potentiffimum oftendas, ut fupra Vs. 7. אַל־תְּנַבֵּל כִּסֵּא כְבוֹדֶךָ *Ne deturpes folium gloriae tuae*, i. e. templum, ne permittas illud populis barbaris profanandum et deftruendum. אַל־תְּנַבֵּל vertunt nonnulli: *ne vilipendas*, ut Mich. VII, 6. בֵּן מְנַבֵּל אָב *filius vilipendit patrem*, vid. et Nah. III, 6. Deuter. XXXII, 5. Sed quum fortius אַל־תִּנְאַץ praeceffiffet, נִבֵּל, ut fit gradatio, hic videtur fignificatu confoni Chaldaici verbi capiendum: *abominabile reddere, foedare, deturpare.* Graecus Alexandrinus μὴ ἀπολέσῃς vertit, non quod תְּאַבֵּד legerit, uti vult Cappellus in *Nott. critt.* ad h. l., fed, recte animadvertente Schleusnero, fenfum liberius expreffit. זְכֹר אַל־תָּפֵר בְּרִיתְךָ אִתָּנוּ *Memor fis, ne irritum facias foedus tuum nobiscum*, memento foederis, quod tu cum patribus noftris pepigifti, quo tu ipfis Deum fervatorem femper futurum effe promififti, idque ratum habeas; cf. Exod. XXXII, 13. Levit. XXVI, 44. 45. Deut. IV, 31.

22. Nova ratio, qua Deum vates ad fuis opitulandum movere ftudet, quod, nifi ipfe, nemo poffit Judaeos juvare; qui vero omni confilio et auxilio deftituitur, ille maxime eft miferandus. הֲיֵשׁ בְּהַבְלֵי הַגּוֹיִם מַגְשִׁמִים *Num funt inter vanitates*, i. e. inter deos vanos, commentitios (ut fupra VIII, 19.) *gentium, qui pluere faciant?* ut praefens neceffitas requirit, fupra Vs. 1. וְאִם־הַשָּׁמַיִם יִתְּנוּ רְבִיבִים *Et num coelum dabit imbres*, fcil. fponte, fine te tuoque numine. הֲלֹא אַתָּה־הוּא *Nonne tu es?* fcil. qui pluviam dat. כִּי־אַתָּה עָשִׂיתָ אֶת־כָּל־אֵלֶּה *Nam tu fecifti haec omnia*, coelum, pluvias, et quidquid eft in omni rerum natura.

Cap. XV, 1. Refpondet Jova prophetae, qui Vs. 22. Capitis fuperioris pro populo denuo deprecatus fuerat. אִם־יַעֲמֹד מֹשֶׁה וּשְׁמוּאֵל לְפָנַי *Si ftaret Mofes et Samuel coram me,* ut folent orantes, cf. infra XVIII, 20. Si vel duo illi, inquit Jova, fanctiffimi viri, te majores, viverent et pro populo intercederent, me tamen non moverent. Commemorantur Mofes et Samuel fui populi amantiffimi, femperque ad preces pro eo parati, ut de Mofe quidem vid. Exod. XXXII, 11. 14., de Samuele 1 Sam. VII, 6. feqq. Pf. XCIX, 6. — אֵין נַפְשִׁי אֶל־הָעָם הַזֶּה Tamen *non effet anima mea ad,* erga *eos,* non tamen moverer, ut populum iftum mifericordiae et benevolentiae affectu amplecterer. נַפְשִׁי Jarchi recte רצוני *benevolentia mea,* favor meus interpretatur. Conf. not. fupra ad VI, 8. שַׁלַּח מֵעַל פָּנַי *Ejice,* jube exire iftos homines, אֶת־הָעָם הַזֶּה, *a confpectu meo.* Vox graviter irati et cum impetu loquentis q. d. apage hunc populum a me, quem adeo naufeo, ut nolim eam a te porro in precibus commemorari aut in confpectum meum adduci. Loquitur Deus ita ac fi populus ipfe, cujus perfonam propheta fuftinebat, fimul adeffet, et una cum propheta deprecaretur. וְיֵצֵאוּ *Et exeant* fcil. e confpectu meo.

2. אָנָה נֵצֵא *Quorfum abeamus?* q. d. quorfum ergo vertemus nos miferi, quandoquidem tu jubes nos a tuo confpectu pelli, aut quorfum deveniemus? aut quam dira nobis fubeunda erunt? אֲשֶׁר לַמָּוֶת לַמָּוֶת וגו׳ *Qui ad mortem* fcil. abit, ei deftinatus, abeat *ad mortem,* neque enim illos amplius curabo tanquam meos, fed permiffurus fum eos diriffimis plagis. Eadem leguntur infra XLIII, 11., et brevius ea enuntiat Zachar. XI, 9. מָוֶת *Mors* h. l. eft peftis, ut infra XVIII, 21., et θάνατος Apocal. II, 23. VI, 8. Sic Alexandrini Exod. IX, 3. דֶּבֶר כָּבֵד מְאֹד vertunt θάνατος μέγα σφόδρα. Arabibus مُوتَان eft *morbus epidemicus.* Notat R. Jochanan in Tractatu Talmudico *Baba bathra* fol. 8. b., et ex eo Jarchius, effe in hoc Verfu grada-

gradationem, ita ut omne in eo quod fequitur gravius fit eo quod praecedit; *gladium* enim, f. necem gladio illatam, effe gravius morte naturali, quum fupplicium gladii turpe fit, mors naturalis vero non item, ut Pf. CXVI, 15. dicitur: *Pretiofa eft in oculis Jovae mors piis ejus;* fame confumi et mori gravius eft, quam gladio interfici, quoniam illa diros cruciatus affert, ut Thren. IV, 9. habetur: *feliciores fuerunt confoffi gladio, quam fame confumti,* in captivitate vero tria illa omnia funt conjuncta."

3. וּפָקַדְתִּי עֲלֵיהֶם אַרְבַּע מִשְׁפָּחוֹת *Et praeficiam, conftituam illis quatuor familias,* i. e. genera poenarum, quae ftatim commemorat. וְאֶת־הַכְּלָבִים לִסְחֹב *Et canes ad trahendum,* qui occiforum cadavera ab ipfis dilaceranda humi huc illuc trahant.

4. וּנְתַתִּים לְזַעֲוָה לְכֹל מַמְלְכוֹת הָאָרֶץ *Reddamquê eos in commotionem omnibus.* Hac phrafi, adagiali, uti videtur, nam legitur et Deut. XXVIII, 25. et infra XXIV, 9. XXIX, 18. XXXIV, 17., funt qui fignificari exiftiment, fore ut Judaei patria extorres vagi [illegible]ent, undique expulfi. Vel: erunt *agitationi,* i. e. vexationi omni expofiti. Sed quum זוּעַ et *terrore concuti* denotet, maxime Chaldaeis, et Syris ܙܥ *timere,* a commotione animi, fenfus videtur effe hic: terrori erunt, poenarum exemplum, ad quod omnes contremifcant. Ita Jarchi: כל השומע רעה שבאה עליהם יזוע *quicunque audiverit, quantum malum iis fupervenerit, trepidabit.* Conf. Jefaj. XXVIII, 19. וְהָיָה רַק זְוָעָה הָבִין שְׁמוּעָה *et pavori erit vel famam intelligere.* Pro לְזַוָעָה, quomodo Confonantes in textu pofitae, funt enunciandae, ad marginem, transpofitis literis, legi לְזַעֲוָה jubetur. בִּגְלַל מְנַשֶּׁה וגו׳ *Propter Manaffen, filium Hiskiae, regem Judae,* qui et ipfe idola ac fidera coluit, et populum Judaicum ad eorum cultum feduxit, vid. 2 Reg. XXI, 1. feqq.

5. כִּי מִי־יַחְמֹל עָלַיִךְ יְרוּשָׁלַםִ *Quis enim clementia erga te utatur, o Hierofolyma!* q. d. me tandem te

exitio

exitio dare, nemini, cui quot et quanta delicta in te admiſeris, ſit cognitum, mirum accidet. וּמִי יָנוּד לָךְ *Et quis tibi condoleat?* De verbo נוּד vid. not. ad Job. II, 11. וּמִי יָסוּר לִשְׁאֹל לְשָׁלֹם לָךְ *Et quis divertat* ſcil. ex via, in praetereundo, *ad interrogandum te de pace*, ſ. *ſalute*, i. e. ad ſalutandum te, ut tibi receptam ſalutandi formulam שָׁלוֹם לָךְ acclamet, et quomodo valeas inquirat; conf. Geneſ. XLIII, 27. 1 Sam. X, 4. 2 Sam. VIII, 10. ܫܐܠ ܒܫܠܡܐ Syris eſt *ſalutare.* Adeo quisque te propter flagitia tua horret, ut ne ſalutare quidem te dignetur. Male Hieronymus de deprecatione haec verba intellexit; ſic enim ea vertit: *quis ibit ad rogandum pro pace tua?*

6. Verba נִלְאֵיתִי הִנָּחֵם *defeſſus ſum poenitere* Jarchi recte ſic interpretatur: „ſaepe decreveram te perdere, ſed poenituit me propoſiti; jam vero illud exſequar.“ Senſum Graecus Alexandrinus recte expreſſit his verbis: *καὶ διαφθαρῶ σε καὶ οὐκέτι ἀνήσω αὐτούς.*

7. וָאֶזְרֵם בְּמִזְרֶה *Ventilabo eos in ventilabro*, disjiciam eos et disperdam per terram, ut palea disjicitur ventilabro. Eandem imaginem magis exornatam vid. ſupra VII, 11. „Noli vertere *ventilabo*, ſed in Praeterito: *ventilavi illos.* Exigunt id non ſolum puncta Vau converſivum habentia, ſed etiam ſequens membrum, ubi poſt poenarum commemorationem ſubjungitur: *noluerunt reverti.* Ventilationis ſymbolo ſignificantur h. l. initia poenarum modica, in quibus pars modo populi perit, ut videatur palea modo a tritico discerni.“ Haec J. D. Michaelis; ſed minus recte. Neque enim modica mala illa imagine ſignificari, ſed disperſionem, ſive exilium in terris exteris, vidimus ſupra IV, 11., cf. Ezech. VI, 8. XXXVI, 19. Nec de praeterito tempore loquitur vates; ſed *Praeterita prophetica* ſunt hic, et Vs. 6. 8. 9., quibus ſignificatur, quae hic praedicuntur certo et brevi eventura eſſe. De poſtremis Verſus verbis vid. infra. בְּשַׁעֲרֵי הָאָרֶץ *In portis terrae*

terrae quidam capiunt de loco, in quo stat ventilans, et ex quo projicit in alium locum frumentum quod ventilat; haud satis commode. Chaldaeus vertit בְּקִרְוֵי אַרְעָא *in urbibus terrae*, quum שְׁעָרִים *portas* per synecdochen partis pro toto haud raro *urbes*-notare constet. Sed videntur potius *fines* sive *extrema terrae* significari, per quae aditus et exitus ad eam et ex ea patet. Similiter Arabibus cognatum nomini Hebraico ثُغُور *rimae* usurpari de finibus, limitibus regionis alicujus, observavit A. Schultens in *Animadverss. philologg.* ad h. l. In hunc sensum Hieronymus in Commentario: „*Et dispersi in portis terrae*, ut inferi quodammodo calcarent limina.“ Graecus Alexandrinus verba בְּשַׁעֲרֵי הָאָרֶץ cum eo quod sequitur conjunxit hoc modo: ἐν πύλαις λαοῦ μου ἠτεκνώθησαν, persona prima singulari שִׁכַּלְתִּי conversa in tertiam pluralem, nisi potius cum Theodoreto legendum sit ἠτεκνώθησα. Ante מִדַּרְכֵיהֶם לוֹא שָׁבוּ subaudiendum est אֲשֶׁר, *qui* sive *quia a viis suis malis non sunt conversi*. Sensum Alexandrinus recte expressit: διὰ τὰς κακίας αὐτῶν.

8. In verbis עָצְמוּ־לִי אַלְמְנוֹתָיו *numerosiores factae sunt mihi viduae ejus* arena maris, primae personae Dativus redundat, ut statim לָהֶם, cujus loquendi moris exempla plura attulit Gesenius *Lehrgeb.* p. 736. Suffixum in אַלְמְנוֹתָיו respicit ad nomen עַם Vs. praecedente. In iis quae sequuntur, הֵבֵאתִי לָהֶם עַל־אֵם בָּחוּר שֹׁדֵד, explicandis non consentiunt interpretes circa verba עַל־אֵם בָּחוּר. Sunt, qui asyndeton esse putent. Ita Syrus et qui eum hic sequitur, Arabs: ܐܝܬܝܬ ܥܠܝܗܘܢ ܥܠ ܐܡܐ ܘܥܠ ܥܠܝܡܐ ܒܙܘܙܢܐ *adduxi contra eos, contra matrem et contra juvenes vastatorem*, i. e. qui matres aeque ac juvenes filios perdat. Quod et C. B. Michaeli placet, qui confert Genes. XXXII, 12. *Ne occidat* אֵם עַל־בָּנִים *matrem super liberis*, et Hos. X, 14. אֵם עַל־בָּנִים רֻטָּשָׁה *mater super liberis*, una cum liberis *allisa* humi *fuit*. Sed durius est

asyn-

aſyndeton, obſcuritatem et ambignitatem orationi inducens. Chaldaeus locum ſic interpretatur: אַיְתֵיתִי עֲלֵיהוֹן עַל סִיעַת עוּלֵימֵיהוֹן בָּזוֹזִין *adduxi contra eos, contra coetum juvenum eorum vaſtatores.* Eum ſequutus et Kimchi nomen אֵם ſignificatione קְהִלָּה *coetus, congregationis* capit, quam tamen nusquam alias habet. Hieronymus; *induxi eis ſuper matrem adoleſcentis*, i. e. ſuper matres quae filios juvenes habent, *vaſtatorem.* Jarchi *matre*, אֵם, hic *μητρόπολιν*, Hieroſolymam deſignari exiſtimat, quae 2 Sam. XX, 19. עִיר וְאֵם בְּיִשְׂרָאֵל *urbs et mater in Iſraele* appellatur. Quod Hebraeorum alii ſequuti בָּחוּר שֹׁדֵד *juvene vaſtatore* intelligunt Nebucadnezarem, quem juvenem pater Nabopalaſſar cum exercitu miſit ut Aegyptios Syria expelleret, et Judaeam occuparet. Ita verba hoc modo erunt vertenda: *adduxi illis contra urbem primariam juvenem vaſtatorem.* Id placuit Schleusnero, Eichhornio et Dahlero, qui locum ſic reddidit: *J'ai même conduit contre la capitale un jeune* heros, *qui ravage* ſans crainte *en plein midi.* Verum recte Schnurrerus monuit, אֵם vix poſſe h. l. Hieroſolymam eſſe, hoc enim ſenſu neceſſe fuiſſe articulum ה praeponi, eſſe nomen אֵם multitudinis ſenſu, ſive collective capiendum, non minus ac בָּחוּר dictum eſt pro בַּחוּרִים, hoc ſenſu: *adduxi iis*, Judaeis, *contra matres juvenes vaſtatores*, i. e. copias hoſtiliter incurſantes, matribus non parcentes. Significatur, innumeris feminis non viduitatem ſolum, ſed et orbitatem eſſe eventuram. Simili modo jam Graecus Alexandrinus verba cepit; ſic enim ea vertit: *ἐξήγαγον ἐπὶ μητέρα νεανίσκους, ταλαιπωρίαν ἐν μεσημβρίᾳ.* „Quod בַּצָּהֳרַיִם *meridiano tempore* hoſtes cladem inferre dicuntur, tantum abeſt, ut non magni quidquam nec inexſpectati habeat, quod J. D. Michaelis obvertit, ut ſignificet potius, copias eſſe, quae nec moleſtias curent, nec fraudes bellicas, ſed nullo non tempore, etiam iniquiſſimo, aperta vi agant, certiſſimo rerum eventu; quemadmodum idem Jeremias Vs. 4. eosdem hoſtes, Babylonios, dicit paratiſſimos, ut

nulla mora, etiam in meridiani aestus molestia, urbem invadant." Schnurrerus. In explicando altero Versus hemistichio, הִפַּלְתִּי עָלֶיהָ פִּתְאֹם עִיר וּבֶהָלוֹת, interpretibus negotium facessit nomen עִיר, quum consueta ejus significatio minus apta videatur hoc loco. Sunt quidem, inter quos C. B. Michaelis, qui illa retenta sic vertant: *cadere feci super eam repente urbem et terrores,* quorum verborum sensum hunc esse volunt: efficiam derepente, ut ruinae urbis ab hostibus devastandae super capitibus incolarum concidant magna cum consternatione. Quae sententia tamen verbis hebraicis iis, quae in textu leguntur, minus concinne expressa foret. Alii ad הִפַּלְתִּי subaudiunt חַיִל *copias militares,* aut שֹׁדֵד *vastatorem,* et vertunt: *feci, ut subito super eam irrueret* vastator, *urbs et terrores,* i. e. urbs terroribus perculsa fuerit. In hunc modum Chaldaeus: אַיְתֵיתִי עֲלֵיהוֹן מַשְׁרְיָן בִּתְכֵף וְחַבִּילָא קִרְוֵיהוֹן *adduxi contra eos exercitus repente, et perdidit* hostis *urbes eorum.* Quae interpretatio quam sit violenta, vix est quod moneamus. *Urbis* significationem huc non quadrare, vidit jam Graecus Alexandrinus, qui locum sic reddidit: ἔῤῥιψα ἐπ' αὐτὴν ἐξαίφνης τρόμον καὶ σπουδήν. Tribuit interpres nomini עִיר significatum *tremoris, consternationis,* quem collato Arabico غير, quod in Conjugatione secunda de *alienatione mentis* ejusque turbatione dicitur, illi vindicare studuit A. Schultens in *Animadverss. philologg.* ad h. l. Eo significatu adscito Gaabius nostrum locum sic interpretatur: *adducam adversus matrem juvenis fortis vastatoris in meridie,* i. e. qui in ipso meridiano aestu fortiter pugnat, *et cadere faciam super eam tremorem et terrores.* Durius tamen videtur posterius hemistichium ita cum priori jungere, praesertim quum voci הִפַּלְתִּי copula non sit praefixa. Ludov. de Dieu עִיר hic idem quod צִיר *cruciatus* valere sumit, literis ע et צ more Chaldaico permutatis, uti עָר Chaldaeis est pro צַר *hostis,* אֲרַע, אַרְעָא pro אֶרֶץ *terra.* Neque tamen hanc literarum permutationem

tionem hic ſtatuere neceſſe eſt, ſi cum N. G. Schroedero in *Obſervatt. ad Origg. Hebrr.* Cap. II. §. 28. p. 34. עִיר h. l. *aeſtum doloris, pavoris* et *conſternationis*, ut Arabicum غَيْر, denotare ſtatuimus, ut ſignificetur aeſtus doloris, quo matres, filiis per clades repentinas orbatae, animo vehementer perturbarentur. Opportune jungitur בֶּהָלוֹת, quod proprie *quaſſationes*, hinc *terrores* notat animum ita percellentes, ut ſibi quaſi excutiatur, neque ſui amplius ſit compos.

9. אֻמְלְלָה יֹלֶדֶת הַשִּׁבְעָה *Languore confecta eſt quae ſeptem peperit*, felix prole ſeptem filiorum mater, omnibus filiis in bello caeſis, luget. Cf. 1 Sam. II, 5. עַד־עֲקָרָה יָלְדָה שִׁבְעָה וְרַבַּת בָּנִים אֻמְלָלָה *eousque ut ſterilis ſeptem* filios *pariat, et quae multos habet filios effeta fiat.* Magnitudo cladis deſcribitur tanta, ut e ſeptem fratribus ne unus quidem ſuperſit. נָפְחָה נַפְשָׁהּ *Efflavit animam ſuam*, prae dolore et terrore. Cf. Job. XXXI, 39. וְנֶפֶשׁ בְּעָלֶיהָ הִפָּחְתִּי *et ſi animam dominorum ejus efflare feci*, ad quem loc. cf. not. בָּאָה שִׁמְשָׁהּ בְּעֹד יוֹמָם *Ingreſſus eſt ſol ejus*, i. e. occidit *dum* eſſet *adhuc interdiu*, ut Amos. VIII, 9. *occidit ſol in* ipſa *meridie*, dum ſe maxima tranquillitate et exoptatiſſimo rerum ſuarum ſtatu frui putabat. Simili imagine uſus poeta Arabicus in *Excerptis ex Hamaſa* ab A. Schultens ad calcem Grammaticae Erpenianae editis p. 519.

وَإِنْ كَانَ يَوْمًا ذَا كَوَاكِبَ مُظْلِمَا

et ſi fuerit dies ita *obſcuratus, ut ſtellae apparerent.* בּוֹשָׁה וְחָפֵרָה *Pudet erubeſcitque.* „Materne? an ſol? qui et ipſe erubeſcere dicitur Jeſaj. XXIV, 23. Mallem poſterius, hac quidem ſententia, ſolem ipſum tantam intueri cladem nolle, ſed pudefactum et triſtem tenebris involvi. De matre enim et languet poſt tot atrociora, et inepte poſitum eſt *pudendi* verbum.“ J. D. Michaelis. וּשְׁאֵרִיתָם

Et

Et reliquias eorum, qui ex grandibus illis malis fuperftites manebunt poft everfam Urbem.

10. Repudiata a Deo deprecatione fua, vates in lamentabiles voces effunditur, miferam nafcendi conditionem deplorans, fiquidem populi fui, cui optime cupiebat, objiciendus rixis fuit. Similia hisce vid. infra XX, 14. Job. III, 1. feqq., et cf. Lowthii *de Sacra Hebraeorum Poësi* Praelect. XIV. p. 151. edit. Lipf. et J. D. Michaelis Not. 72. אִישׁ רִיב וְאִישׁ מָדוֹן לְכָל־הָאָרֶץ *Virum litis et virum contentionis toti terrae*, i. e. omnium rixis et objurgationibus expofitum, ut Pf. LXXX, 7. תְּשִׂימֵנוּ מָדוֹן לִשְׁכֵנֵינוּ *ponis nos contentionem vicinis noftris*, ad quem locum vid. not. Quia, inquit, cogor denuntiare illis increpationes et comminationes divinas, quocunque me verto, invenio qui mecum rixantur, et innocentem calumniantur et exfecrantur, quum tamen לֹא־נָשִׁיתִי וְלֹא־נָשׁוּ־בִי *non foeneraverim* fcil. בָּהֶם *illis*, *neque* ipfi *foeneraverint mihi*, i. e. eos nullo modo gravaverim, ita ut vel immitis foeneratoris vel mali debitoris inftar, maledicta meruiffem. J. D. Michaelis *commodare et mutuum dare* proverbialiter pofitum effe videtur pro *litigare*, *contendere*, quia in vita communi litium materiam fere praebet. In Graecae Alexandrinae codicibus quotquot hodie exftant verba illa fic reddita leguntur: *οὔτε ὠφέλησα, οὔτε ὠφέλησέ με οὐδεὶς*, quomodo et legiffe Hieronymum apparet inde, quod Graeca haec fic vertit: *non profui, neque profuit mihi quisquam*. Sed obfervavit jam Origenes in Homil. XIV. et XV. in hoc Jeremiae Caput, effe *ὠφέλησα* et *ὠφέλησέ με*, vitium fcriptoris (*γραφικὸν εἶναι ἁμάρτημα*) pro *ὠφείλησα debui* et *ὠφείλησε* debuit. כֻּלֹּה מְקַלְלַוְנִי Et tamen *unusquisque maledicit mihi*. De forma anomala vocis fecundae Grammatici diffentiunt. Kimchi et in Commentario ad h. l. et in *Michlol* f. Grammatica fol. 79. מְקַלְלַוְנִי Participium compofitum exiftimat e duobus verbis קָלַל *maledicit*, et קָלַל *vilipendit*, *ignominia affecit*; utrumque fignificatum a propheta in unius

vocis

vocis formam contractum esse לְקַצֵּר הַלָּשׁוֹן וּלְצַחוּתוֹ *ad brevitatem sermonis et elegantiam ejus;* ה autem Verbi קָלָה mutatum esse in ו mobile, ut saepe alias, quod nisi factum esset, non potuisset commode animadverti significatio ejus Verbi. Buxtorfius in *Thes. Grammat.* L. II. Cap. 17. p. 496. formam compositam esse putat e Praeterito et Participio ejusdem Verbi קָלַל, resolvendam in קִלְלוּנִי *maledixerunt mihi* et מְקַלְלַנִי *maledixit mihi* quisque. Altingio in *Fundamm. punctat. ling. S.* p. 227. conflatum videtur e Participio מְקַלְלִי in pausa, et Futuro יְקַלְלוּנִי, vertitque: *maledicentes mei maledicunt mihi.* Verum recte A. Schultens in *Institutt. ad fundamm. Linguae Hebr.* p. 399. quod diversa tempora in unum coisse dicantur a linguae indole alienum, nec puritate veteris linguae satis dignum judicat. Et ipsi quidem מְקַלְלְוַנִי *maledicentes mihi* videtur esse Plurale antiquum מְקַלְלִין pro מְקַלְלִין, ut ין et ון apud Arabes obtinent in Plurali masculino; vel pro מְקַלְלוּנִי *maledicens sibi me*, cum adfixo ו et נִי. Sed p. 498. resolvendum putat in מְקַלֵּל הוּא *ipse*, cum suffixo נִי. „Certe," inquit, „Syriaca dialectus suum הו in הֻו trajicit, et cum praecedenti vocabulo connectere amat. Sic gravissima oritur structura, quales Syria praesertim frequentat: כֻּלֹּה מְקַלְלְוַנִי *universitas ipsius maledicens ipse mihi.*" H. B. Starkius in *Luce Grammat. Hebr.* p. 332. edit. quint. vertit *ignominia me afficiens*, a verbo קָלָה pro מְקַלְלַנִי, tertia radicali ו, quae ante Suffixum alias excidere solet, in homogeneam ו mobilem mutata. Quod quidem Schultensianis conjecturis praetulerim, nisi cum Gesenio in *Lex. hebr. minori* p. 833. edit. sec. statuere malis, coaluisse in מְקַלְלְוַנִי duas, quae olim in codicibus exstiterint, lectiones, unam מְקַלְלֵנִי, alteram קִלְלוּנִי; cf. Ejus *Lehrgeb.* p. 462.

11. Responso suo Deus animum prophetae erigit et confirmat. אִם־לֹא שֵׁרִיתִךָ לְטוֹב *Si non solvero te in bonum*, subaudi solennem in jurejurando formulam: *non vivam*, i. e. ita vivam! expediam te illis tuorum adver-

sariorum

sariorum injuriis et vexationibus, ut bene tibi sit, ut supra XIV, 11. לְטוֹבָה. Verbum שָׁרָה, in codice Hebraeo hoc solo loco obvium, Aramaeis frequens est *solvendi, expediendi* significatu. Quae in textu exstant literae sunt שרותך enunciandae, i. e. *solvendo te* scil. solvam. Quod Gesenius in *Lex. min.* p. 789. 790. illas שֵׁרוּתְךָ *initium tuum* legendas ait, vix commodam admittat interpretationem. Et adversatur analogiae lectionum כְּתִיבָ et קְרִין, quae fere sensu convenire, et in forma tantum differre solent. Jarchi et Kimchi שֵׁרִיתִךָ putant pro שְׁאֵרִיתְךָ *reliquiae tuae*, i. e. reliquum vitae tuae tempus, positum, Chaldaeum sequuti, qui vertit: אִם לָא סוֹפָךְ יְהֵי לְטָב *si non fuerit finis tuus in bonum*, ut promittat Deus vati reliquo vitae suae tempore felicia omnia. Sed recte R. Dones, Jarchio laudatus, et R. Jona apud Kimchium, nostrum שֵׁרִיתִיךָ deducunt a שָׁרָה, ejusdemque dicunt esse Conjugationis et significationis, cujus Chaldaicum מְשָׁרֵא Dan. V, 12. *et solvens nodos* scil. rerum arcanarum, eo sensu, quem supra indicavimus. Graecus Alexandrinus prius Versus hemistichium sic reddidit: *γένοιτο, δέσποτα, κατευθυνόντων αὐτῶν*, *fiat, Domine, dirigentibus illis*, לְטוֹב non expresso. Pro אָמַר legit אמן, et pro לא שריתיך Dathius illum לא שליתיך legisse conjicit. Verisimilius quod sumit Schnurrerus, illud *κατευθυνόντων αὐτῶν* ex eo ortum esse, quod interpres literas לא haud sejungens a proximis, videretur sibi videre Infinitivum verbi אָשַׁר cum ל praefixo. Ad hemistichium posterius, אִם־לֹא הִפְגַּעְתִּי בְךָ .... אֶת־הָאֹיֵב, Ludov. de Dieu recte haec notat: „Observandum, verbum פָּגַע *intercedere, intervenire, orare*, construi in Kal et Hiphil cum ב personae, quae oratur, ut liquet ex Jerem. VII, 16. XXVII, 18. XXXVI, 25. Job. XXI, 15., et cum ל personae *pro* qua oratur, ut Jesaj. LIII, 12. Utrumque simul occurrit Genes. XXIII, 8. פִּגְעוּ לִי בְּעֶפְרוֹן *orate pro me Ephronem.* In eandem ergo sententiam et hic dicendum fuerat: אִם לֹא הִפְגַּעְתִּי לְךָ בְּאֹיֵב. Quod igitur hic in textu est, אִם־לֹא הִפְגַּעְתִּי בְךָ אֶת־הָאֹיֵב, vertendum: *si non fecero*

fecero orare te inimicum tuum, i. e. ut oret te inimicus, et ipſe ſupplex tibi occurrat.“ Ita Chaldaeus: אִם לָא יֵיתוּן וְיִבְעוּן מִנָּךְ בְּעִדָּן דְּאֵיתֵי עֲלֵיהוֹן סַנְאָה וְיָעִיק לְהוֹן בְּעִידַּן עָקְתָא *ſi non venient et deprecabuntur te in tempore, quo contra eos hoſtem adduxero, eosque adverſarius arctabit.* Eodem modo Jarchi: „Quando veniet ſuper eos (Judaeos) malum, orabunt, ut pro ipſis a me, Deo, miſericordiam petant; ſicuti Zedekias vati dixit (infra XXI, 2.): *Conſule, quaeſo, pro nobis Dominum.*“ Schnurrerum miror novam his verbis fieri ſermonis ad populum converſionem ſtatuere, hoc ſenſu: *et certiſſime in te,* populum, *quum venerit juſtum tempus calamitatis, immittam hoſtes.* Repentinum hunc eſſe atque improviſum orationis ad alium tranſitum, ipſe fatetur, ſed quem hic agnoſcere nulla nos cogit neceſſitas, quum verba eo quem indicavimus modo explicata ſenſum fundant iis quae praecedunt apprime convenientem. Non tantum, inquit Deus vati, te eorum vexationibus expediam, verum etiam efficiam, ut quem nunc divexant, ei, neceſſitate urgente, et ipſi ſupplices fiant.

12. הֲיָרֹעַ בַּרְזֶל בַּרְזֶל מִצָּפוֹן וּנְחֹשֶׁת *Num franget* quisquam, i. e. num frangetur *ferrum, ferrum*, inquam, quod *ex ſeptentrione* affertur, *et aes?* Quod nonnulli de propheta intelligunt, ita a Deo munito, ut ab adverſariis ei illatae injuriae nihil ipſi noceant, ut haec verba ad confirmandum prophetae animum pertineant, ut Vs. 11. Ita Ludov. de Dieu: „quam eſt impoſſibile ferrum, praeſertim aquilonare, et aes frangi, tam impoſſibile erit te vinci ab adverſariis tuis.“ In eandem ſenſum Grotius, niſi quod is בַּרְזֶל prius in Caſu primo de Judaeis vati inimicis, et בַּרְזֶל מִצָּפוֹן וּנְחֹשֶׁת in Accuſativo capit de propheta, hoc modo: an ferrum nocere poterit et ferro aquilonari et aeri? Id eſt: eſto, Judaei ſint duri ut ferrum, ego tibi ero pro duplici muro, altero chalybeo, altero aheneo; cf. infra Vs. 21. ſupra I, 18. Sed quum Verſu ſuperiore mentio ſit facta temporis mali et anguſtiarum pleni, quo

vatis

vatis adverſarii ipſum ſint ſupplices adituri, et Verſibus qui proxime ſequuntur ingruentium malorum denunciatio contineatur; magis eſt veriſimile, vatem hoc Verſu converſa ad Judaeos oratione iis comminari mox futuras per Chaldaeos calamitates. Eorum irruptionem declarat fore invincibilem, nec eam retundi poſſe: ſicut ferrum, inquit, aut aes frangi nequit, ita nec hoſtium in te ingruentium robur frangetur. *Ferro aquilonari,* בַּרְזֶל מִצָּפוֹן, Grotius et J. D. Michaelis deſignari exiſtimant duriſſimum, chalybem, ita dictum a Chalybibus, quorum regio Palaeſtinae ad aquilonem ſita, ferro celebrata apud veteres; vid. Bocharti *Geogr. S.* P. I. L. III. Cap. 12. p. 208. Vatem vix dubium eſt alludere ad Chaldaeam, unde hoſtes venturi erant; cf. ſupra VI, 1. XIII, 20. Veteres in hoc Verſu interpretando invicem diſcedunt. Chaldaeus: מַלְכָּא תַּקִּיף כְּבַרְזְלָא יִסַּק לְסַעַר מַלְכָּא תַּקִּיף כְּבַרְזְלָא וְכִנְחָשָׁא יֵיתֵי מִצִּפּוּנָא עֲלַהּ לְמִתְבְּרַהּ *Et rex, qui fortis eſt ſicut ferrum, aſcendet, ut fulciat,* ſ. *adjuvet* ſcil. Judaeos; *rex* vero *fortis ſicut ferrum et ſicut aes, veniet ab aquilone contra eam* (urbem, vel terram Judaicam), *ut conterat eam.* Senſus eſt, explicante Jarchio: an Pharao, qui venit vobis auxilio, quique durus eſt inſtar ferri, confringet Nebucadnezarem, qui eſt ferrum ex aquilone veniens et aes? Minime, hic potius veſtram regionem vaſtabit. Graecus Alexandrinus: Εἰ *γνωσθήσεται* (al. *γνώσεται,* al. *γνώσει*) *σίδηρος, καὶ περιβόλαιον χαλκοῦν ἡ ἰσχύς σου;* Eum pro הירע patet legiſſe הירע per Daleth, quomodo et nunc codices nonnulli Hebraei habent, notante De-Roſſio; et חֵילְךָ ex initio Verſus ſequentis ad hunc traxit. Senſum Theodoretus dicit eſſe hunc; ne fiduciam ponite in indumentis ferreis et aeneis, nec enim ferrum eſſe cognoſcetur. Hieronymus: *numquid foederabitur ferrum ferro ex aquilone?* Quae eſt Aquilae interpretatio, uti codex Syro-Hexaplaris docet. Retulit הֲיָרֹעַ ad רָעָה *aſſociavit ſe.* Illius verſionis ſenſum in Commentario Hieronymus ita exponit: „Ne doleas, quod populus inimicus tuus ſit; te enim dura nuntiante, non

non poteſt te amare qui durus eſt. Sive Babylonii, qui ab aquilone veniunt, ſuntque ferrum duriſſimum, huic populo duriori et in aeris ſimilitudinem indomito, non poterunt amicitiâ copulari. Sive ferrum duriſſimum, hoc eſt, populus Iſrael, Dei cognitione indignus eſt, qui in tantam pervenit malitiam, ut duriori metallo aere circumdatus ſit.“

13. Populi ſui facultates et theſauros Jova minatur ſe hoſtibus praedatum permiſſurum לֹא בִמְחִיר *non pro pretio*, omnia tua auferent nullo tibi pretio ſoluto, ut praedatores agere ſolent. Kimchi ita exponit: tanta erit eorum qui a te praedantur multitudo, ut nullus facultatum tuarum aliquid a ſocio empturus ſit, propterea quod unusquisque tantum rapuerit quantum voluerit. Quod quaeſitum. „Gratis dare hoſtibus praedam dicitur Deus, ubi plane populum ſuum non curat, ſed primo occupanti eum permittit; vid. Pſ. XLIV, 13. Poſſit tamen et ſic accipi: merçes tuas non pretio dato permutabis, non mercaturam fructuoſam exercebis cum exteris, ſed diripientur.“ J. D. Michaelis. Graecus Alexandrinus, חֵילְךָ ad Verſum ſuperiorem tracto, et לֹא non expreſſo, ſic vertit: *καὶ τοὺς θησαυρούς σου εἰς προνομὴν δώσω ἀντάλλαγμα.* Quod Olympiodorus in Catena apud Ghislerium ita exponit: *Τί ἐστιν ἀντάλλαγμα; ἀντὶ τῶν ἁμαρτιῶν σου δώσω τὰ χρήματά σου καὶ τὴν ἰσχύν σου, ἐπειδὴ αὐτοῖς ἐθάῤῥουν. Quid eſt* permutationem? *Pro peccatis tradam pecuniam tuam, et robur tuum, quia illis fidebant.* וּבְכָל־חַטֹּאותֶיךָ *Et* id quidem tibi eveniet *propter omnia tua peccata,* וּבְכָל־גְּבוּלֶיךָ *et in omnibus tuis finibus* direptio illa tuorum theſaurorum fiet. Alii ſic: *et propter omnes tuas fines,* i. e. propter ſcelera, quae ubicunque locorum intra tuos fines commiſiſti. Ita Chaldaeus: בְּחוֹבֵין דַּהֲוֵיתוּן פָּלְחִין לְטַעֲוָתָא וּבְכָל תְּחוּמֵיכוֹן *pro peccatis, quibus colebatis idola, etiam in omnibus terminis veſtris.* Syrus: ܘܟܠܗܘܢ ܬܚܘܡܝܟܝ ܠܒܙܬܐ ܐܬܠ ܡܛܠ ܚܛܗܝܟܝ *omnesque terminos tuos direptioni exponam propter peccata tua.*

14. Verba

14. Verba וְהַעֲבַרְתִּי אֶת־אֹיְבֶיךָ בְּאֶרֶץ לֹא יָדָעְתָּ „Pagninus ſic vertit: *et transire faciam te ad* (Junius *penes*) *hoſtes tuos, in terram* quam *non noſti. Te* non eſt in textu, atque inſolens eſt אֶת pro אֶל accipere. Senſum melius expreſſiſſe videtur Vulgatus: *et adducam inimicos tuos de terra quam neſcis,* ſubintelligi enim poteſt אֲשֶׁר, qui ſunt *in terra* quam *neſcis.* Vel: *transire faciam hoſtes tuos per terram* quam *neſcis,* i. e longiſſime a te diſſitos, quos neſcis, quà vià ad te transire poſſent, faciam tamen ut transeant per terram quam neſcis. Addo aliud: annon וְהַעֲבַרְתִּי conſtrui poſſet cum אֹצְרֹתֶיךָ, quod eſt in praecedente Verſu? ut ſenſus ſit: *et faciam ut transeant* theſauri tui, quos ego in praedam dedero, *hoſtes tuos,* i. e. longe ultra hoſtes tuos avehantur et distrahantur *in terram quam neſcis.* Vel: *et transire faciam* eos *cum hoſtibus tuis in terram* quam *non noſti.*" Lud. de Dieu. Nos quidem haud dubitamus, eligendam eſſe earum quas Vir Doctiſſimus poſtremo loco poſuit interpretationum alterutram. Illi enim ſententiae, quae per ſe ſpectata ſatis commoda eſt: *faciam, ut veniant hoſtes tui, qui ſunt in terra tibi peregrina,* recte oppoſuit Schnurrerus, eam, ſi ad ordinem et collocationem ſententiarum reſpicias, minus eſſe commendabilem: quis enim probet perverſe et praepoſtere dicta haec: diripiendas dabo hoſtibus opes tuas (Vs. 13.), et hoſtes tuos in te immittam? Neque tamen Schnurrero aſſentiri in eo poſſum, quod haec verba de prophetae adverſariis dicta intelligit, hoc ſenſu: *et transferam,* Jeremia, *hoſtes tuos,* Judaeos tibi infenſos, *in terram peregrinam,* Babyloniam. Nimis enim ita vagus et inconſtans ſibi eſſet Jovae ſermo, qui quum Verſu qui praecedit populo direptionem denunciaſſet, hoc Verſu ad prophetam conſolandum rediret. Neque ut de ſolis vatis adverſariis haec verba intelligamus, admittit locus parallelus infra XVII, 4., ubi eadem quae hic habentur verba ad univerſum populum diriguntur, niſi quod illic pro וְהַעֲבַרְתִּי legatur וְהַעֲבַדְתִּיךָ *et ſervire te faciam,* quod

 ipſum

ipſum et hoc loco nonnulli codices apud Kennicottum et de-Roſſium exhibent, et expreſſum eſt a Graeco Alexandrino et Syro interprete; ille enim *καὶ καταδουλώσω σε*, hic ܘܐܫܥܒܕܟܝ *ſervire te faciam* poſuit. Alii codices hoc loco habent ſine ſuffixo ſubaudiendo e proximo אֹיְבֶיךָ, וְהֶעֱבַדְתִּי. Chaldaeus: וְתִשְׁתַּעְבְּדוּן לְבַעֲלֵי דְבָבֵיכוֹן *et ſerviėtis hoſtibus veſtris.* Sed Kimchi atque Norzius in libris correctiſſimis et optimae notae hoc loco והעברתי, per *Reſch*, ſcriptum reperiri teſtantur, quod ſane, ut explicatu paulo difficilius, genuinum videtur; minus enim veriſimile eſt, facilioris interpretationis וְהֶעֱבַדְתִּי, aut וְהַעֲבַדְתִּיךָ in וְהֶעֱבַרְתִּי a librario aut Critico quodam mutatum fuiſſe. Loci paralleli vero ut per omnia et ſingula accurate conveniant, minime neceſſe eſt. Miro errore J. D. Michaelis Kimchium h. l. nomen *Judae* legiſſe ait. Siniſtre intellexit Kimchii verba, quae haec ſunt: ובפרשת חטאת יהודה והעבדתיך בדל"ת *et in ea pericopa, quae vocibus* חַטַּאת יְהוּדָה *incipit* (Cap. XVII.) *legitur* והעבדתיך *cum Daleth.* Ad verba quae ſequuntur, כִּי־אֵשׁ קָדְחָה בְאַפִּי וגו׳, e Deuter. XXXII, 22. deſumta, vid. not. ad eum loc. edit. tert.

15. Verſu hoc et tribus qui ſequuntur Jeremias pro ſe ipſe orat, ut patet ex iis quae reſpondet Deus Vs. 19. ſeqq. אַתָּה יָדַעְתָּ יְהוָה *Tu noſti, o Jova!* ſcil. quot et quantae ab adverſariis mihi illatae injuriae ſint perferendae. זָכְרֵנִי וּפָקְדֵנִי *Memento mei et inviſe me*, ſcil. בִּישׁוּעָתֶךָ *cum ſalute tua*, ut huic formulae additur Pſ. CVI, 4., adeſte mihi ſalutari ope tua. „Verba אַל־לְאֶרֶךְ אַפְּךָ תִּקָּחֵנִי Junius vertit: *pro longanimitate tua ne intercipito me*, ut contrario intelligatur: *ne in longanimitate tua*, ſ. *propter longanimitatem tuam, auferas me*, id eſt, ne, dum differs vindictam tollas me e medio; quod non contemno. Sed videant eruditi, annon ſic exponi poſſit: *ne ad longanimitatem tuam adduc me*, i. e. noli differre vindictam, quam poſtulo, de hoſtibus, quos jam diu tuliſti, puniendis; de me ab eorum injuriis vindicando agitur, hic non poſtulo a te longanimitatem

mitatem; tempus non est, ut ad eam adducar, sed potius ad celerem vindictam. Eodem sensu Chaldaeus: לָא תִתֵּן אַרְכָּא לְעוּלְבָּנִי *ne des longitudinem afflictioni meae.* Et LXX: *ἀθώωσόν με ἀπὸ τῶν καταδιωκόντων με, μὴ εἰς μακροθυμίαν, immunem fac me a meis persequutoribus, non ad longanimitatem,* i. e. brevi et quam primum." LUDOV. DE DIEU. דַּע שְׂאֵתִי עָלֶיךָ חֶרְפָּה *Scito,* memento, *me ferre propter te contumeliam;* cf. Ps. LXIX, 8.

16. וּמְצָאוּ דְבָרֶיךָ וָאֹכְלֵם *Inventa mihi sunt verba tua et comedi ea,* i. e. simulatque intellexi tua mandata, statim ea in animum admisi. Chaldaeus: קַבֵּלִית לְפִתְגָמָךְ וְקַיֵּמְתִּנּוּן *Suscepi verba tua et stabilivi ea.* Syrus ܘܢܛܪܬ ܦܘܩܕܢܝܟ ܘܥܒܕܬ ܐܢܘܢ *et custodivi mandata tua, et feci ea.* Cf. Ps. CXIX, 131. Ezech. III, 1. 2. 3. 10. Apoc. X, 9. 10. Ita apud PLAUTUM *Aulul.* III, 6, 1. *edere sermones* est avide eos arripere iisque delectari. Significat igitur vates promtam animi obedientiam in acceptandis et exsequendis Dei mandatis. Deprecatur vero simul, ne quod gaudendi materiam olim dederit, nunc dolorem sibi concitet. In alia omnia abit Graecus Alexandrinus, qui postremum Versus praecedentis membrum cum hoc Versu junxit, locum ita interpretatus: *γνῶθι, ὡς ἔλαβον περὶ σοῦ ὀνειδισμὸν ὑπὸ τῶν ἀθετούντων τοὺς λόγους σου· συντέλεσον αὐτούς.* Pro נִמְצְאוּ legit מְנַאֲצֵי *a spernentibus.* נָאַץ *contemnere* verterunt illi interpretes et 1 Sam. II, 17. per *ἀθετεῖν.* Porro pro וָאֹכְלֵם legerunt וַאֲכַלֵּם a Verbo כָּלָה, quod in Piel *perficere* denotat. וַיְהִי דְבָרְךָ לִי לְשָׂשׂוֹן *Eratque mihi verbum tuum laetitiae.* Plurale דְּבָרֶיךָ, quod in textu est, nimis seduli Critici mutarunt in Singulare, quod ad marginem legitur, et codices nonnulli in textu habent, atque a Graeco quoque Alexandrino exprimitur, ut cum Verbo singulari וַיְהִי conveniat. Verum exempla Nominis pluralis distributive capiendi Verbo singulari praemisso juncti, ubique sunt obvia, vid. not. ad Genes. X, 21. XXXV, 26. XLI, 50. Ps. X, 10. T. I. p. 282. edit. sec. כִּי־נִקְרָא שִׁמְךָ עָלַי *Quod vocatum*

tum eſt ſuper me nomen tuum, laetabar te prophetam tuum eſſe. De hac loquendi formula, quae ſupra VII, 10. XIV, 9. aderat, vid. not. ad Exod. III, 18. edit. tert. Hoc ipſum, inquit, quod propheta tuus ſum me in perſungendo officio meo, te vero ad me vindicandum ab adverſariorum injuriis animare debet. Sunt qui hunc Verſum ita exponant: ſi obvenerint mihi in poſterum mandata tua a me exſequenda, ea ſint mihi in gaudium et laetitiam, non, ut hucusque, mihi dolorum et aerumnarum cauſa ſint: ut petat ſibi vates a Deo meliora in officio fata, feliciorem ſuarum concionum effectum. Sed concinnius videtur, ut Verſus hic et duo qui proxime ſequuntur, rationes contineant, quibus Jovam vates eo adducere ſtudeat, ut quod Vs. 15. precatus fuerat, quantocius praeſtare ipſi velit.

17. לֹא־יָשַׁבְתִּי בְסוֹד־מְשַׂחֲקִים *Non ſedi in conſeſſu ludentium*, in choro ſaltantium et cantantium. De nomine סוֹד vid. not. ad Pſ. XXV, 14. מְשַׂחֲקִים ſunt *ludentes* inſtrumentis muſicis et cantantes 1 Sam. XVIII, 7. 6. 2 Sam. VI, 5. 22., jocantes, Prov. XXVI, 19., choreas agentes infra XXXI, 4. וָאֶעְלֹז *Ita ut exſultaſſem*, ſive repetito לֹא, *nec exſultavi*, ab omnibus recreationum generibus abſtinui. Conf. infra XVI, 8. מִפְּנֵי יָדְךָ *Propter manum tuam* Jarchi recte interpretatur מפני נבואה הבאה לי מאתך *propter prophetiam quae mihi a te venit.* Eodem ſenſu *manum Dei* impulſum divinum ad eloquenda ea, quae ipſi divinitus ſunt patefacta, dicit Ezechiel I, 3. ad quem loc. vid. not. et III, 14. 22. VIII, 1. Veterum plerique verba מִפְּנֵי יָדְךָ conjunxerunt cum וָאֶעְלֹז, quod accentu majore Athnach ab iis quae ſequuntur divellitur. Graecus enim Alexandrinus ſic vertit: ἄλλα εὐλαβοῦμην ἀπὸ προσώπου χειρός σου. Symmachus in codice Syro-Hexaplari: ܘܚܕܝܬ ܡܛܠ ܐܝܕܐ ܕܝܠܟ *et laetatus ſum* (ἠγαλλιασάμην) *propter manum tuam.* Melius Syrus: ܐܠܐ ܕܚܠܬ ܡܢ ܩܕܡ ܐܝܕܟ *ſed timui propter manum tuam*, cepit עָלַז de trepidatione pavoris, cf. not. ſupra ad XI, 15.

Hiero-

Hieronymus: *et gloriatus sum* (ut Aquila in Syro-Hexaplari), sive, *metuebam a facie manus tuae.* בָּדָד יָשַׁבְתִּי *Solitarius sedi,* lugens populi mei calamitatem, quam jussu tuo praedixi; conf. Thren. I, 1. III, 28. Sed Grotius: „propter mandata tua mihi imposita desertus sum ab omnibus." Praeferimus Jarchii interpretationem, haec verba una cum iis quae sequuntur, כִּי־זַעַם מִלֵּאתָנִי *quia indignatione me replesti,* ita explicantis: „sedi solitarius et stupens in luctu, quoniam vaticiniis indignationis replevisti me de vastatione domus tuae, i. e. diris vaticiniis, quae iram tuam de vastatione templi, quae res mihi sollicitudinem et luctum attulit." Ita et Chaldaeus: בִּנְבוּאַת לְוָטִין מַלֵּיתָנִי *prophetia maledictionis me implevisti.* Eandem sententiam supra VI, 11. hisce verbis expressit: וְאֶת־חֲמַת יְהוָה מָלֵאתִי *ira Jova plenus sum,* ubi cf. not. Hieronymus: „Haec Hebraei ex persona Jerusalem dici arbitrantur, quod sola sederit, et amaritudine repleta sit, et factus sit dolor ejus perpetuus, et quomodo aquae pertranseunt, sic verba prophetarum, quibus sibi prospera pollicebantur, transiisse mendaciter (Vs. 18.). Melius autem, ut ex persona Prophetae haec dici accipiamus de sermonibus sancti viri, qui non sederit in concilio, sive secreto ludentium, quod timuerit impendentem sibi manum Dei."

18. לָמָּה הָיָה כְאֵבִי נֶצַח *Quare factus est dolor meus in perpetuum?* cur me tam diu adversariorum injuriis opprimi pateris? Graecus Alexandrinus: ἱνατί οἱ λυποῦντές με κατισχύουσί μου; *quare qui contristant me confortantur?* ut vertit Hieronymus, et in Commentario: „praevaluerunt qui contristabant me." Legit interpres כֹּאֲבַי et נִצְּחוּ, Vau e sequenti voce ad hanc tracto. וּמַכָּתִי אֲנוּשָׁה *Et vulnus meum est desperatum.* אֲנוּשָׁה Jarchi recte חוֹלָה *aegrota* explicat, collato 2 Sam. XII, 15., ubi narratur Jovam filium Bathsebae gravi morbo adflixisse, וַיֵּאָנַשׁ *ita ut extreme aegrotus fieret.* Convenit Syriacum ܢܥܒ

aegro-

aegrotavit, infirmatus, debilitatus est. Cf. infra XVII, 9. XXX, 12. 13. Chaldaeus תַּקִּיפָא *fortis,* vehementer mala, quocum convenit. Alexandrinus, qui στερεὰ, et Syrus, qui ܡܣܬܡܟܐ posuit. Supra X, 19. vates eodem sensu dixit נַחְלָה מַכָּתִי, ubi not. vid. מֵאֲנָה הֵרָפֵא *Recusat sanari.* Alexandrinus: πόθεν ἰαθήσομαι; *unde sanabor?* Putavit מאנה compositum ex Adverbio אָנָה *quo? quorsum?* et Praepositione מ s. מִן. — הָיוֹ תִהְיֶה לִּי כְּמוֹ אַכְזָב *Existendo es mihi tanquam fallax,* „i. e. sicut homo qui promissum suum non servat (supra I, 18.), quoniam permittis me meis adversariis dolore affici.“ Jarchi. Addit, אַכְזָב hic esse *scaturiginem deficientem,* Gallice *failliant,* quum sequatur מַיִם לֹא נֶאֱמָנוּ veluti *aquae quae non sunt fideles,* constantes, perennes, quales sunt, quae hyeme multum strepunt, aestate non comparent. Eadem imago Job. VI, 15. ubi cf. not.

19. Versu hoc et duobus qui proxime sequuntur respondet Jova ad vatis querelas, eum corripiens ac jubens ab illis abstinere. אִם־תָּשׁוּב וַאֲשִׁיבְךָ לְפָנַי תַּעֲמֹד *Si converteris te* a diffidentia et impatientia ad animum sedatum et compositum, et ad mea mandata exsequenda promtum, *reducam,* restituam *te, coram me stabis,* ut mihi porro servias, propheta meus maneas. Nempe statu suo excidisse indignusque prophetico munere videbatur Jeremias, tam intemperanter conquerens et vindictam exigens. *Stare coram aliquo* est ejus ministrum esse, phrasis inde desumta, quod servi coram domino stare solent ad ejus jussa capessenda, vid. 2 Reg. III, 14. Proverb. XXII, 29. Job. I, 6. ad quem loc. cf. not. Hieronymus haec verba sic interpretatur: „Si converteris a peccatis populum, et ego de tribulatione te convertam in laetitiam.“ Quae tamen responsio minus apta esset ad nimias et importunas prophetae querelas. Accedit quod שׁוּב nude positum non transitive *convertere* rem aut personam, sed intransitive *se convertere,* resipiscere, notare constat. Sed multo minus

nus probandus Jarchi, qui non tam ipsi Jeremiae, quam populo Judaico in Jeremia persona haec dicta putat, hoc sensu: *si converteris*, i. e. si a tua mala vivendi ratione resipueris, *convertam te*, in gratiam meam te reponam, *et ante faciem meam stabis*, i. e. videbis meam faciem, libenter te videbo, prosequar te omni favore. Quae sententia a scopo et tenore hujus orationis plane est aliena. Quae sequuntur, וְאִם־תּוֹצִיא יָקָר מִזּוֹלֵל *et si eduxeris pretiosum e vili*, figurate dicta patet, et desumta a metallis, in quibus admixtum est vile pretioso, quando e fodinis eruitur, atque pretiosum metallum a massa ignobilioris secernitur. Sed quo sensu illa verba sint capienda, non aeque planum. Venema haec intelligit de iis quae promulganda essent a propheta, ut hoc dicat Jova: si quae tibi populo denunciare jussero, pure et fideliter, non admixtis humanis cogitationibus et affectibus, promulgaveris. Ita Eichhornius: *Und trägst du lieber Göttliches, als schaale Menschenworte vor.* Et Dahlerus: *Et si tu préfères* de dire *ce qui est digne d' éstime plutôt que ce qui est vil.* Quae sententia minus commode ita exprimeretur, ut propheta jubeatur e massa viliore pretiosum educere. Chaldaeus: וְאִם תְּתִיב רַשִׁיעַיָּא לְמֶהֱוֵי צַדִּיקַיָּא *si converteris impios ut fiant pii.* Quod sequutus Jarchi: „si eduxeris hominem probum ex homine improbo, ita ut convertas eum ad bonam mentem.“ Neque tamen hunc sensum verba hebraea facile admittant. J. D. Michaelis sensum putat vel hunc esse: si non, ut hucusque fecisti, nulla piorum ratione habita, totum populum condemnaveris, potius pios ab impiis diligenter separaveris; vel hunc: si tu instar metalli nobilis, et ex massa ignobilioris metalli secreti, inter tot coaevos tuos improbitate insignes eminueris. Nobis tamen, cum C. B. Michaelis, propheta hoc potius velle videtur: si officii tui rationem habueris, ut ex promiscuo coetu aliquos saltem convertas, et ad frugem corrigas. כְּפִי תִהְיֶה Tunc *sicut os meum eris*, i. e. interpres voluntatis meae (vid. similem phrasin Exod. IV, 16.),

16.), verum et fidelem te praeſtabis meum prophetam, qui mea verba pure et recte profert. Chaldaeus: רְעוּת מֵימְרִי תְּקַיֵּם *voluntatem verbi mei*, i. e. meam, *implebis*. Minus bene Jarchi: „quae tu dixeris aeque rata erunt, atque ſi ego ipſe ea pronunciaverim, ita, ut tu vel mea decreta abrogare poſſis.“ Schalom Haccohen verba *ſicut os meum eris* in hunc modum interpretatur: talis eris qualem te futurum eſſe promiſi, inſtar muri ahenei, puta, ut Verſu proximo ſequitur. יָשֻׁבוּ הֵמָּה אֵלֶיךָ וְאַתָּה לֹא־תָשׁוּב אֲלֵיהֶם *Convertent ſe illi ad te*, te adibunt ſupplices, ut pro iis a Deo depreceris (cf. infra XLII, 2.), *tu vero non te convertes ad eos*, ut eorum favorem et amicitiam captes, ne eorum manu pereas. Chaldaeus: יְתוּבוּן אִנּוּן לְפִתְגָּמָךְ וְאַתְּ לָא תְתוּב לְמִטְעֵי בַּתְרֵיהוֹן *revertentur illi ad verba tua, tu vero non reverteris ut erres poſt eos.* Quae quidem interpretatio minus probanda. Alii ſenſum hunc faciunt: fac, ut qui receſſerint a legibus Dei, tibi acquieſcant, et ne acquieſcas illis, meliora futura pollicendo, ſed contra urgeas vehementer comminationes, quas tibi mandavero, ſine timore. Sed primo loco propoſita interpretatio ſimplicior et loquentis conſilio convenientior videtur.

20. Repetit Deus ad vatis animum erigendum et confirmandum quae ipſi in inauguratione ad propheticum munus promiſerat ſupra I, 18. 19.

21. עָרִיצִים J. D. Michaelis ſine neceſſitate ex Arabico عرض *adverſus occurrit, reſtitit* ſatis languide interpretatur *adverſarios.* Vox hebraea proprie notat *validos*, hinc de iis dicitur, qui cum vi et potentia iniquam violentiam jungunt, et alios violenter et tyrannice tractant. Unde legitur Pſ. LIV, 5. LXXXVI, 14. de iis qui innocentium vitae inſidiantur, quomodo et hic capiendum, ubi *malis*, רָעִים, in hemiſtichio priori reſpondet.

XII.

XII.

Denunciatur Judaeis trifte omnibus excidium propter illorum impietatem impendens.

Cap. XVI, 1. — XVII, 18.

ARGUMENTUM.

Deus populo Hebraeo rerum fuarum interitum denunciaturus prophetae conjugio, liberorum procreatione, parentalibus aliisque conviviis interdicit (Vs. 1 — 8.), figno, mox futurum effe, ut omnia illa quae tranquillis et pacatis temporibus homines in vita domeftica agere folent, ob graviffimas publicas calamitates çeffare neceffe fit (Vs. 9.). Caufam cur illas illaturus fit Deus, fummam et inveteratam populi depravationem effe ait (Vs. 10 — 12.). Tum claris verbis Hebraeos a barbaris hoftibus e patria fede in terras exteras et longe diffitas abigendos effe praenuntiat, fpe tamen futuri reditus eminus oftenfa (Vs. 14 — 18.). Poenas, quas populus tantopere corruptus commeruit, non audet quidem vates deprecari, fed afflictum animum erigit hac fpe, futurum effe, ut edito infigni in populo Hebraeo divinae juftitiae et potentiae exemplo, aliae gentes a vanorum deorum cultu avocentur ad Jovae, Dei veri, cultum (Vs. 19 — 21.). Id vero nunc quidem non exfpectandum effe a Judaeis, apud quos vanae religionis ftudium

ftudium eas radices egerit, ut videantur nullo modo poffe exftirpari (XVII, 1. 2.). Quum itaque tam corrupti populi unquam corrigendi fpes nulla fuperfit, nihil reliquum effe, nifi ut ex ea terra, quam fuis flagitiis contaminare non defineret, expellatur (Vs. 3. 4.); neque hoc fupplicium ulla humana potentia averti poffe, quod quidem Judaeorum plures, Aegyptiorum auxilio freti, fibi perfuafum habebant (Vs. 5. 6.), auxilium et falutem a folo Jova recte exfpectari (Vs. 7 — 13.). Denique orat Deum vates, ut ipfum contra adverfariorum machinationes et ludibria protegat (Vs. 14 — 18.).

Quod vates in hac concione XVII, 5. invehitur in eum, qui in humano auxilio fpem habeat repofitam, nulla ratione habita Jovae, vix dubium effe poteft quin pertineat ad Jojakimum regem, Aegyptiorum maxime praefidio fretum, poftquam a Nebucadnezare defeciffet (2 Reg. XXIV, 2.), quem ipfum Judaeae regem etiam XVII, 11. perftringi credibile eft ex orationis Cap. XXII. in illum dictae cum ipfo exordio, tum aliis gravibus locis, velut Vs. 13. fequ. et Vs. 17. Illam Jojakimi a Chaldaeis defectionem et ipfi regi et univerfo populo Judaico male ceffuram effe, et caufam futuram interitus reipublicae, quum vatis animus praefagiret, multus eft Cap. XVI. in defcribendis calamitatibus graviffimis, quas homines ea aetate viventes brevi interjecto tempore effent fubituri. Denique Jojakimi temporibus congruit et illud, quod XVI, 11. 12. Judaei malitia fuperare dicuntur patres; tum enim ad vanorum deorum cultum et alia fcelera relapfi revera pejores erant iis, qui Jofiae, pii regis, tempore vixerant.

XVI, 1. 2. Jova me alloquutus eft his verbis:
Uxorem ne ducito, neve filios aut filias ha-
3. beto in ifto loco. Sic enim dicit Jova de
filiis et filiabus, qui in ifto loco nafcentur,
deque

deque matribus eos parituris, et de patribus
eos genituris in iſta terra: Triſtibus morti- 4.
bus occumbent, et indefleti atque inſepulti
terrae ſolum ſtercorabunt, ferroque et fame
confecti, coeleſtes volucres beſtiasque terre-
ſtres ſua paſcent cadavera. Nam ſic dicit 5.
Jova: ne domum parentalium ingredere, ne-
ve ad lugendum ito, neve de illis doleto;
nam aufero meam pacem ab illis hominibus,
inquit Jova, clementiam et miſericordiam,
morienturque magni juxta et parvi in terra 6.
iſta, neque ſepelientur, neque compungen-
dis glabrandisque corporibus lugebuntur,
neque panis in luctu diſtribuetur ad quem- 7.
piam de morte alterius conſolandum, neque
poculo invitabuntur conſolatorio in paterno
maternove funere. Igitur in domum com- 8.
potationis ne intrato, ut cum eis aſſideas
ſumendi cibi potionisque gratia. Sic enim 9.
dicit Jova, agminum Deus, Deus Iſraelita-
rum: Ego vobis videntibus veſtroque tem-
pore efficiam, ut in iſto loco neque volupta-
tis et gaudii ſonus, neque ſponſi et ſponſae
cantus audiatur. Quum autem illis haec 10.
omnia renuntiaveris, interrogatus ab eis,
quamobrem in eos Jova haec tot tanta mala
decreverit, aut quod ſit illorum crimen, aut
commiſſum in Jovam ipſorum peccatum;
dices eis: quoniam majores veſtri relicto 11.
me, inquit Jova, deos alienos ſequuti colue-
runt

runt atque adorarunt, meque relicto meam
12. legem non ſervarunt; et ecce vos majorum
veſtrorum prave facta ſuperantes ſui quisque
animi perditae improbitati obſequimini, ne
13. mihi obtemperetis. Itaque exigam vos ex
iſta terra in terram et vobis et majoribus
veſtris ignotam, ubi diis alienis dies noctesque
ſerviatis, me vobis nullam conciliante
14. gratiam. Ergo futurum eſt, inquit Jova, ut
non jam dicatur: ſic vivat Jova, qui Iſraeli-
15. tas ex Aegypto eduxit; ſed ita: ſic vivat
Jova, qui Iſraelitas eduxit ex aquilonia terra,
omnibusque terris, in quas eos dispulerat,
eosque reducam in ſuam terram, quam eo-
16. rum dedi majoribus. En! ego multis mandabo
piſcatoribus, inquit Jova, ut piſcentur
eos; deinde multis mandabo venatoribus,
ut eos ex omnibus montibus, collibus, an-
17. trisque rupium venentur. Nam quum oculos
intentos habeam in eorum vias omnes,
ut me non lateant, nec eorum crimen a
18. meis oculis abſconditum ſit; penſabo priora
et iterata eorum crimina atque peccata,
quod terram meam polluerint, et cadavere
flagitiorum et abominandorum ſuorum meam
19. poſſeſſionem repleverint. O Jova! meum
robur! meum firmamentum, meum adverſo
tempore refugium! Ad Te gentes convenient
ab ultimis terris, et ita dicent: nae falſa
poſſederunt noſtri majores, vana et inutilia.

Num-

Numquid homo ſibi faceret deos, qui dii non
ſint? Itaque nunc ego iis meam manum 21.
atque virtutem oſtendam et demonſtrabo,
ſcientque, meum nomen eſſe Jova. Ju- XVII, 1.
daeae peccatum ſtilo ſcriptum ferreo, et
adamantina cuſpide exaratum eſt eorum cor-
dis tabulae, altariumque veſtrorum angulis,
dum reputant filii altaria majorum, ad ſta- 2.
tuas quas Aſtartae erexerunt, ad quamcunque
arborem patulam, in collibus excelſis. Meus 3.
mons complanabitur: veſtras ego copias et
facultates omnes praedae objiciam, et ſacella
veſtra, ob peccata per omnes tuos fines com-
miſſa. Dimittes, et quidem propter te ipſe, 4.
manum tuam a poſſeſſione tua, quam tibi
dedi, ſubjiciamque te tuis hoſtibus in terra
tibi ignota, quandoquidem ignem accendiſtis
irâ meâ perpetuo arſurum. Sic dicit Jova: 5.
infelix eſt homo, qui fidit homini, et ſibi
collocat in carne praeſidium, a Jova ſibi re-
movens animum. Hic ſicut qui in deſerto 6.
deſtitutus verſatur, qui boni adventum nul-
lum ſentit, ſed in aeſtuoſis locis deſerti ha-
bitat, in terra ſalſuginoſa, quae non incolitur.
Felix homo, qui Jova fretus habet in Jova 7.
fiduciam. Is arbori eſt ſimilis ad aquam 8.
plantatae, ſuasque radices porrigenti ad ri-
vum, quae aeſtus adventum non ſentit, ſe-
cura ſiccitatis anni, fructum ſuum edere non
intermittit. Perverſiſſimum omnium et per- 9.
ditiſſi-

10. ditiſſimum eſt cor, quis id cognoſcat? Ego
Jova et cor perſcrutor, et renes exploro, ut
pro ſuis cuique moribus, et quod cujusque
11. factis eſt dignum, reddam. Qualis perdix
fovet quod non peperit, talis eſt, qui divitias
non jure comparat, eas in media aetate re-
linquet, et ad extremum futurus inſanus.
12. Glorioſum ſolium excelſum ab antiquo tem-
13. pore, eſt locus noſtri ſacrarii. O Iſraelita-
rum ſpes, Jova, quicunque te relinquunt
pudore adficientur, qui a me deficiunt, in-
ſcribentur terrae, nam reliquerunt perennem
14. vivae aquae fontem, Jovam. Sana me, Jova,
et ſanus ero; ſerva me, et ſalvus ero; tu,
15. qui mea laudatio es. En! illi ſic mihi di-
cunt: ubi eſt Jovae praedictio? eveniat ſane!
16. Atqui egò quidem haud proripui me, ne
paſtor eſſem pone te, neque ſaevam diem
cupio; tu ſcis, quod ego pronuncio id tibi
17. in conſpectu eſt. Ne mihi ſis formidini, tu,
18. qui mea fiducia es temporibus malis. Pu-
dore afficiantur mei inſectatores, neve pu-
dore ego afficiar! Paveant illi, neque paveam
ego! Inducas illis tempus malum, eosque
iterata fractione frangas!

N O T A E.

Cap. XVI, 2. לא־תִקַּח לְךָ אִשָּׁה *Ne capias tibi uxorem*, propter inſtantem temporum miſeriam, ut Vs. 3. 4. declaratur. בַּמָּקוֹם הַזֶּה *In hoc loco*, quo neque Anathoth oppi-

oppidum, cujus civis erat vates, nec Hierosolyma, ubi plerumque degebat, sed tota terra Judaea intelligitur, cf. Vs. 3.

3. כִּי כֹה אָמַר יְהוָה *Nam sic dicit Jova*, q. d. hoc ideo tibi mando, ut sit aliqua figura, et parabola Israelitis, ut si dixerint tibi: quare non ducis uxorem, et gignis liberos? respondeas iis: propterea *quia sic dicit* rel. Conf. Ezech. XXIV, 18. 19. „Quod autem arceatur propheta uxorem ducere, caussa perspicua est, quod obsidione vicina, pestilentia et gladio, et fame, universi intereant." Hieronymus. הַיִּלּוֹדִים *Qui nascuntur*, adjectivum participiale, de quo vid. not. ad Exod. I, 22.

4. מְמוֹתֵי תַחֲלֻאִים יָמֻתוּ *Mortibus morborum morientur*, i. e. variis et teterrimis mortibus. Graecus Alexandrinus et Arabs vertunt *θανάτῳ νοσερῷ*, بموت صعب *dira morte*. Sed Chaldaeus: מֹמַת מְמַרְעֵי כְפַן *morte aegrotationum famis*, et Syrus ܡܘܬܐ ܕܡܬܡܚܝܦܝܢ ܟܦܢܐ *morte languentium fame*. מְמוֹתֵי, notante Kimchio, est nomen formae מְבוֹאֵי Ezech. XXVI, 10. De תַחֲלֻאִים vid. not. supra ad XIV, 18. לֹא יִסָּפְדוּ, Ita ut *non plangantur*, solemni planctu in funeribus rite deductis adhibito. Conf. infra XXII, 18. 19. XXV, 33. וְלֹא יִקָּבֵרוּ Imo *ne sepelientur* quidem; assurgit oratio, q. d. non solemniter modo, sed plane non sepelientur; cf. supra XIV, 16. לְדֹמֶן עַל־פְּנֵי הָאֲדָמָה יִהְיוּ *In sterquilinium in superficie terrae erunt*, cf. supra VIII, 2. IX, 21.

5. אַל־תָּבוֹא בֵּית מַרְזֵחַ *Ne venias*, intres *domum epuli* scil. funebris. Nomen מַרְזֵחַ, ut מִרְזַח Amos. VI, 7. (ad quem loc cf. not.), *convivium* denotare ait Jarchi, quo significatu illud legi addit in antiquissimo Commentario in Numerorum et Deuteronomii libros, ספרי *Siphre* dicto: חזרו לעשות להם מרזיחן *redierunt ad faciendum sibi epula*. Eodem significatu occurrit in Midrasch Esther I, 2. et in Targum Jonathanis Num. XXV, 5. Josephus

Kimchi

Kimchi מַרְזֵחַ et מַרְזֵחַ proprie *exaltationem vocis* five ad fletum, five ad laetitiam fignificare ait. Sane in Lexico cui nomen *Camus* Vol. I. p. 275. edit. Calcutt. المِرْزِيحُ بالكسر الصَّوتُ الشَّدِيدَةُ i. e. nomen مِرْزِيح, *cum Kesra* (fub Mim) eft *vox vehemens*. Erit igitur *convivium* dictum a clamore et ftrepitu convivantium, et laetantium quidem Amofi loco laudato, lamentantium vero et plangentium h. l. Conf. J. D. Michaelis *Supplemm.* p. 1549. Bene Hieronymus: „Moris eft, lugentibus ferre cibos et praeparare convivium, quae Graeci περίδειπνα vocant, et a noftris vulgo appellantur *parentalia*. Dicit et alibi [Proverb. XXXI, 6.] divina Scriptura: *Date vinum his qui in luctu funt,* ut videlicet oblivifcantur doloris.“ Vid. de hisce epulis funeralibus, quae et apud veteres Graecos in ufu erant, Fesselii *Adverfarr. SS.* L. I. Cap. 12. §. 3. et Geierum *de luctu Ebraeor.* Cap. VI. §. 20. Cf. Ezech. XXIV, 17. Graecus Alexandrinus h. l. ad exprimendum מַרְזֵחַ utitur voce generaliori θίασος *epulum*. Chaldaeus vocem hebraeam retinuit. Syrus verba אַל־תָּבוֹא בֵּית מַרְזֵחַ non expreffit. Nam quae apud eum leguntur, ܠܐ ܬܐܙܠ ܠܡܪܩܕܘ *ne abeas ad plangendum,* exprimunt hebraica אַל־תֵּלֵךְ לִסְפּוֹד. Caufam hujus interdicti addit Jova: כִּי אָסַפְתִּי אֶת־שְׁלוֹמִי מֵאֵת הָעָם הַזֶּה *nam collegi,* f. *colligam,* i. e. penitus auferam (ut Genef. XXX, 23., fupra VIII, 13.) *pacem meam*, falutem et profperitatem, quam illis impertieram, *ab hoc populo.*

6. וְלֹא יִתְגֹּדַד *Nec incidet fe* quisquam. Hieronymus: „Mos hic fuit apud veteres, et usque hodie in quibusdam permanet Judaeorum, ut in luctibus incidant lacertos, et calvitium faciant [וְלֹא יִקָּרֵחַ לָהֶם], quod etiam Job feciffe legimus [I, 20. II, 8.].“ Prohibentur quidem haec figna luctus in lege Mofaica Levit. XIX, 28. (ad quem

loc.

loc. cf. not.) et Deut. XIV, 1. Sed videtur lege potentior fuisse consuetudo.

7. וְלֹא־יִפְרְסוּ לָהֶם עַל־אֵבֶל לְנַחֲמוֹ עַל־מֵת *Nec frangent iis* scil. panem (cf. Jesaj. LVIII, 7. et ibi not. edit. sec.) *propter luctum ad consolandum eum de mortuo.* Pro לָהֶם legitur לֶחֶם *panem* in codicibus nonnullis a Kennicotto inspectis, quod ipsum jam Graecus Alexandrinus expressit: *μὴ κλασθῇ ἄρτος*, et sequutus est Hieronymus. Loquitur vates de epulo ferali, quod collatis symbolis amici, vicini et parentes lugentibus pro ritu praebuerunt, vid. not. ad Vs. 5. Eodem referendum quod sequitur: וְלֹא־יַשְׁקוּ אוֹתָם כּוֹס תַּנְחוּמִים עַל־אָבִיו וְעַל־אִמּוֹ *neque potabunt eos calice consolationum propter patrem ejus et matrem ejus*, comites, qui funus prosequuti fuerint, non conficient silicernium, i. e. coenam, qua veteres, funus exsequuti, utebantur ad consolandos proximos et necessarios mortui. Cf. Dougtaei *Analecta SS.* p. 270., Fesselii *Adversaria SS.* T. I. p. 66., et Isr. Traug. Garmanni *Exercitat. philolog. de Poculo consolationum*, Viteberg. 1709., repetita in *Novo Thesauro theol. philol.* T. I. p. 949. seqq.

8. וּבֵית־מִשְׁתֶּה לֹא־תָבוֹא *Et domum compotationis s. convivii ne ingrediaris*, non intelligit hic convivium funebre, sed geniale, quale dari solet in nuptiis aliisque festis. לָשֶׁבֶת אוֹתָם *Ad considendum cum iis*, nihil sit tibi amplius cum hoc populo, sive funebres, sive hilares epulas celebrent, non laetitiae socius sis, nec doloris, quia hic populus exitio addictus est.

9. לְעֵינֵיכֶם וּבִימֵיכֶם *Ad oculos vestros et in diebus vestris*, q. d. non posteri demum vestri, sed vos, qui hodie vivitis, experiemini. Cetera hujus Versus totidem fere verbis leguntur supra VII, 34., ubi cf. not.

12. וְאַתֶּם הֲרֵעֹתֶם לַעֲשׂוֹת מֵאֲבוֹתֵיכֶם *Sed et vos male fecistis agendo prae patribus vestris*, iis pejores estis; cf. supra VII, 26. XI, 10. — וְהִנְּכֶם הֹלְכִים אִישׁ אַחֲרֵי שְׁרִרוּת לִבּוֹ־הָרָע *Et ecce vos ambulastis quisque post pravi-*

tatem cordis sui mali, sectamini libidinem vestram, nulli tam prava vobis incidit cupido, quam non opere impleatis; cf. supra XIII, 10.

13. הֵטַלְתִּי אֶתְכֶם מֵעַל הָאָרֶץ הַזֹּאת וגו' Ideo ***projiciam vos ex hac terra*** rel. Eaedem minae Deut. IV, 27. 28 XXVIII, 64. — וַעֲבַדְתֶּם־שָׁם אֶת־אֱלֹהִים אֲחֵרִים יוֹמָם וָלַיְלָה ***Et servietis ibi diis aliis dies noctesque,*** est concessio cum ironia, q. d. poteritis ibi usque ad satietatem servire idolis, ad quae ita anhelatis, imo insanitis. Minus bene Chaldaeus: וְתִפְלְחוּן תַּמָּן לְעַמְמַיָּא פָּלְחֵי טַעֲוָתָא ***et servietis illic populis colentibus idola.***

14. 15. Plerique interpretum duobus hisce Versibus interpositam volunt consolationem piorum, ostensa eis eminus spe futurae liberationis ex hostium potestate, in quorum terras Judaeorum abductum iri Versu superiore minatus erat. Verum etsi Jova haud obscure significet Judaeos non perpetuo in peregrinis terris detinendos esse, hic tamen proprie non id spectat, ut futura bona promittat, sed eo tendit, ut denunciet, instare illis atrocius malum quam illud Aegyptiacum, eamque quam mox sint subituri servitutem multo fore duriorem, quam olim Aegyptiaca fuerat, adeo ut liberatio ex ea, quae tunc instabat, servitute, majus futurum sit beneficium, quam illa ex Aegypto olim fuerat.

16. Pluribus exponit, quae de Judaeis in exteras terras abigendis dixerat: הִנְנִי שֹׁלֵחַ לְדַיָּגִים רַבִּים .... וְדִיגוּם *Ecce ego missurus sum piscatores multos et piscabuntur eos.* ל nomini דַּיָּגִים praefixum hic est Accusativi nota, usu Aramaico, ut Thren. IV, 5. Ps. CXXXV, 11. In textu est לְדַוָּגִים a forma דוג. Chaldaeus explicat: עַמְמִין קָטוֹלִין *populos occisores.* וְאַחֲרֵי־כֵן אֶשְׁלַח לְרַבִּים צַיָּדִים וְצָדוּם *Postea mittam multos venatores ut venentur eos.* Adjectivum רַבִּים praemittitur nomini substantivo צַיָּדִים, quum alias Adjectiva Substantivis postponi soleant. Sed non desunt exempla inversi ordinis, ut supra III, 7. 10 בָּגוֹדָה אֲחוֹתָהּ יְהוּדָה *perfida soror ejus Juda.* Cf. Gesenii *Lehr*

Lehrgeb. p. 705. not. *e*). Neque igitur necesse est, ut cum J. D. Michaelis legamus לרבים *jaculantes.* לְרַבִּים exhibent codices omnes, exprimuntque cunctae veteres versiones. וּמִנְּקִיקֵי הַסְּלָעִים *Ex ex foraminibus petrarum,* in quae fugientes se absconditerunt. „In bonam haec partem accipit Venema, ut *piscatores* sint pii doctores et prophetae durante exsilio Babylonico, *venatores* pii et magni viri post exsilium, qui populum in patriam reduxerunt. At venator non reducit in patriam, sed occidit feras. Malim ergo hostes intelligere, aliam post aliam in Judaeam expeditionem suscepturos, ita ut posterior semper et sit atrocior.“ J. D. Michaelis.

18. Verba וְשִׁלַּמְתִּי רִאשׁוֹנָה מִשְׁנֵה עֲוֹנָם sunt qui vertant: *rependam primum* s. *prius duplum* s. duplici mensura *delicta eorum,* ראשונה adverbialiter accepto, et relato ad promissionem, quam factam esse putant Vs. 14. 15. Hieronymus: „Quando dicit: *reddam primum duplices iniquitates et peccata eorum,* subostendit, quod postquam receperint mala, recepturi sint et bona.“ Alii: *rependam primo, iterato,* i. e. abunde *eorum delicta.* Verum nomina מִשְׁנֵה עֲוֹנָם in statu regiminis posita esse, ostendit et Zere literae Nun nominis prioris subscriptum, et Accentus conjunctivus *Mahpach* eidem appositus. Quare verba sic erunt reddenda: *pensabo prius,* et *iteratum delictorum eorum,* i. e. ut recte Jarchi et Kimchi exponunt, rependam eis, quae et ipsorum majores, et ipsi suis delictis commeruerunt; conf. supra Vs. 11. 12. Chaldaeus: וַאֲשַׁלֵּם לְחוֹבֵיהוֹן כְּקַדְמָאִין עַל חַד תְּרֵין *et rependam secundis sicut primis, pro uno duo,* i. e. dupliciter. ראשונה Graecum Alexandrinum interpretem non expressisse, jam notavit Hieronymus. Origenes autem nescit, utrum a librariis, qui, quid sibi vellet, ignorabant, an ab ipso Graeco interprete sit neglectum; sed quia ipsi necessarium ad contextum videbatur, ex reliquis versionibus adjecit. בְּנִבְלַת שִׁקּוּצֵיהֶם *Cadavere,* i. e. collective cadaveribus *detestandorum suorum,* quibus idola designantur, ut su-

 pra

pra VII, 30. Eorum *cadavera* vero ſunt victimae eis oblatae, ſive vilia immundaque animalia, quae idolis mactabantur, quae et Levit. XXVI, 30. פִּגְרֵי גִלּוּלִים vocantur. אֶת־נַחֲלָתִי (Repleverunt) *haereditatem*, poſſeſſionem *meam*, reſpondet τῷ אֶת־אַרְצִי in priori hemiſtichio. Cf. ſupra II, 7.

19. יְהוָה עֻזִּי וּמָעֻזִּי וּמְנוּסִי בְּיוֹם צָרָה *O Jova, qui es robur meum, et munimen meum, et refugium meum!* Quum, inquit vates, me exaniment praeſentes miſeriae et ultima populi mei clades, quae impendet (Vs. 21.), Tu eris mihi refugium. Agnoſcit vero jure meritoque Judaeis graviſſima ſupplicia irrogari, quum pertinaciâ et amentiâ et eos populos ſuperent, qui a majoribus falſa religione imbuti, aliquando tamen ejus vanitatem intelligant. אֵלֶיךָ גּוֹיִם יָבֹאוּ מֵאַפְסֵי־אָרֶץ *Ad te populi venient ab extremis terrae finibus*, convertent ſe ad te, ad colendum te *humero uno*, ut Jarchi interpretatur, phraſi ex Zeph. III, 9. deſumta, i. e. ſummo conſenſu. Eandem ſpem fovit Jeſajas II, 3. אַךְ־שֶׁקֶר נָחֲלוּ אֲבוֹתֵינוּ *Utique mendacium*, falſum, i. e. falſam religionem, vanos deos (ut ſupra X, 14. Jeſaj. XLIV, 20.) *haereditate poſſederunt patres noſtri*, avita traditione a majoribus tenendam obſervandamque accepimus falſam religionem. Minus appoſite J. D. Michaelis, quem ſequuti ſunt Eichhornius et Dahlerus, hunc locum confert cum eo, quod ſupra X, 16. legitur. Vates his populis illis non obſtare ait patrum exemplum, quo minus ſe falſam religionem tenuiſſe fateantur. Oblique exprobrat Judaeis, quod non deſtiterint a ſceleribus majorum toties admoniti. הֶבֶל וְאֵין־בָּם מוֹעִיל *Vanum* quid ſunt idola, *et in quibus nihil eſt utilitatem praeſtans.* Conf. Jeſaj. XLIV, 10. Habac. II, 18. „Spes habuerunt male collocatas. Hoc dicent experimento edocti.“ Grotius.

20. הֲיַעֲשֶׂה־לּוֹ אָדָם אֱלֹהִים וְהֵמָּה לֹא אֱלֹהִים *Numquid faceret ſibi homo deos, et illi non ſunt dii?* Sunt verba admirantis et obſtupeſcentis rei indignitatem. Conf. ſupra X, 3. ſeqq. Jeſaj. XLIV, 15. 17. 19. Sunt, qui converſa-

rum

rum gentium, quae patrum amentiam agnofcant, confeffionem hic continuari putent. Alii vero, quod praetulerim, haec verba prophetae effe ftatuunt, quafi dicat: fi falforum deorum cultui dediti illorum vanitatem aliquando agnofcent, quare igitur Judaei, qui veri Dei notitiam a majoribus acceperunt, tam pertinaces funt in colendis vanis numinibus?

21. Refpondet Jova prophetae, quia rem tam foedam admiferint Judaei, fe manifefta daturum divinitatis fuae documenta, fupplicia iis irrogando. לָכֵן הִנְנִי מוֹדִיעָם *Ideo cognofcere faciam eos*, Judaeos, faciam ut experiantur, qui nolunt ad frugem redire. בַּפַּעַם הַזֹּאת *Hac vice,* tandem aliquando, poftquam eos diu tuliffem. אוֹדִיעֵם אֶת־יָדִי *Intelligere,* fentire *faciam eos manum meam* caftigantem, ut fupra VI, 12. XV, 6. וְיָדְעוּ כִּי־שְׁמִי יְהוָה *Et intelligent,* experientur, *nomen meum effe Jovam,* me vere talem effe qualem nomen meum defignat, aeternum et mutari nefcium, vid. Exod. III, 14. VI, 2. 3. et ad ea loca not. edit. tert.

Cap. XVII, 1. In duobus primis hujus Capitis Verfibus Schnurrerus obfervat effe fingularem quandam et artificiofam compofitionem fententiarum, qua quatuor membrorum duo pofteriora referenda fint ad duo priora alternatim, qualem Lowthus *de S. Hebraeor. Poëfi* Prael. XIX. p. 217. edit. Lipf. commemorat Deut. XXXII, 42.; vid. not. noftr. ad eum loc. p. 645. edit. tert. Vid. et 2 Sam. I, 22. Ita in hoc Verfu primo quatuor funt cola, quorum tertium referendum eft ad primum, quartum ad fecundum, hoc modo: חַטַּאת יְהוּדָה כְּתוּבָה בְּעֵט בַּרְזֶל *peccatum Judae fcriptum eft ftilo ferreo* עַל־לוּחַ לִבָּם *fuper tabulam cordis eorum,* בְּצִפֹּרֶן שָׁמִיר חֲרוּשָׁה *cufpide adamantina infculptum* לְקַרְנוֹת מִזְבְּחוֹתֵיכֶם *angulis altarium veftrorum.* בְּעֵט בַּרְזֶל *Stilo ferreo,* in materia duriffima, unde haud poffit eradi, velut in lapidibus; cf. Job. XIX, 24.

24. צִפֹּרֶן, proprie *unguis*, hic denotat *ſtilum*, *graphium*, acutum inſtar unguis avium. De שָׁמִיר *adamante* vid. not. ad Ezech. III, 9. Fragmenta adamantis, inquit Plinius *Hiſt. Nat.* L. I. Cap. 4. *expetuntur a ſculptoribus, ferroque includuntur, nullam non duritiem ex facili cavantes.* Quod vero *Judaeorum peccata ſtilo ferreo cordis ſui tabulis inſculpta* dicuntur, ſignificat, illos non leviter eſſe impietate tinctos, ſed eam penitus imbibiſſe ſive, ut Schnurrerus ſenſum declarat, vanae religionis ſtudium eas apud Judaeos radices egit, ut videatur nullo modo poſſe exſtirpari; 'non minus illud in animis hominum haeret, quam in tabulis aeneis haerent, quae ſunt ſtilo ferreo inſcripta. Verborum לְקַרְנוֹת מִזְבְּחוֹתֵיכֶם *cornibus* i. e. angulis prominentibus *altarium veſtrorum* ſcil. inſcripta ſunt peccata Judaeorum, ſenſum Schnurrerus hunc eſſe ait: altaribus inſcriptam eſſe legem de iisdem ad poſteritatem conſervandis. Sed videtur vates hoc potius velle, in altaribus, quibus ſacrificia idolis obtulerunt ſanguine victimarum conſperſis, eſſe indelebilem notam impietatis Judaeorum. Pro מִזְבְּחוֹתֵיכֶם codices plures exhibent מִזְבְּחוֹתֵיהֶם cum ſuffixo tertiae perſonae, atque hoc ipſum exprimunt veteres interpretes, probatque J. D. Michaelis. Sed vix dubium eſt, eam lectionem ex emendandi ſtudio ortam eſſe, quod ſubita apoſtrophe turbaret aequalitatem ſermonis. Ceterum quatuor primi hujus Capitis Verſus, notante Montefalconio, jam olim deſiderabantur in verſione Graeca Alexandrina, et ex aliis verſionibus Graecis cum aſteriſcis adjecti fuerant in Hexaplis. Habentur autem apud Euſebium in Demonſtratione Evangelica, Theodoretum in Commentario, et in codice Collegii Jeſuitarum Pariſienſis. Ea vero de re dicit Hieronymus: „Quod cur a LXX praetermiſſum ſit neſcio, niſi forſitan pepercerunt populo ſuo, ſicut ét in Jeſaja fecit manifeſtum eſt.“ Et ad Vs. 2. idem: „Et haec in LXX non habentur; eadem, ut reor, cauſa, quam ſupra diximus, ne ſcilicet aeterna in eos ſententia permaneret.“

2. Verſ

2. Verba כִּזְכֹּר בְּנֵיהֶם מִזְבְּחוֹתָם Jarchi et Kimchi ita explicant: *ſicut recordatio filiorum ſuorum* ita eſt iis recordatio *altarium ſuorum*, non ſecus atque parentes oblectantur filiis, illi oblectantur altaribus idolorum et ſacris in iis peractis. Similiter J. D. Michaelis: „*ut filiorum ſuorum, ita altarium reliquique cultus idololatrici recordantur*, hoc ſenſu: tam ſunt conſcii ſibi peccatorum ſuorum et idololatriae, ut patres filiorum; non poſſunt idololatriam inſiciari. Sic ſaepe Mohammedes de Judaeis Scripturas ſuasque earum corruptiones negare non valentibus dicit: *norunt illa, ſicut norunt filios ſuos.*" Alii, ut C. B. Michaelis, aſyndeton ſtatuentes, ſic interpretantur: *dum* ego Jova *recordor filiorum eorum*, quos Molocho cremarunt, et *altarium ſuorum*, quae idolis ſtruxerunt. In qua quidem interpretatione durius eſt et aſyndeton, et quod haec verba ad Jovam referuntur. Recte veteres Graeci interpretes, quibus Euſebius et Theodoretus uſi ſunt, haec verba tranſtulerunt: οὕτως ἡνίκα δὴ ἀναμνησθῶσιν οἱ υἱοὶ αὐτῶν τῶν θυσιαστηρίων αὐτῶν. Quos ſequutus Hieronymus: *cum recordati fuerint filii eorum altarium ſuorum.* Eodem modo Chaldaeus: בְּאִדְכָּרָא בְנֵיהוֹן אֱגוֹרֵיהוֹן *dum recordantur filii eorum altarium ſuorum.* Schnurrerus: „*dum reputant filii altaria majorum*, i. e. patrum mores imitantur filii, et ipſi propenſi ad aras [idolorum], quibus majores tantopere delectati ſunt." De אֲשֵׁרִים *ſtatuis Aſtartae*, deae Cananaeae, vid. not. ad Jeſaj. XVII, 8. עַל־עֵץ רַעֲנָן verti poteſt vel: *ad arborem viridem*, frondoſam, vel: *una cum arbore frondoſa*, ut עַל capiendum Exod. XXXV, 22. הָאֲנָשִׁים עַל־הַנָּשִׁים *viri una cum mulieribus.* Quod in nonnullis codicibus legitur, עַל כָּל־עֵץ, Schnurrerus judicat eſſe emendantis, quod עַל־עֵץ videretur abhorrere a proximo אֲשֵׁרֵיהֶם.

3. Verba הֲרָרִי בַּשָּׂדֶה, quae per accentus conjuncta ſunt, interpretibus negotium faceſſunt. Jarchio הֲרָרִי eſt Adjectivum ab הָרַר *mons* deductum, *montanum*, in monte habitantem (*montagnard*) denotans, ut עֲרָבִי Jeſaj. XIII, 20.

20. denotet eum qui בַּעֲרָבָה *in planitie* habitet. Hinc interpretatur verba nostra sic: *o montane in agro,* quo Hierosolymam indicari putat, quae urbs in monte plano, sive in planitie montis, sita sit, et circa quam omnia plana sint. Verum Hierosolymam non in monte plano, sed inaequali et aspero, sitam esse, neque circumjacentem regionem esse planam, satis constat. Eundem tamen in modum Schmidius: *„O mons mi!* qui es *in agro,* i. e. Hierosolyma, quae in monte meo electo jam olim sita es, et circa te habes fertilissimum agrum, i. e. terram Cananaeam." Ea tamen, utpote montosa, minus apte שָׂדֶה dicatur. Kimchi refragantibus accentis הֲרָרִי a בַּשָּׂדֶה divellens, prius Versus hemistichium sic exponit: *o mons mi! in agro hostes inter se partientur praedam, ex opibus et thesauris tuis factam.* Sed minime opus est, ut accentus sollicitemus, si cum Gaabio et Gesenio in *Lex. min.* edit. sec. p. 210. vertamus: *montem meum una cum agro,* i. e. et montes et agros terrae meae scil. לָבַז אֶתֵּן *praedatum dabo,* cui in altero hemistichio בָּמֹתֶיךָ, *celsa tua,* respondet. Male Chaldaeus: עַל דְּפָלְחִין עַל טוּרַיָּא בְחַקְלָא *propterea quod coluerunt* scil. idola *super montibus in agro.* Eodem sensu Hieronymus: *sacrificantes in agro.* Videtur הֲרָרִי idem quod בָּמוֹת valere putasse. Syrus, asyndeton statuens, sic vertit ܘܒܛܘܪܐ ܘܒܡܕܒܪܐ *et in monte et in deserto.* Supervacanea est J. D. Michaelis conjectura, pro הֲרָרִי scribendum esse הָרְרִי, ut sit Imperativus femininus verbi הָרַר, cui Arabici هَرَّ significationem tribuit, quod quidem de *lugubri ululatu,* veluti eo, quem canis edit, usurpatur; ut Hierosolymae acclametur: *ulula in agro!* Sed tum et Suffixa quae sequuntur masculina mutanda essent in feminina. חֵילְךָ כָּל־אוֹצְרוֹתֶיךָ *Opes tuas* et *omnes thesauros tuos,* ut supra XV, 13., ubi copula ante alterum nomen expressa est. בָּמֹתֶיךָ *Celsa tua,* in quibus idolis sacella et aras struxisti, scil. direptioni hostibus

ſtibus dabo. Poſtrema hujus Verſus verba בְּחַטָּאת בְּכָל־גְּבוּלֶיךָ, vertunt fere: *propter peccatum in omnibus terminis tuis* commiſſum. Ita vetus Graecus interpres, e quo Graeca Alexandrina translatio ſuppleta eſt apud Euſebium et Theodoretum, et in codice Jeſuitarum (vid. not. ad Vs. 1.): *διὰ τὰς ἁμαρτίας σου, τὰς ἐν πᾶσι τοῖς ὁρίοις σου.* Chaldaeus: בְּחוֹבִין דַּהֲוֵיתוֹן פָּלְחִין לְטַעֲוָתָא בְּכָל תְּחוּמֵיכוֹן *per ſ. propter peccata, eo quod coluiſtis idola in omnibus terminis veſtris.* Sed vere monet J. D. Michaelis, redundare hanc rationem, *propter peccata* rel., quia בָּמוֹת non erant adiaphora apud Hebraeos, ſed per ſe illicita ex lege Moſaica. Venema vertit: *propter excelſa tua, propter peccatum tuum;* ſed durior eſt ellipſis Praepoſitionis ב ante בָּמֹתֶיךָ. Schalom Haccohen verba transpoſita exiſtimat pro בְּחַטָּאת בָּמֹתֶיךָ *propter peccatum excelſorum tuorum.* Quod vix admittant accentus, ſ[...]uum voci בָּמֹתֶיךָ appoſitus ſit accentus diſtinctivus minor *Sakeph gadol.* Ludov. de Dieu: *excelſa tua* ſunt *in peccatum in omnibus terminis tuis,* vel ſimpliciter: *ſunt peccatum,* ut ב ante חַטָּאת ſit *Beth* quod vocant *eſſentiae,* Nominativo praemiſſum; vid. not. ad Pſ. LIV, 6. LXVIII, 5. Jeſaj. XXVI, 4. Quibus omnibus praeferenda videtur ea ratio, qua Jarchi h. l. explicat. במתיך עשוית בחטא לשם עא״ בכל גבוליך *excelſa tua, quae facta ſunt per peccatum in honorem cultus idolorum in omnibus terminis tuis.*

4. וְשָׁמַטְתָּה מִנַּחֲלָתְךָ *Et remittes* ſcil. יָדְךָ *manum tuam* (Deut. XV, 3.) *ab haereditaria tua poſſeſſione,* i. e. recte explicante Jarchio, invitus intermittes terrae tuae culturam, quae non intermittebatur anno quoque ſeptimo, ut praeſcriptum erat lege Exod. XXIII, 11. Levit. XXV, 2. ſeqq. Interjectum שָׁמַטְתָּה inter et מִנַּחֲלָתְךָ illud וּבְךָ, moleſtum interpretibus, quod alii *quod ad te ipſum attinet,* alii *te* explicant, utrumque parum commode, recte interpretatus eſt C. B. Michaelis in nota manu ſua Bibliis Halenſibus adſcripta, et a filio, Joanne Davide, allata: *et quidem per te ipſum,* i. e. non per legem coactus, ſed ne-

cessitate quadam, ut Ezech. XXII, 16. וְנִחַלְתְּ בָּךְ *et profanaberis per te ipsam.* Sensus verborum illorum itaque hic erit: in exilium abacti terram vestram incultam relinquetis per multos continuos annos, non ut legi cuidam satisfaciatis, sed exilii poena coacti, quam ipsi vobis contraxistis. Veteres sensum non sunt assequuti. Graeci: *καὶ ἀφεθήσῃ* (al. *ἀφαιρεθήσῃ*) *μόνη καὶ ταπεινωθήσῃ ἀπὸ τοῦ κληρονομίας σου.* Quos ex parte sequutus est Hieronymus: *relinqueris sola ab haereditate tua.* Videntur aut לבדך legisse, aut בָּךְ putasse valere *apud te,* idque positum pro solitaria. Chaldaeus: וְאַיְתֵי סַנְאָה עַל אַרְעֲכוֹן וּתְהֵי צַדְיָא בִּשְׁמִטְּתָא וּבְכוֹן אֶעְבֵּד פּוּרְעֲנוּת דִּינִין עַד דְּאַגְלֵי יָתְכוֹן מֵאַחְסָנַתְכוֹן *et adducam hostem super terram vestram, eritque desolata sicut in anno remissionis, et in vos exsequar vindictam judicii, donec transmigrare vos faciam ex haereditate vestra.* Syrus: ܘܐܥܒܪܟܝ ܡܢ ܝܪܬܘܬܐ *et amovebo te ex haereditate;* non expresso בָּךְ. Verba כִּי אֵשׁ קְדַחְתֶּם בְּאַפִּי Jarchi sic exponit: יקדחם בניחרי *accendistis in naribus meis,* et simili modo A. Schultens in *Origg. Hebrr.* L. I. Cap. 2. §. 6. seqq. p. 25. edit. Lugd. Bat. 1761. et in *Vindiciis* p. 423. 475. verba proprie ita vertenda esse docuit: *ignem concitastis,* ad evolandum lacessivistis *in nasu meo,* nam קָדַח esse idem quod Arabum قدح *e fomite ignem extundere* ostendit. Chaldaeus ita explicavit: אֲרֵי רוּחַ קִדּוּם תַּקִּיף כְּאֶשָּׁתָא נְפַק מִן קֳדָמַי בִּרְגַז *quia spiritus urens fortis sicut ignis egressus est e facie mea in ira.* Ceterum quae hic habentur totidem fere verbis leguntur supra XV, 14.

5. אָרוּר הַגֶּבֶר אֲשֶׁר יִבְטַח בָּאָדָם *Exsecratus vir ille qui fiduciam ponit in homine.* Quod vix dubium quin pertineat ad Jojakinum regem, Aegyptiorum maxime praesidio fretum; uti recte Kimchi monuit.

6. In verbis hujus Versus primis, וְהָיָה כְּעַרְעָר בָּעֲרָבָה *estque, s. sitque sicut ..... in deserto,* discrepant interpretes, de vocabuli secundi significatione. Graecus Alexandrinus

xandrinus vertit illud ἀγριομυρίκην, quod ſequutus Hieronymus. Chaldaeus reddidit עַכּוּבִיתָא, quod nomen cum Arabico عكّوب convenit, quo *ſilybum* veterum, planta ſpinoſa, deſignatur, ut oſtendit Bochartus *Hieroz.* P. II. L. IV. Cap. 23. T. III. p. 501. edit. Lipſ. Id probat R. Jona ſ. Abul Walid, Cordubenſis, in Lexico inedito, e quo quod ad vocem עַרְעָר pertinet attulit Schnurrerus ad Pſ. CII, 18. in *Diſſertatt.* p. 166. Ait ille, eſſe eam plantam quae Hiſpanis *alharçofa*, i. e. الحرشف i. e. carduus altilis dicitur. Addit tamen, nihil obſtare, quo minus עַרְעָר idem ſit quod Arabum عرعر, quo شجر من الجبل *arbor quaedam montana* ſignificetur. *Juniperum* eam eſſe, docuit Celsius in *Hierobot.* P. II. p. 195. ſeqq. Verum quo minus עַרְעָר pro *plantae* alicujus nomine habeamus, vetat illud, quod Pſ. CII, 18. תְּפִלַּת הָעַרְעָר commemoratur, quod ſi *preces myricae* aut *cardui* vertere velles, phraſis eſſet plane incondita. Hinc J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 1971. collato Arabico غرغر, עַרְעָר *gallinam ſylveſtrem, meleagridem* (*das Perlhuhn*), avem per deſerta vagari ſolitam et ſemper querulam, ſignificare exiſtimavit. Sed *preces meleagridis* haud magis aptae ſunt, atque *preces juniperi.* Schnurrerus l. l. ex Arabico غرغر, verbo onomatopoëtico, ut Graecorum γαργαρίζειν, *reciprocare ſpiritum in gutture inſtar moribundi* denotante, עַרְעָר *moribundum* interpretatur. Et hoc quidem loco commode poſſit *ſiti elanguentem* in deſerto ſignificare. Neque tamen neceſſe eſt, ut ex Arabica dialecto hic opem petamus. Poteſt enim a verbo עָרַר, communem cum עָרָה et עוּר *nudum eſſe,* ſignificatum habente (cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 453. ſeqq.), *nudatiſſimum*, i. e. omni ope deſtitutum, indicare, quod et huic loco, et alteri Pſ. CII, 18.,

18., aeque aptum eſt. וְשָׁכַן חֲרֵרִים *Et incolat* loca *exuſta* torrida, ab Arabico حر *caluit, ferbuit.* Graecus Alexandrinus vertit *ἐν ἁλίμοις, in maritimis*, i. e. in arenoſo et ſterili maris litore. Arabicus interpres male reddidit في السّباخ *in paludoſis.* Chaldaeus: דְּלָא וְלַד *absque liberis*, cogitavit de עֲרִירִי *liberis orbatus*, Geneſ. XV, 3. Cf. Buxtorfii *Anticrit.* p. 728. אֶרֶץ מְלֵחָה *Terram ſalſuginoſam*, i. e. ſterilem, nam ſalſugo ſterilitatem terrae inducit. Chaldaeus vertit: בְּאַרְעָ סְדוֹם *in terra Sodomae*, ut Pſ. CVII, 33., ad quem loc. vid. not. Cf. Deut. XXIX, 22. וְלֹא תֵשֵׁב *Et* quae *non habitatur.* De uſu verbi יָשַׁב paſſivo vid. not. ad Jeſaj. XIII, 20. Ezech. XXVI, 20.

8. Pro וְהָיָה כְּעֵץ שָׁתוּל עַל־מַיִם *eſtque ſicut arbor plantata ad aquam*, i. e. terram habens irriguam et ſucci plenam, in pluribus codicibus legitur וְהָיָה כְּעֵץ שָׁתוּל עַל־פַּלְגֵי־מַיִם *eſtque ſicut arbor plantata ad rivos aquae*, e loco parallelo Pſ. I, 3. וְעַל־יוּבַל יְשַׁלַּח שָׁרָשָׁיו *Et ad flumen emittit*, diffundit *radices ſuas.* וְלֹא יִרְאֶה כִּי־יָבֹא חֹם *Nec videbit*, i. e. ſentiet *quod* ſ. *cum venerit aeſtus.* רָאָה haud raro *ſentire, experiri* valere conſtat, vid. not. ad Pſ. XVI, 10. Appoſite J. D. Michaelis ſimilem phraſin attulit e Corano Sur. LXXVI, 13. لا يرون فيها شمسا ولا زمهريرا *non videbunt in iis* (in umbris Paradiſi) *ſolem nec frigus.* Quae in textu poſitae ſunt Conſonantes, ירא, ſunt יֵרָא efferendae, quae eſt Futuri forma apocopata verbi רָאָה. Eam formam, quae alias Conjunctivum aut Optativum exprimit, in ſtylo poetico et pro Futuro Indicativi uſurpari, exemplis probavit Gesenius *Lehrgeb.* p. 428. Graecus Alexandrinus vertit *φοβηθήσεται*, quem Vulgatus et Syrus ſequuntur. Legit יִרָא vel יִרְא (quod tamen alias יִירָא ſcribitur) *timet* ſ. *timebit*, ſenſu minime incommodo. וּבִשְׁנַת בַּצֹּרֶת לֹא יִדְאָג *Et in anno ſiccitatis*, i. e.

i. e. tempore adverſitatis, publicae maxime, cum alii homines affligantur pereuntque, *non eſt ſollicitus.* וְלֹא יָמִישׁ מֵעֲשׂוֹת פֶּרִי *Nec recedet*, ceſſabit, *a faciendo frugem*, quin fruges proferat, integer et incolumis erit.

9. Pergit coarguere Judaeorum pravitatem, qua ſusque deque habeant Dei comminationes, et latere putent ſuam nequitiam, aut certe annunciatorum malorum immunes ſe fore ſibi perſuadeant, atque humanis fidentes auxiliis tranquilla omnia futura ſibi polliceantur. Verba עָקֹב הַלֵּב מִכֹּל Hieronymus vertit: *pravum eſt cor omnium.* Videlicet עָקֹב proprie eſt *curvum* (vid. not. ad Jeſaj. XL, 4.), hinc, ſenſu morali, *perverſum*, pravum. Hoc tamen loco quum ſequatur, cor humanum nemini niſi Deo perſpectum eſſe, videtur potius *tortuoſum*, *ſinuoſum* ſignificare, vel ab עָקֵב *calx*, quaſi dicas *ſupplantatitium*, i. e. doloſum, fraudulentum, quod Chaldaeus ſuo נְכִיל expreſſit. Significatur eos eſſe ſinus et receſſus in hominum corde, ut nihil ſit in rerum natura exploratu difficilius. Quem ſenſum Graecus Alexandrinus ſic expreſſit: *βαθεῖα ἡ καρδία παρὰ πάντα*, unde tamen non collegerim illum pro עָקֹב legiſſe עָמֹק. Symmachus *ἀνεξερεύνητος* *inſcrutabile* reddidit. A. Schultens in *Commentar. in Job.* I, 17. p. 111. vertit: *lacunoſum*, lacunis et ſalebris interciſum, eſt *cor prae menſurare*, ſ. *menſurando*. Retulit כֹּל ad verbum כּוּל. Quod ſequutus eſt Venema. וְאָנֻשׁ הוּא *Et inſanabile*, deſperatum, morbidum *eſt*, cf. ſupra XV, 18. מַכָּתִי אֲנוּשָׁה. Chaldaeus תַּקִּיף *validum*, i. e. obſtinatum, contumax vertit. Minus probandus J. D. Michaelis, qui in *Supplemm.* p. 106. collato Arabico أَنُثَ, quod in Conjugatione II. et V. *blandiri* ſignificat, אָנֻשׁ *blandiens* vertendum putavit. Graecus Alexandrinus: *καὶ ἄνθρωπός ἐστι*, quaſi אֱנוֹשׁ legiſſet, ſed ſenſu admodum diluto. J. D. Michaelis hoc Verſu ſpeciatim Jojakimum, aſtutum et inſidioſum tyrannum tangi exiſtimat. Quod ita arriſit Schalomo Haccohen, ut eam interpretationem, quam נבחר *exquiſitam*

quisitam vocat, in versione teutonica his verbis exprimeret: *Betrügerischen Herzens ist er, mehr als irgend einer; er ist ein Schwächling; wer kennt ihn?*

10. בֹּחֵן כְּלָיוֹת cf. supra XI, 20. et ibi not. וְלָתֵת לְאִישׁ כִּדְרָכָיו Et ita quidem, s. eo fine perscrutor cor humanum, *ad dandum*, ut rependam, *viro*, unicuique, *secundum vias suas*. Praemissum voci לָתֵת *Vau* in codicibus, et in libris editis nonnullis omittitur, nec expressum est a veteribus, J. D. Michaele et Dathio probantibus. Nolim tamen illo carere, quum orationi emphasin quandam addat. כִּפְרִי מַעֲלָלָיו *Secundum fructum facinorum ejus*, ut reddatur iis quae commeruerunt. Conf. eandem phrasin Jesaj. III, 10. 11., infra XXI, 14. Prov. I, 31.

11. קֹרֵא דָגַר וְלֹא יָלָד עֹשֶׂה עֹשֶׁר וְלֹא בְמִשְׁפָּט *Perdix quae colligit* scil. ova, *quum non pepererit*, est *qui comparat divitias, sed non juste*. Vocabula quatuor prima hujus Versus bene reddidit Graecus Alexandrinus: πέρδιξ συνήγαγεν ἃ οὐκ ἔτεκε. *Perdix* enim nomen suum hebraicum קֹרֵא habet a *vocando*, quemadmodum eadem avis Germanis dicitur *Rephuhn* a *röpen*, i. e. *rufen*, *vocare*, vid. Adelungii *Wörterb. der hochdeutschen Mundart* T. III, p. 1090. edit. sec. דָגַר vero proprie notare *colligere* nos dubitare non sinit consonum verbum Chaldaicum, cf. not. nostr. ad Bocharti *Hieroz.* P. II. L. I. Cap. 12. T. II. p. 632. edit. Lips., ubi pluribus de ave קֹרֵא dicta agitur, refutaturque p. 636. not. 2. Oedmanni sententia, designari nomine illo *meropem apiastrum*. Sine necessitate Bochartus a veteribus discedens *rusticulam* (*die Schnepfe*) nomine קֹרֵא significari statuit. *Colligere* vero scil. ova valet ea *fovere*, unde Job. XXXIX, 14., ubi ovorum struthionis est mentio, hebraica וְעַל־עָפָר תְּחַמֵּם *super arenam calefacit ea*, Chaldaeus reddidit: עַל אַרְעָא תְּדַגֵּר; et de pullis fovendis דָגַר dicitur Jesaj. XXXIV, 15. Ceterum דָגַר non pro Nomine habendum est cum J. D. Michaele, ob Camez syllabae secundae, sed est ἀνομαλῶς pro דָּגַר scriptum, cujus ἀνομαλίας exempla alia exstant, vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 302.

p. 302. no. 2. et Buxtorfii *Thesaur. Grammat.* L. II. p. 595. edit. sext. „Verbum יָלַד de ovis, non excludendis, sed pariendis usu venisse, admodum credibile, etsi loca non exstent, quibus hic usus queat probari. Rabbinis certe dicitur ביצה שנולדה *ovum quod genitum est;* vid. Buxtorfii *Lexic. Chald. Talmud.* p. 954.“ Schnurrerus. Ne mireris de ave femina Verba masculini generis usurpari, notandum est, plurium animalium nomina esse *epicoena* (vid. Gesenii l. l. p. 476.), quibus et קֹרֵא accensendum. Ceterum observat Schnurrerus, structuram prioris hemistichii eam esse, qua subjecto antecedat praedicatum. „Talia haud pauca deprehenduntur maxime in Proverbiis, veluti XXVIII, 15. אֲרִי־נֹהֵם וְדֹב שׁוֹקֵק מוֹשֵׁל רָשָׁע עַל עַם־דָּל *leo rugiens et ursus esuriens* est *dominus pravus populi invalidi;* vid. et loca XXV, 14. 26. 28. XXVI, 23. XIX, 26. VI, 12. Similiter hoc Jeremiae loco subjectum est עֹשֶׂה עֹשֶׁר וְלֹא בְמִשְׁפָּט *qui parat opes modo injusto;* quae antecedunt verba, קֹרֵא דָגַר וְלֹא יָלָד, praedicatum efficiunt. Igitur dubium esse non potest, quin vocabulum primo loco positum קֹרֵא nomen sit, a quo pendeant, quae proxime illi adhaerent verba reliqua. — Quae multis aliis placuit sententia: *ut Kore colligit,* s. *fovet ova, sed non excludit,* si possit quoque defendi ex usu loquendi, ad similitudinem certe minus apta fuerit: etenim homo divitiarum cupidus et studiosus nequaquam dicitur laborare irrito conatu nulloque prorsus eventu, negatur vero opum male partarum usus diuturnus, qui exspectationi respondeat.“ Chaldaeus locum sic interpretur: הָא כְקוֹרָאָה דִמְכַנֵּשׁ בֵּעִין דְלָא דִילֵיהּ וּמְשַׁחֵן אֶפְרוֹחִין דְבַתְרוֹהִי לָא יְהָכוּן כֵּן כָּל גְּבַר רַשִׁיעַ דְקָנֵי נִכְסִין וְלָא בְדִינָא *Ecce! sicut perdix colligit ova non sua, et calefaciendo fovet pullos, qui eam tamen non sequuntur; ita omnis vir improbus, qui possidet opes per nefas.* Kimchi: „Comparat improbum, qui per nefas divitias colligit non mansuras, cum ea ave, quam in lingua vernacula vocant *perdrix.* Illa autem incubat ovis aliarum avium et fovet ea. Ubi

Ubi autem rupta fuerint illa et prodierint pulli, non ſun inſtar pullorum ejus (perdicis), qui eam ſequantur. Ideo deſerunt eam neque agnoſcunt; ſed veram matrem ſe- quuntur. Similiter improbum, qui per nefarias artes ope collegit, eae deſerunt," rel. Hieronymus: „Ajunt ſcripto res naturalis hiſtoriae ...., hanc perdicis eſſe naturam ut ova alterius perdicis, id eſt, aliena, furetur, et eis in cubet foveatque; quumque foetus adoleverit, avolare al eo, et alienum patrem relinquere." בַּחֲצִי יָמָיו יַעַזְבֶנּוּ *In medio dierum ſuorum relinquet*, cogetur relinquere *eum*, עֹשֶׁר, divitias per nefas corraſas. בְּאַחֲרִיתוֹ יִהְיֶה נָבָל *Et in fine ſuo ſtultus* erit, ſe oleum et operam perdidiſſe et ſtulte egiſſe ſentiet. Ceterum vix dubium eſt tecte hoc Verſu peti Jojakimum, Judaeae regem, quem injuſte et avare in cives graſſantem perſtringit vates infra XXII, 1 13. 17.

12. „Eſt hic eadem, quam Vs. 11. vidimus, collocatio verborum, qua praedicatum, cui praecipua vis inſit, prae- miſſum eſt ſubjecto. Verba כִּסֵּא כָבוֹד מָרוֹם מֵרִאשׁוֹן מְקוֹם מִקְדָּשֵׁנוּ itaque ſic interpretamur: *ſolium glorioſum*, ſolium *excelſum ab antiquo tempore* eſt *noſtrum ſacrarium* Ante vocem מָרוֹם cogitando repetendum eſt nomen כִּסֵּא; et מְקוֹם מִקְדָּשׁ templum eſt Hieroſolymitanum, Jovae ſedes regia. Senſus e proximo petendus. Etenim quum modo invectus eſſet Jeremias in illum, qui in humano conſilio ſpem haberet repoſitam, nulla ratione habita Jovae, Vs. 5. quod dubium vix eſſe poteſt, quin pertineat ad Jojakimum regem, Aegyptiorum maxime praeſidio fretum, quem etiam Verſu 11. perſtringi credibile eſt, deſinit in commendando, quod in promtu ſit, auxilio certiſſimo, ſignificans, ad Jo- vam confugiendum eſſe, cujus aedes, quae in urbe ſit, numquam non pateat Judaeis." Schnurrerus. Parum pro- babilis Hensleri eſt ſententia, hoc Verſu et primo hemi- ſtichio Verſus proximi contineri verba Judaeorum, qui ſibi perſuaſerint, Jovam non admiſſurum, ut templum ſibi dicatum a barbaris in Judaeam irruentibus diruatur, ut

ſupra

ſupra VII, 4. 9. 10., vanas itaque eſſe prophetae comminationes.

13. מִקְוֵה יִשְׂרָאֵל יְהוָה *Spes Iſraelis*, is, cui uni ſe committere debebat populus Judaicus, eſt *Jova*. Et ſermone nunc ſubito ad ipſum converſo addit: כָּל־עֹזְבֶיךָ יֵבֹשׁוּ *Omnes qui te reliquunt, erubeſcent*, miſere ſe deceptos eſſe intelligent. וְסוּרַי (quomodo ad marginem legi praecipitur) *Et recedentes mei*, i. e. אֲשֶׁר יָסוּרוּ מִמֶּנִּי *qui a me recedunt* (cf. ſupra II, 21. Jeſaj. XLIX, 21.), eodem modo, recte monente Schleusnero, quo Pſ. XVIII, 40. קָמַי *inſurrectores mei* ſunt qui adverſus me inſurgunt, et infra XVIII, 19. יְרִיבַי *litigatores mei*, qui mecum litigant. Quod in textu exſtat, יְסוּרַי, ſignificatione non diſcrepat a סוּרַי, ſed formâ tantum; deſcendit a Futuro verbi סוּר, ut יָרִיב et יָרֵב a רִיב (cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 500. No. 38.). Videtur hoc ad formulam ſupra Vs. 5. מִן־יְהוָה יָסוּר לִבּוֹ reſpicere. Primae perſonae Suffixum ſunt qui referant ad vatem, qui *recedentes a ſe* vocet eos, qui a recta via, quam teneret ipſe, et in quam alios ducere cuperet, deflecterent, collato Joſ. I, 7. *Ut facias ſecundum omnem legem, quam tibi praecepit Moſes, ſervus meus;* אַל־תָּסוּר מִמֶּנּוּ *ne recedes ab eo*, ſcil. Moſe. Sed hoc loco magis idoneum videtur, יְסוּרַי de iis, qui Deum, i. e. leges ipſius deſerunt, intelligere, ſubaudito אָמַר יְהוָה aut נְאֻם יְהוָה, quod ſaepius omittitur. Et aliis locis verba Dei et prophetae, ejus mandata enunciantis, permiſta deprehendimus. Ad Deum loquentem retulit primae perſonae Suffixum et Chaldaeus, וְסוּרַי ſic interpretatus: וְרַשִׁיעַיָּא דְעָבְרוּ עַל מֵימְרָךְ *et impii qui transgrediuntur verbum tuum*. Graecus Alexandrinus omiſſo Suffixo ſimpliciter ἀφεστηκότες, et Syrus ܘܡܣܛܝܢܐ *et rebelles* vertit; quaſi ־ַי eſſet terminatio Pluralis, ut infra XXII, 14. חַלּוֹנַי *feneſtrae*. Sed Arabs, qui Graecum Alexandrinum ſequitur, recte poſuit المتباعدون منك *qui longius abeunt a te*.

te. Jarchi יְסוּרַי sic exponit: אותם שסרים מדברי שאינם שומעים שליחותי *illi qui recedunt a verbis meis qui non auscultant legationi meae*, i. e. legatis meis, prophetis, quos ego, Jova, mitto. Verba בָּאָרֶץ יִכָּתֵבוּ *in terra scribentur*, recte interpretatus est Grotius, cui Schnurrerus adstipulatur: oblivioni tradentur et exitio; nam in pulvere quae scribuntur nomina brevi, leviore etiam vento, delentur et penitus evanescunt. בָּאָרֶץ h. l. idem valet quod בֶּעָפָר; commutantur certe בָּאָרֶץ et בֶּעָפָר Job. XIV, 8., nec non מֵעָפָר et מֵאֲדָמָה Job. V, 6. Alii hisce verbis hoc dici putant: deputabuntur terrae, brutorum instar, et nihil commune cum iis Deus habebit; ut *scriptio* decretum denotet, quo sors eorum definitur, ut infra XXII, 30. Chaldaeus: בְּגֵיהִנָּם אִנּוּן עֲתִידִין לְמִפַּל *in Gehennam praecipitabuntur.* J. D. Michaelis genuinum habet, quod in textu scribitur, יְסוּרַי, quod *castigationes* notare putat, sensum horum verborum hunc statuens: *castigationes meae*, i. e. poenae a me praedictae, in terra *scribuntur*, ubi implentur, exitiabili ruinarum scriptura ipsi terrae inscriptae. Quod quaesitum et coactum est. Quae adduntur, כִּי עָזְבוּ מְקוֹר־מַיִם חַיִּים אֶת־יְהוָה, habentur et supra II, 13. Hoc loco Chaldaeus ea sic exponit: אֲרֵי שְׁבַקוּ פּוּלְחָנָךְ יְיָ דִּבְדִילֵיהּ אַתְּ מַיְתֵי עֲלֵיהוֹן יְקָרָא כְּמַבּוּעַ דְּמַיִין דְּלָא פָסְקִין מוֹהִי *nam dereliquerunt cultum tuum, Domine, propter quem tu adducebas iis gloriam, sicut fontem aquarum, cujus aquae non deficiunt.*

14. רְפָאֵנִי יְהוָה וְאֵרָפֵא *Sana me, Jova, et sanabor*, sive, *ut saner*, i. e. affer solatium gravissimis illis doloribus meis, quos mihi mei adversarii creant (cf. supra XV, 10. 18.), ut melius me habeam. הוֹשִׁיעֵנִי וְאִוָּשֵׁעָה *Salvum me fac et salvus reddar*, protege me contra inimicorum machinationes, ne mihi noceant. כִּי תְהִלָּתִי אָתָּה *Nam gloria mea es tu*, i. e. de te, potentissimo auxiliatore, glorior. Non habeo praeter te alium adjutorem, de quo gloriari possim.

15. הִנֵּה־הֵמָּה אֹמְרִים אֵלָי *En! ipsi*, mei adversarii, dicunt

dicunt mihi, illudentes: אַיֵּה דְבַר־יְהוָה *ubi est verbum Jovae?* ubi tam diu moratur tuorum vaticiniorum eventus? Chaldaeus: אָן דְּאִתְנַבֵּיתָא בִּשְׁמָא דַיְיָ *ubi est quod vaticinatus es in nomine Jovae?* יָבוֹא נָא *Veniat quaeso!* eveniet! Chaldaeus: יִתְקַיַּם כְּעַן *confirmetur nunc!*

16. Primum hujus Versus membrum, וַאֲנִי לֹא־אַצְתִּי מֵרֹעֶה אַחֲרֶיךָ, sunt qui vertant: *non ursi* (quo transitivo significatu Participium Cal verbi אוּץ legitur Exod. V, 13.), sive, ut alii, *non festinavi* (ut Prov. XIX, 2.), *ut essem pascens post te*, i. e. ut pastor et propheta tuus essem; non ingessi me ei muneri, quod tu mihi imposuisti; secus ac ipsi calumniantur, quasi mihimet ipse illud arrogassem; cf. infra XX, 7. Quae quidem interpretatio haud repudianda foret, si לִרְעָה positum esset. Alii: *non institi* arguendo, praedicendo, hortando, *prae pastore post te*, i. e. plus quam decet pastorem, nihil amplius feci, quam quod meum requirebat officium et tuum mandatum. Simili modo Dathius: *ego vero nihil ursi, nisi quod me decebat tanquam pastorem* populi *a te constitutum.* Sententia minus idonea. J. D. Michaelis, Syrum interpretem maxime sequutus, cujus haec sunt: ܒܒܝܫܬܐ ܠܐ ܦܫܬ ܡܢܟ *in malo non recessi a te*, sic interpretatus est: *non refugi a malo, quod erat post te*, hoc est, quod te sequenti exspectandum erat; edito מֵרֹעֶה mutato in מֵרָעָה. At, vere monente Schnurrero, ne levissima quidem mutatione opus est. „מֵרֹעֶה dictum pro מִהְיוֹת רֹעֶה, quemadmodum infra XLVIII, 2. et Ps. LXXXIII, 5. מִגּוֹי positum est pro מִהְיוֹת גּוֹי, et supra II, 25. מִיָּחֵף pro מִהְיוֹת יָחֵף; quod, si in re parum dubia argumentis opus sit, intelligas ex 1 Sam. XV., ubi, postquam dictum esset Vs. 23. יַעַן מָאַסְתָּ אֶת־דְּבַר יְהוָה וַיִּמְאָסְךָ מִמֶּלֶךְ mox Vs. 26. eadem sententia iteratur hoc modo: כִּי מָאַסְתָּה אֶת־דְּבַר יְהוָה וַיִּמְאָסְךָ יְהוָה מִהְיוֹת מֶלֶךְ עַל־יִשְׂרָאֵל *quia repudiasti verbum Jovae*, ideo *et te repudiabit Jova*, *ne sis* amplius *rex super Israelem*. רֹעֶה *pastor* h. l. magister disciplinae et severi-

 tatis

tatis cenfor eft, poterantque prophetae haud minus recte dici רֹעִים *paftores*, quam fupra VI, 17. צֹפִים *fpeculatores*, qui de imminentibus malis populum admonerent. אַחֲרֶיךָ haud pendet a verbo אַצְתִּי, fed pertinet omnino ad nomen, a quo proxime abeft, מֵרֹעֶה *equidem* vocatus *haud proripui me, quo minus cenfor effem pone te*, h. e. haud recufavi munus prophetae mandata ex tuo ore excepturi." Eum fenfum expreffit Graecus Alexandrinus: *ἐγὼ δὲ οὐκ ἐκοπίασα κατακολουθῶν ὀπίσω σου*, quod Arabs fic reddidit: وأنا لم أتعب تابعًا خلفك *at ego non fum defeffus a te fequendo.* Et Chaldaeus: וַאֲנָא לָא עַכְּבִית עַל מֵימְרָךְ מִלְּאִתְנַבָּאָה עֲלֵיהוֹן לְאוֹתָבוּתְהוֹן לְדַחְלְתָךְ *ego autem non fum cunctatus, propter verbum*, mandatum *tuum, quo minus iis vaticinarer, ut illos converterem ad timorem tui.* וְיוֹם אָנוּשׁ לֹא הִתְאַוֵּיתִי *Et diem defperati mali non defideravi.* „יוֹם אָנוּשׁ idem quod mox Vs. 18. יוֹם רָעָה, fupplicium populi perfidiae conftitutum a Jova. Jeremias ludibrio habitus a Judaeis (Vs. 15.), dicfitantibus, obnuntiatas a fe diras vaniffimas effe, quod exitum non habeant, fatetur fe quidem haud refugiffe munus cenforis et fatidici a Deo fibi impofitum, fed negat fe cupide et libenter dira iftiusmodi praefagia affectaffe, teftem adhibens ipfum Jovam (אַתָּה יָדָעְתָּ *tu nofti*), quem non poffit latere quidquam a fe enuntiatum." Schnurrerus. Chaldaeus: וּלְיוֹם בִּישׁ דְּאַתְּ מַיְתֵי עֲלֵיהוֹן לָא חֲמֵדִית *et diem malum, quem adducturus es fuper eos, non concupivi.* Reliqui interpretes veteres יום אנוש reddiderunt *diem hominis*, quafi אֱנוֹשׁ fcriptum effet, quam verfionem Spohnius bene quadrare h. l. cenfet, *diem hominis* interpretatus dies quales optare homines folent, vitam fuavem atque delicatam. Hieronymus: „Vel vitam longiorem, vel profpera quaeque hujus feculi." Ephrem: ܝܘܡܐ ܕܒܪܢܫܐ ܡܫܬܘܬܐ ܐܘ ܛܘܒܐ ܐܝܠܝܢ ܕܡܬܪܓܪܓܝܢ ܒܢܝ ܐܢܫܐ *id eft, nuptiarum*, f. convivii, *aut bonorum quae homines appetunt.* Pofte-

Posterius Versus hemistichium, מוֹצָא שְׂפָתַי נֹכַח פָּנֶיךָ הָיָה *exitus labiorum meorum,* i. e. quod e labiis meis exit, *coram facie tua erat,* Dathius sic reddidit: *sed quae dixi tu ipse mihi mandasti.* Minus recte. Vates hoc potius vult: tu, quem nihil latet, nosti, quae sim loquutus. Quid נֹכַח פְּנֵי־יְהוָה valeat intelligitur e Proverb. V, 21. נֹכַח עֵינֵי יְהוָה דַּרְכֵי אִישׁ *in conspectu Jovae positum est quidquid homines agunt, omnia eorum facta expendit.*

17. אַל־תִּהְיֵה־לִי לִמְחִתָּה *Ne sis mihi in terrorem,* quod nonnulli sic interpretantur: ne terribilem te mihi praebeas, non defendendo aut deserendo. Malim: ne sis mihi causa consternationis, ne sinas me consternari, iis quae tuo jussu praedixi non impletis. Ita Chaldaeus: לָא יְהֵי מֵימְרָךְ לִי כַּדְבִין *non sit verbum tuum mihi mendacia.*

18. יֵבֹשׁוּ רֹדְפַי *Pudesient qui me insectantur,* conf. supra XV, 15. — הָבִיא עֲלֵיהֶם יוֹם רָעָה *Veniendo super eos,* i. e. cum iis supervenerit *dies malus,* tempus calamitosum, quod venturum praefracte negant. וּמִשְׁנֶה שִׁבָּרוֹן שָׁבְרֵם *Et iterata fractione frange eos;* iteratis calamitatibus eos confice. מִשְׁנֶה hoc loco est Adjectivum (ut Esth. X, 3. מִשְׁנֶה לַמֶּלֶךְ *secundus a rege*), nomini substantivo praemissum, ut Genes. XLIII, 15. מִשְׁנֶה־כֶּסֶף *duplum argentum,* cf. not. ad eum loc.

XIII.

Cap. XVII, 19 — 27.

ARGUMENTUM.

Arguit vates ſuos populares violationis Sabbathi, quod feſtum in honorem ſummi numinis inſtitutum omnium laborum requie adeo religioſe celebrari praecipiebat Lex (Exod. XX, 8. XXIII, 12.), ut qui illo operis faciundis non abstineret, morte eſſet mulctandus (Exod. XXXI, 14. 15. Num. XV, 32. ſeqq.), quod qui feſtum illum diem profanaret, ſe Jovam colere negaret. Hinc vates ſibi ad Sabbathum religioſe obſervandum adhortanti non obtemperantibus interitum minatur Vs. 27.

Novum Verſu 19. incipere vaticinium, arguit ipſum exordium, quo locus in quo hanc concionem habere oportuerit, memoratur a priore, ex quo abire debebat propheta, diverſus. Accedit, quod et ipſum argumentum hujus concionis plane eſt aliud quam ejus, quae praeceſſit.

Dahlerus (*Jerémie* p. 97.) hanc orationem brevi poſtquam Joſias decimo octavo regni ſui anno cultum Jovanum ſuae puritati reſtituiſſet, habitam ſtatuit, illius aetatis hominibus longa impietate Sabbathi profanationi aſſuetis pii regis juſſa exſequi renuentibus, quos igitur ſuis adhortationibus et comminationibus movere vates voluerit. Verum quod vates ſuam adhortationem et ad *reges Judaeae* dirigit Vs. 20., Joſiae tempus minus videtur congruere. Quare malim cum Eichhornio (*die bibl. Propheten*

pheten P. II. p. 92.) ad regis impii Jojakimi aetatem, qua bona Josia instituta negligebantur, et nihil pensi habebantur, hanc pericopam referre.

XVII. Sic mihi dixit Jova: I, et sta in 19.
porta plebis, per quam Judaeae reges ingre-
diuntur et egrediuntur, inque omnibus por-
tis Hierosolymae, atque eis ita dicito: audite 20.
Jovae dictum, Judaeae reges, omnesque Ju-
daei, et omnes Hierosolymae habitatores,
qui per has portas ingredimini. Sic dicit 21.
Jova; cavete, si vestram salutem amatis, ne
onera tollatis die Sabbathi, aut per Hiero-
solymae portas feratis, neve onera ex aedi- 22.
bus vestris efferatis die Sabbathi, aut ullum
opus faciatis, sed Sabbathi diem sancte aga-
tis, ut ego praecepi vestris majoribus, qui 23.
sane non obediverunt, neque aurem prae-
buerunt, sed obfirmavere cervicem, ne ob-
temperarent, aut disciplinam admitterent.
Quodsi mihi in eo obediveritis, inquit Jova, 24.
ut onera per hujus urbis portas non inferatis
die Sabbathi, utque diem Sabbathi ita sancte
agatis, ne in eo ullum opus faciatis; ingredien- 25.
tur per hujus urbis portas reges et principes,
qui in solio Davidis sedent, curribus et equis
insidentes tum ipsi, tum ipsorum proceres
Judaei et Hierosolymitani, habitabiturque
haec urbs in perpetuum; venientque ex Ju- 26.
daeae civitatibus, et Hierosolymae vicinis,
ex

ex Benjaminitide, ex demiſſis montaniſque
locis, et meridie, qui victimas, qui ſacrificia,
qui fertum, qui thus afferant, et gratiarum
27. actionem in aedem Jovae inferant. Sin autem
mihi non obediveritis, diem Sabbathi ſancte
agendo, et onera die Sabbathi non geſtando,
aut per Hieroſolymae portas ingrediendo;
incendam ego portas Hieroſolymae igne, qui
ejus arces conſumat inexſtinctus.

N O T A E.

Cap. XVII, 19. שַׁעַר בְּנֵי־עָם *Porta filiorum populi*, i. e. plebis, ſive, ut ad marginem legi praecipitur, בְּנֵי־הָעָם *filiorum populi hujus*, (Graecus Alexandrinus: *ἐν πύλαις ὑμῶν λαοῦ σου*), urbisne an templi porta fuerit, incertum, nec de appellationis ratione ſatis conſtat. C. B. Michaelis in Notis manu ſcriptis, referente filio, Joanne Davide, non portam aliquam Templi ſtatuit, ſed Hieroſolymae, primo, quia opponitur reliquis portis Hieroſolymae, deinde, quia arguitur exportatio et importatio onerum die Sabbathi facta, quae urbi potius, quam templo convenire videtur. Nomen vero *portae plebis* nactum conjiciunt vel inde, quod populus ad hanc portam nonnumquam convocaretur, vel communi opera populus hanc portam exſtruxerit, vel denique quod prae reliquis urbis portis frequentaretur, vicina forſan regio palatio, quum ſtatim addatur: *per quam reges Judaeae intrare et exire ſolent.*

20. שִׁמְעוּ דְבַר־יְהוָה מַלְכֵי יְהוּדָה *Audite verbum Jovae, reges Judaeae!* Alloquitur plures Judaeae reges, quum tamen unum tantum eodem tempore regem fuiſſe conſtet. Itaque vel *reges* Judaeae vocat, quotquot familiae ſupereſſent, ſive, ut Kimchi loquitur, *regem ejusque filios,*

filios, vel non tantum de eo, qui tunc regnaret, rege loquitur, ſed futuros quoque admonitos voluit.

21. הִשָּׁמְרוּ בְּנַפְשׁוֹתֵיכֶם *Cavebo vobis pro animabus veſtris,* i. e. quam cura vobis eſt vita veſtra, idem quod נִשְׁמַרְתֶּם לְנַפְשֹׁתֵיכֶם Deut. IV, 15. Joſ. XXIII, 11. וְאַל־תִּשְׂאוּ מַשָּׂא בְּיוֹם הַשַּׁבָּת *Nec portetis onus in die Sabbathi,* vid. Exod. XX, 8. Nehem. XIII, 19. Pro וַהֲבֵאתֶם *et ne inferatis* onera Graecus Alexandrinus in utroque codice, et Romano et Alexandrino exhibet: καὶ μὴ ἐκπορεύεσθε. In editione Complutenſi legitur εἰσφέρετε; quo ipſo verbo Graecus interpres Vs. 24. utitur ad exprimendum הָבִיא, quare Spohnius illud et hic in textum recepit.

23. וְלֹא שָׁמְעוּ *Nec audiverunt* ſcil. אֲבוֹתֵיכֶם *patres veſtri* Vs. 22. In altero Verſus hemiſtichio pro Participio שׁוֹמֵעַ, quod in textu eſt, ad marginem legi jubetur Infinitivus שְׁמוֹעַ, ut congruat cum Infinitivo, qui ſequitur, קַחַת *non audiendo nec admittendo disciplinam.* Verum et alias Participio ſubjungi Infinitivum, docuit Franc. Tsepregi in Diſſertat. *de authentia ſelectiorum Cethibim* in *Sylloge Diſſertatt. ſub praeſidio A. et J. J. Schultens et N. G. Schroederi defenſar.* T. I. p. 139. Sic Joſ. VI, 13. הוֹלֵךְ וְתָקוֹעַ בַּשּׁוֹפָרוֹת *iens et clangendo tubis,* ubi, ut hic, Maſorethae ad marginem Participium in Infinitivum, הָלוֹךְ mutarunt. Sed intactum reliquerunt ſupra X, 23. לֹא־לְאִישׁ הֹלֵךְ וְהָכִין אֶת־צַעֲדוֹ *non eſt viro ambulans* ut ſit *et firmare ſuum greſſum.* Cf. Num. XVII, 11.

24. עֲשׂוֹת־בָּהּ *Facere in eo* ſcil. יוֹם הַשַּׁבָּת *die Sabbathi,* ſive ſimpliciter הַשַּׁבָּת, quod nomen quum alias ſaepius ut *maſculinum* uſurpetur, Maſorethae hic בּוֹ legendum praecipiunt. Sed notat Kimchi, eſſe *generis communis.*

25. Si, inquit vates, meis adhortationibus aurem praebueritis, haec urbs regni Davidici ſedes permanebit, nec ab hoſtibus occupabitur. Eadem quae hic leguntur infra XXII, 4., conf. ſupra XIII, 13. רֹכְבִים בָּרֶכֶב וּבַסּוּסִים

Vecti

Vecti curru, f. curribus *et equis*, i. e. magnifice. וְיָשְׁבָה *Et habitabit*, i. e. habitatores habebit, habitabitur, ut fupra Vs. 6. חֲשֻׁב. Recte Graecus Alexandrinus: *καὶ κατοικηθήσεται.*

26. וּמִן־הַשְּׁפֵלָה *Et ex humili* fcil. terrae Judaicae regione, i. e. auftrali occidentem verfus, oppofita ei quae הָהָר dicitur, ut ftatim fequitur, montanis Judaeae, ἡ ὀρεινὴ Luc. I, 39., cujus oppida recenfentur Jof. XV, 48. feqq. וּמִן־הַנֶּגֶב *Et ex auftro*, i. e. auftrali Judaeae regione, ut fupra XIII, 19. Jof. XV, 21. מִנְחָה *Fertum*, vid. Levit. II, 1. feqq. In verfionis Alexandrinae codicibus pro eo legebatur *μάννα* jam Hieronymi aetate. Sic enim ille in Commentario ad h. l.: „Pro *facrificio* LXX ipfum verbum hebraicum pofuerunt *Manaa*, quod peffima confuetudine, imo fcriptorum negligentia *Manna* in noftris libris legitur.“ Recte igitur Grabius in textu recepit *μαναά*. Cf. Drusii *Mifcellann.* L. I. Cap. 9.

XIV.

XIV.

Cap. XVIII.

ARGUMENTUM.

Vati maximas clades ipſumque reipublicae interitum ob graviſſima populi ſcelera iterum ac ſaepius minanti quum fidem non haberent ejus populares, perſuaſi, Jovam quam ſuis majoribus addixiſſet terram non permiſſurum eſſe hoſtibus occupandam et devaſtandam (cf. ſupra VII, 4. 12. XIV, 16.); docet hac oratione, Deum ſuis promiſſionibus nequaquam ita obſtrictum teneri, ut eas ratas facere oporteat, etiamſi homines bonis, quae ipſis promiſſa eſſent, ſeſe indignos redderent. Sed quemadmodum cum alicui genti excidium minatus fuerit, ſi illa ſeſe a ſuis ſceleribus retraxerit, ipſe quoque malo temperet, quo eam afficere cogitaverat; ita et illum genti, cui ſtabilitatem et bona omnia promiſerit, auferre, ſi ipſum oſtenderit, bona quae ei conferre ſtatuerit. Quod enim in ſuum opus ſit jus figulo, ut ſi ipſi diſpliceat, frangere et e maſſa, quae in manu ipſi eſt, aliud fingere poſſit, idem in ſuos homines jus eſſe Deo (Vs. 1—10.). Quapropter illos mala ſibi denuntiata non aliter amoliri a ſe poſſe, niſi ut vitioſas ſuas conſuetudines et mores corrigerent (Vs. 11.). Id vero quum obſtinato animo recuſent, et talia in ſe admittant, quae vix gens ulla alia, eorum regionem ita devaſtatum iri, ut omnibus futura ſit horrori, ipſis expulſis et abactis. (Vs. 12—17.). Nec his tamen adhortationibus et comminationibus moti prophetae adverſarii, quum novas ei

(Vs.

insidias struerent, et indignissimis modis eum tractarent (Vs. 18. 19.); Dei ille fidem implorat ad defensionem sui, et poenam adversariorum (Vs. 20—23.). Eadem, quae hic, et questus et precatus est propheta in duabus superioribus orationibus. XV, 15. seqq. et XVII, 15. seqq., quas regnante Jojakimo habitas fuisse vidimus. Ad ejusdem regis aetatem igitur et hanc concionem referre haud dubitamus.

XVIII, 1. Sermo, qui ad Jeremiam habitus est
2. a Jova his verbis: Age, descende in domum
figuli, et ego illic tibi mea dicta nuntiabo.
3. Igitur ego digressus in domum figuli eum
4. offendi opus facientem in rotis. Quumque
in figuli manu corruptum esset vas, quod ex
argilla faciebat, iteravit, et ex eo vas fecit
5. aliud, ut ei visum est. Tum mecum Jova
6. sic verba fecit: Annon ego non possim vobis
facere ut figulus iste? domus Israelitica,
inquit Jova; qui quidem quod est in figuli
manu argilla, id estis in mea manu, domus
7. Israelitica. Est, cum minabor alicui genti
aut regno eversionem, excidium, interitum;
8. si ea gens, cui minatus fuero, sese a suis
sceleribus retraxerit, ego quoque malo temperabo,
quo eam adficere cogitaveram.
9. Rursum quandoque promittam alicui genti
aut regno constructionem ac stabilitatem;
10. si me offenderit, meis dictis non obtemperando,
ego quoque bono temperabo, quod
11. ei conferre statueram. Quapropter age, refer

ſer Judaeis et Hieroſolymitanis haec verba:
ſic dicit Jova: en ego malum in vos molior,
et quiddam cogito; retrahite vos a ſua
quisque vitioſa conſuetudine, veſtrasque
conſuetudines et mores corrigite. Minime 12.
vero, inquiunt, quin cogitationes noſtras
ſequemur, et ſui quisque animi pravae ob-
ſequemur improbitati. Itaque ſic dicit Jova: 13.
conquirite ſane per gentes, ecquis talia au-
diverit, quam improbe fecit virgo Iſrael.
Deſtituetne agros meos nix de rupibus Li- 14.
bani? aquae adventitiae, gelidae, manantes?
Atque obliti me mei ſuffiunt rebus nihili, et 15.
in aeternis viarum ſuarum orbitis impingunt,
ambulantes per non tritae viae ſemitas, ut 16.
in vaſtitatem redacta tellus eorum ſibiletur
aeternum, dum, quicunque praeteribit eam,
ſtupefactus caput quaſſabit. Eos ego, euro 17.
actos, hoſti profligabo, cervicem ei, non
frontem, praebens, tum quum interibunt.
Illi vero ita dicunt: agite, comminiscamur 18.
aliquid in Jeremiam: nam neque ſacerdoti
lex, neque ſapienti conſilium, neque vati
deeſt oraculum; agite! percutiamus eum
lingua, nec ejus verba attendamus. Attende 19.
me, Jova, et audi meorum adverſariorum
vocem. Itane vero pro bono rependitur 20.
malum, ut mihi foveam fodiant? Memento,
me ante te ſtetiſſe, ut eorum utilitati con-
ſulerem, avertendo ab iis tuam indignatio-
nem.

21. nem. Ergo eorum natos fami permitte, et
profterne eos gladio, ut eorum mulieres
orbentur viduenturque, et viri mortem op-
petant, et juvenes in pugna armis occum-
22. bant; audiatur ex eorum domibus clamor,
adductis in eos a te militibus ex improvifo,
quoniam foveam ad me capiendum fodiunt,
23. meisque pedibus laqueos abfcondunt. Tu
vero, Jova, qui omne eorum de mea nece
confilium nofti, ne ignofce eorum crimini,
neve eorum peccatum ex tuo confpectu ob-
litterato, quin coram offendant, dum tu eos,
tum quum irasceris, ita tractabis.

N O T A E.

Cap. XVIII, 2. קוּם וְיָרַדְתָּ בֵּית הַיּוֹצֵר *Surge et defcende ad domum figuli.* *Defcendere* jubetur propheta a templo, quod in monte Moria ftetit, in quo Jeremias facerdotalis muneris caufa degere folebat, vel ex alia parte urbis elatiore, ubi habitabat, in depreffam illius partem, ubi figulorum officinae erant; vid. C. B. Michaelis Differtat. *de notionibus Superi et Inferi* §. XX. in *Commentatt. theologg.* a Velthufenio et Kuinoelio editt. T. V. p. 425.

3. וְהִנֵּה הוּא *Et ecce ille*, prouti ad marginem legendum praecipitur, in textu eft וְהִנֵּהוּ, cum Suffixo, quod eodem recidit. עֹשֶׂה מְלָאכָה *Fecit opus*, i. e. exercuit opificium fuum; fic 1 Parall. XXII, 15. עֹשֵׂי מְלָאכָה funt *opifices.* עַל־הָאָבְנָיִם *Super duplici lapide*, i. e. rota. אָבְנַיִם enim non, ut nonnulli conjecerunt, duplicem denotat fellam, alteram, cui infideat fedentarius operator figulus, alteram priori e regione connexam, ollae fellam et rotatilem incudem, ad quam usque manibus pedibusque per-

tingat figulus; sed duplicem rotam, quae inferiore magna, superiore minori constat, in cujusmodi rotis figulos in Oriente opus facere solere suo adhuc tempore, scribit R. Jona, sive Abul-Walid, cujus verba e Lexico ejus manu scripto attulit Gesenius in Praefatione ad Lexicon hebraeo-teutonicum minus p. XVIII. not. edit. sec. Alio significatu nomen אָבְנָיִם legitur Exod. I, 16. ad quem loc. vid. not.

4. וְנִשְׁחַת הַכְּלִי אֲשֶׁר הוּא עֹשֶׂה בַּחֹמֶר *Et corruptum est vas, quod ex luto formavit;* ב nomini חֹמֶר praefixum *materiam* notat, e qua quid formatur, ut Exod. XXXVIII, 8. בְּמַרְאוֹת *e speculis,* vid. not. ad eum loc. Pro בַּחֹמֶר in codicibus pluribus legitur כַּחֹמֶר (per *Caph*) ut infra Vs. 6., e qua lectione Abarbenel hanc elicit emphasin, *quod vas corruptum fuerit non figuli, sed luti vitio.* Sed בַּחֹמֶר (per *Beth*) requirit Masora impressa ad Vs. 6. et ad Job. X, 9., et sic legerunt quoque Aquila, Theodotion, Hieronymus, Chaldaeus et Syrus. Graecus Alexandrinus nec בַּחֹמֶר nec כַּחֹמֶר expressit, probante Lud. Cappello, qui in *Crit. S.* L. IV. Cap. 11. p. 670. edit. Vogel. Scharfenb. verba כַּחֹמֶר בְּיַד הַיּוֹצֵר (sic enim per *Caph* hic legit) hoc Versu supervacanea judicat, et tanquam glossema e Vs. 6. huc traducta. Sed comparanti utrumque Versum patet, sententiam utriusque loci esse diversam, et infra Vs. 6. recte se habere Particulam comparandi כ, quum ei in altero membro כֵּן respondeat. בְּיַד הַיּוֹצֵר *In manu figuli,* cum vas illud manibus tractaret suis, luto adhuc humido, ut notat Jarchi. וְשָׁב וַיַּעֲשֵׂהוּ *Et rediit et fecit illud,* i. e. refinxit illud. ut Genes. XXVI, 18. וַיָּשָׁב וַיַּחְפֹּר *et rediit foditque,* iterum fodit; vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 823. כַּאֲשֶׁר יָשַׁר בְּעֵינֵי הַיּוֹצֵר לַעֲשׂוֹת *Sicut rectum erat in oculis figuli,* i. e. sicut sibi videbatur, sicut ipsi placuit, *facere.*

6. הֲכַיּוֹצֵר הַזֶּה לֹא־אוּכַל לַעֲשׂוֹת לָכֶם *Nonne sicut figulus ille possum facere vobis?* i. e. nonne ita vobis-

cum

cum agere mihi liceat? Non enim de vi ac potentia, ſed de jure h. l. ſermonem eſſe patet.

7. Initio hujus Verſus negotium interpretibus faceſſit vox רֶגַע, quae alias *momentum,* aut Caſu adverbiali, *momento* ſignificat, quomodo et Syrus (ܡܢ ܡܚܕܐ *repente*), et Aquila et Symmachus in codice Syro-Hexaplari h. l. vertunt. Quod tamen huic loco minus quadrat. Nam quod C. B. MICHAELIS dicit, *momento* hic et infra Vs. 9. denotare, Dei poteſtatem adeo independentem eſſe, ut quicquid decreverit, ſtatim et ſine mora exſequatur, neque magis teneatur cum homine, quam figulus cum luto, deliberare, hoc, inquam, vix arbitror aliis ſatis facturum. Nec magis aptum quod Graecus Alexandrinus πέρας reddidit, quod Hieronymus *ad ſummum,* Arabicus interpres بِنِهَايَةٍ *extremo, tandem* vertit (male Latinus interpres in Polyglottis Arabicum *cum facilitate* transtulit). Sed genuinum ſignificatum expreſſiſſe videtur Chaldaeus: זְמַן *tempore,* i. e. interdum, quandoque; cui bene reſpondet וְרֶגַע alterum Vs. 9. Convenit quodammodo Arabicum دَفْعَةً et دَفْعًا quod et *vicem unam alteramve,* et *momentum* ſignificat. SEBAST. CASTELLIO רֶגַע hic et Vs. 9. eodem modo uſurpatum putat, quo Graeci ſuo αὐτίκα uti ſolent, quod quum proprie *mox, ſtatim* denotet, haud raro *exempli gratia, ut hoc utar exemplo* valet, quaſi quis dicat: quo id probem, non e longinquo argumentum repetam, ſed ecce tibi illico paratum. Vid. de hoc Particulae αὐτίκα uſu HOOGEVEN *Doctr. Particular. Graecar.* p. 125. ed. Schütz., J. A. ERNESTI ad *Xenophont. Memorabill. Socrat.* Lib. IV. Cap. 7. §. 2., et KOENIUM ad *Gregor. Corinth. de Dialectis* p. 416. edit. Schaefer. Quo eodem modo et VIRGILIUS *Georg.* I. 356. uſurpavit *continuo* pro *verbi gratia.* Sed quum utrumque רֶגַע hoc Verſu et infra Vs. 9. ſe mutuo reſpiciant, aptiorem judica-

dicamus Chaldaei interpretationem, quam attulimus. Gaabius a ſignificatione Arabici رجع *reverſus eſt, iteravit,* רֶגַע exiſtimat *iterationem, iteratam vicem* denotare, ut Deus hoc Verſu et infra Vs. 9. hoc dicat: etiamſi iterata vice vel malum alicui genti minatus fuerim, vel bonum promiſerim, poſſum tamen et minas et promiſſiones prouti mihi viſum fuerit, revocare. Sed *iterandi* notionem apud Hebraeos neque radix רָגַע, neque inde derivatae voces obtinuiſſe videntur. עַל־גּוֹי *Adverſus gentem,* indefinite, quaecunque illa ſit. Inde accommodat haec infra Vs. 11. ad rem praeſentem. Ad verba לִנְתוֹשׁ וְלִנְתוֹץ וּלְהַאֲבִיד cf. ſupra I, 10.

8. וְשָׁב הַגּוֹי הַהוּא מֵרָעָתוֹ *Quodſi vero convertat ſe gens illa a malitia ſua,* i. q. infra Vs. 11. מִדַּרְכּוֹ הָרָעָה *a via ſua mala.* אֲשֶׁר דִּבַּרְתִּי עָלָיו *Propter quam malitiam loquutus ſum contra illam,* i. e. interitum ei comminatus ſum, Vs. 7. In Graecae Alexandrinae verſionis codice Alexandrino et Vaticano verba אֲשֶׁר דִּבַּרְתִּי עָלָיו non leguntur expreſſa, nec in editione Complutenſi et Aldina, atque verſione Arabica; omiſit illa et Syrus interpres. Neque tamen olim in omnibus Graecae Alexandrinae codicibus, quae hebraicis illis verbis reſponderent, defuiſſe videntur. Nam Origenes habet: ὧν ἐλάλησα. ἐπ᾽ αὐτὸ (τὸ ἔθνος), eademque verba exhibet codex Syro-Hexaplaris ſine aſteriſco. Verborum וְנִחַמְתִּי עַל־הָרָעָה *tum poenitet me illius mali* ſenſum recte expreſſit Syrus: ܐܗܦܘܟ ܡܢܗ ܒܝܫܬܐ *avertam ab eo malum illud.* Cf. not. ad Geneſ. VI, 6. Eadem quae hic ſententia legitur et infra XXVI, 3.; cf. Joël II, 13. Jon. III, 10. Mal. III, 7.

9. De רֶגַע vid. not. ſupra ad Vs. 7. Ad verba לִבְנוֹת וְלִנְטוֹעַ cf. ſupra I, 10.

11. וְעַתָּה *Jam ergo.* Generatim dicta nunc accommodat in ſpecie ad Judaeos. הִנֵּה אָנֹכִי יוֹצֵר עֲלֵיכֶם רָעָה *Ecce! ego formans ſum,* decerno *contra eos malum* Eleganter, uti notat Schmidius, Participium יוֹצֵר, quod ei

figulum fignificat, ex praemiffa fimilitudine affumitur, q. d. ego jam fum quafi figulus, qui malum quid vobis format; fed fi vos interveneritis poenitentia, eft in manu mea, ut refingam. וְחֹשֵׁב עֲלֵיכֶם מַחֲשָׁבָה *Et cogito contra vos cogitationem* de poenis vobis irrogandis. שׁוּבוּ נָא *Convertimini igitur*, q. d. hoc meum decretum non eft adeo abfolutum, quin, fi converteritis vos, aboleri poffit; immo huuc in finem annuncio vobis, ut convertamini.

12. וְאָמְרוּ *Sed dicunt;* correctio, q. d. fed quid illos ad poenitentiam multum invito? *atqui illi dicunt* rel. *Itaque fic potius dicit Jova,* Vs. 13. נוֹאָשׁ *Defperatum eft*, i. e. fruftra funt omnes tuae cohortationes et minae, nos eum quem fequimur cogitandi et agendi modum et porro conftanter tenebimus. Jarchi: „Novi autem, illos tibi ad verba tua refponfuros effe, fe illa haud curare." Graecus Alexandrinus נוֹאָשׁ reddit *ἀνδριούμεθα*, ut fupra II, 25., ad quem loc. vid. not. וְאִישׁ שְׁרִרוּת לִבּוֹ־הָרָע נַעֲשֶׂה *Et vir*, i. e. unusquisque noftrum fecundum *obfirmationem cordis fui mali faciamus;* ita Deus Judaeos loquentes inducens pro rei veritate; nam de fe ipfis illi non ita dicturi fuiffent.

13. שַׁעֲרֻרִת עָשְׂתָה מְאֹד *Horrendum facit valde*, crimen maxime horrendum committit; cf. fupra V, 30. בְּתוּלַת יִשְׂרָאֵל i. q. fupra XIV, 17. בְּתוּלַת בַּת־עַמִּי *virgo filiae populi mei;* cf. not. ad Jefaj. I, 8.

14. הֲיַעֲזֹב מִצּוּר שָׂדַי שֶׁלֶג לְבָנוֹן אִם־יִנָּתְשׁוּ מַיִם זָרִים קָרִים נוֹזְלִים Vexatiffimus locus, in quo interpretando jam veteres mirum quantum invicem difcedunt. Graecus Alexandrinus: *Μὴ ἐκλείψουσιν ἀπὸ πέτρας μαστοὶ; ἢ χιὼν ἀπὸ τοῦ Λιβάνου; μὴ ἐκκλίνῃ ὕδωρ βιαίως ἀνέμῳ Φερόμενον;* Quae Arabs fic reddidit: هَلْ تَفْنَي ٱلثُّدِيُّ مِنَ ٱلصَّخْرَةِ وَٱلثَّلْجُ مِنْ لُبْنَانَ أَوْ يَمِيلُ ٱلْمَاءُ ٱلْمَحْمُولُ بِرِيحٍ عَاصِفٍ *Num deficient ubera a petra, et nix a Li-*

a Libano? aut numquid *declinabitur aqua vento impetuoso abrepta?* Senſum hujus interpretationis Theodoretus hisce verbis declarat: *Αἱ πηγαὶ ἀπαύστως ἀναβλύζουσιν, ὁ Λίβανος ἔχει τὴν χιόνα διηνεκῶς, τὸ ῥύμῃ φερόμενον ὕδωρ τετριμμένην ὁδὸν ὁδεύει, οὗτοι δὲ τοῦ νόμου κατέλιπον τὴν ὁδόν. Fontes ſine intermiſſione ſcaturiunt, Libanus ſemper habet nivem, aqua quae fertur impetu tritâ viâ fluit; iſti vero viam legis deſeruerunt.* Pro שָׂדַי interpretem patet שָׁדַי *mammas, ubera* legiſſe, quibus *fontes* ſignificari opinatus eſt, inſerto ἡ ſupplevit מ ante לְבָנוֹן, pro זָרִים videtur זֵדִים legiſſe, quod infra LI, 2. ὑβριστὰς vertit, unde h. l. explicatius per βιαίως reddidit, denique pro קָרִים *frigidae* (aquae) legit קָדִים *ventum orientalem,* quod in univerſum ἄνεμον vertit. Cum Graeco interprete convenit Syrus in eo, quod loco שָׂדַי exprimit שָׁדַי, in ceteris magis noſtrum textum hebraicum refert: ܐܢ ܚܣܪ ܡܢ ܛܘܪ ܬܕܝܐ ܬܠܓܐ ܘܡܢ ܠܒܢܢ ܐܘ ܡܬܟܠܝܢ ܡܝ̈ܐ ܩܪܝܪ̈ܐ ܢܘܟܪ̈ܝܐ ܕܢܚܬܝܢ *An deficiat nix a monte ſ. petra uberum et a Libano? et num deſinant aquae frigidae peregrinae, quae deſcendunt?* Ephraem, *montem uberum* dicit vocari *Hermonem* montem, *aquas peregrinas* vero eſſe eas, quae eo in loco ubi oriuntur, ſint frigidae, quippe quas ſolis ardor nondum immutarit. Scopum prophetae eſſe, utroque ſymbolo oſtendere Judaeorum improbitatem, ut qui Dei cultum, ſibi maxime utilem et convenientem faſtidirent, quum non contingere ſoleat, rem a ſua natura recedere, puta obduratam nivem a ſui montis ſummitate defluere; nec fluxum cohibere aquas cum impetu erumpentes. Chaldaeus: הָא כְמָא דְלֵית אֶפְשַׁר דְיִפְסוֹק מֵי תְלַג דְנָחֵת עַל חַקְלֵי לִבְנָן כֵּן לָא יִפְסְקוּן מִמְטַר נָחֲתִין וּמֵי מַבּוּעַ נָבְעִין *Ecce ſicut fieri non poteſt, ut deficiat aqua nivalis, quae deſcendit ſuper agros Libani, ſic non deficient pluviae deſcendentes, et aquae fontis manantes.* Juſto liberius vertit, nec ſenſum genuinum expreſſit. Hieronymus: *Nunquid deficiet de petra agri nix Libani?*

bani? aut evelli possunt aquae erumpentes, frigidae et defluentes? Quae in Commentario ita exponit: „Quomodo, inquit (Deus), nix de Libani summitatibus deficere non potest, nec ullo, ut omnis liquescat, solis ardore superatur, fluentesque de montibus rivi nequaquam siccantur in fontibus; sic meum nomen, quod per se stabile est et perpetuum, non poterit immutari, et tamen, quum caetera naturae ordinem servent, populus meus oblitus est mei." Quod ad Dei immutabilitatem hac similitudine spectari existimat, ab hoc loco plane est alienum. Jarchi: „Num quis, cui bibendi est necessitas, relinquet aquas e petra salientes, quae sunt in agris, et quae veniunt ex puro Libani montis nive? aut num deferantur aquae vivae scaturientes, quas nemo adhuc cognoverat et gustaverat, eaeque frigidae?" Quem sensum clarius exponit Kimchi hunc in modum: „Numquid quis relinquat aquas e petra agri (sui) manantes? quibus designat aquas, quae quis in propinquo sibi habeat, ut ei non e longinquo sint petendae, quaeque, quum e petra proveniant, et ipsae sunt gelidae. Tales aequas aestus tempore nequaquam quis relinquat. Ego vero, inquit Deus, Israelitis sum idem quod languenti sunt aquae frigidae, idemque sum iis propinquus et in promtu, quocunque tempore me invocant. Cur igitur mei me deserunt, et mei obliviscuntur? Tum aliam haud absimilem imaginem adhibet, inde petitam, quod aquae bonae et frigidae ob suam praestantiam et e longinquo per canales subterraneas in urbem, aut in ejus viciniam derivantur, quales propterea quod aliunde veniunt *peregrinas* vocat. Neque ejusmodi aquae relinqui aut contemni solent. Similiter, ait Deus, sum ego ab Israelitis quidem remotus, ratione summae meae dignitatis, idem vero iis et sum propinquus et paratus beneficia in eos conferre, si mihi obtemperaverint. Quid igitur fit, ut mei obliviscantur (Vs. 15.)? יִנָּתְשׁוּ idem valet quod יִנָּטְשׁוּ, litera ת posita pro ט, ejusdem organi, ut utrumque verbum, נָתַשׁ et נָטַשׁ eundem *relinquendi, deserendi* signi-

ſignificatum obtineat, quemadmodum תָּעָה et שָׁגָה utrumque *errare* denotat. Sic infra XXIII, 33. 39. נָטַשְׁתִּי אֶתְכֶם *deſeri vos.*" Cum Kimchio in rei ſumma convenit Calvinus, qui hujus Verſus ſenſum hunc eſſe ait: Si quis vicinus monti Libani nolit bibere aquas frigidas, vel ſi quis fontem puri et frigidi liquoris habeat in ſuo agro, quantae ſtultitiae foret, eum alio et procul proficiſci ut bibat?" Verum recte huic interpretationi opponit Schalom Haccohen, vatem nequaquam loqui de aquis, quae ad potum (לִשְׁתוֹת) petantur, neque aquas nivis ſolutas eſſe bonas et ſalubres. Ipſe vero locum ſic exponit: numquid Libani aquae nivales deſinant a petra in ſubjectos agros deſcendere? nunquid deficiant aquae peregrinae, i. e. aliae, frigidae? num deſinant unquam fontes ſuas aquas emittere? nonne id eis tanquam lex quaedam a natura eſt inſitum? Sed Iſraelitae a naturae ordine diſcedunt, Jovam deſerendo, rel. Ad quam interpretationem proxime accedit C. B. Michaelis, qui huic Verſui haec adnotavit: הֲיַעֲזֹב „*Numquid* tam cito *deficiet?* Ita Vulgatus et plerique interpretes, ſumto Verbo *neutraliter*, propter ſequens Praefixum מ, uti idem apud Arabes eadem conſtructione ſignificat (عَزَبَ عَنْ) *abeſſe* ab aliquo. Poſſet tamen tranſitiva ſignificatio et hic retineri commodius: *num deſeret e petra* ſcil. deſcendens *agros meos nix Libani?* Libani aquae nivales numquam deſerunt agros terrae ſanctae meae, quo minus a petris ejus deſcendant. At populus meus obliviſcitur mei (Vs. 15.), ipſa nive et nivalibus aquis inconſtantiores. Peccant contra Accentus, qui ſic vertunt: *petra agri mei* ſ. agrorum meorum. לְבָנוֹן *Libani*, qui et nomen ſuum a לָבָן, h. e. *candore* nivium, illic fere perennium, accepit, eandemque ob cauſam a Targumiſtis טוּר תַּלְגָּא *mons nivis* vocari ſolet, nimirum, ut Jonathan ad Deut. III, 9. ait, *quod non ceſſet in eo nix neque aeſtate, neque hyeme.* Pertinet huc, quod Tacitus habet *Hiſtor.* L. V. Cap. 6.: *Praecipuum*

mon-

montium, Libanum, terra *erigit, mirum dictu, tantos inter ardores opacum fidumque nivibus. Idem amnem Jordanem fundit alitque;* et quod *αὐτόπτης* MAUNDRELL in *Itinerario* suo scribit, se, cum d. VI. et VII. Maji ad invisendum Libanum profectus esset, tantam vim nivis, gelicidio firmiter constructae, in ejus cacumine deprehendisse, ut sex horarum spatium cum comitibus in superficie nivis equitando emetiri debuerit. Additque, Libani nives circumjectae potissimum regioni utiles esse, quod tempore incalescentis aestatis resolutae fluviis fontibusque aquam impertiantur. [Cf. librum nostrum: *Handbuch der bibl. Alterthumskunde* P. I. Vol. 2. p. 238.]. יִנָּתְשׁוּ *An evelluntur?* ita ut plane desinant. נָתַשׁ de *aquis* alias haud reperitur, sed perpetuum opponitur *plantationi*, ut supra Vs. 7. I, 10. infra XLV, 4. Ps. IX, 7., unde Dav. Kimchi positum esse putat pro יִנָּטְשׁוּ *omittuntur;* sed ne haec quidem radix eam significationem in Niphal habet. Quid? si potius conferamus cognatam נִשְּׁתוּ *deficient* aquae, Jesaj. XIX, 5. זָרִים *Peregrinae*, ex Libani rupibus advectae, cf. 2 Reg. XIX, 24. קָרִים *frigidae* (Proverb. XXV, 25.), et refrigerantes s. recreantes terram calefactam, quippe ex resolutis Libani nivibus ortae. נוֹזְלִים *Fluentes*, Participialiter; alias Substantive, *fluenta, amnes*, Exod. XV, 8., cf. Jesaj. XLIV, 3. XLVIII, 21." Haec Michaelis, rectiora sane et solidiora, quam quae plerique ante ipsum interpretes attulissent. Probavit ea SCHNURRERUS, locum interpretatus hunc in modum: *destituetne agros meos nix de rupibus Libani?* h. e. cessatne Libanon ex nivibus suis perpetuis Jordanem fluvium fundere atque alere, qui riget circumjectos campos meos? „Jordanis aquae recte dici poterant et זָרִים *adventitiae*, quum aliunde in Jordanem defluant, et קָרִים *gelidae*, quum quae defluunt, sint modo ortae ex nivibus. Sed de verbo יִנָּתְשׁוּ suspicio est haud levis, reponendum esse ex Jesaj. XIX, 5. יִנָּשְׁתוּ *deficient*, nullo tamen, et ne uno quidem apud Kennicottum et De-Rossi codice suffragante; nisi malis sumere,

utrumque

utrumque Verbum, et בָּחַשׁ et נָבַשׁ, in uſu politum fuiſſe apud Hebraeos, quemadmodum apud Arabes, ut hoc utamur, de carne putreſcente dicitur et نثت et ثنت, non ex Camuſi tantum auctoritate, qua utitur Golius, ſed et Gjeuharii, qui haec habet: ثنت اللحم بالكسر اي انتن ونثت بتقديم النون *dicitur de carne* ثنت *cum Kesre, i. e. foetuit; uſurpatur et* نثت *Nun praemiſſo.* Senſus loci nobis eſt hic: quemadmodum natura ſibi ſemper conſtat, nec de recto et continuo curſu deflectit; ita et populus debebat fidem tenere, nec ullo tempore a Jova deflectere.“ In qua quidem interpretatione etſi et nos acquieſcamus, haud tamen praetereundum eſt, eſſe et inter recentiores interpretes, qui, ut Jarchi et Kimchi (vid. ſupra), imagine hoc Verſu adhibita hoc potius ſignificari exiſtiment: nemo ſanus rejecto meliore eliget deterius. Nec tamen hi verborum interpretationem uno omnes modo inſtituunt. Grotius: „*An deſeret* viator aliquis *agrum prae rupe ac nive Libani?* eritne aliquis tam ſtultus, qui iter confragoſum ac nivibus obſitum malit inire, quam vias planas? aut deſeret aliquis *aquas fluentes* prae *corruptis gelu?* ut transpoſitio ſit quaedam verborum, et defectus literae מ ante נוֹזְלִים.“ Quod quidem quam ſit difficile et coactum, non eſt ut demonſtremus. Venema locum ſic interpretatur: *An deſeret quis prae petra agrum irriguum, nivem Libani? an abjicientur prae aquis peregrinis propinquae, frigidae, fluentes?* Ad הֲיַעֲזֹב ſubaudit אִישׁ *aliquis*, מִצּוּר vertit *prae petra*, ſive *propter petram*, intelligitque eam ſterilem et horridam, quod ei opponantur שָׂדַי שֶׁלֶג לְבָנוֹן *ager irriguus et nives Libani* (per aſyndeton), utrumque conſtruendum eſſe ſtatuit cum יַעֲזֹב atque nives addi agro irriguo, quia a Libani nivibus maxime aquarum copia in ſubjacentes agros defertur. In altero hemiſtichio ante מַיִם ſubandit מ, quod forſan vitio ſcribarum ante alterum מ

exci-

exciderit; זָרִים *peregrinae*, esse aquas longius remotas, adeoque difficilius acquirendas, קָרִים נוֹזְלִים vero aquas resocillantes et continuo fluentes; malit tamen pro קָרִים legere קְרֹבִים *propinquae.* Quae interpretatio, et Dathio probata, pluribus nititur conjecturis parum certis. Facilior est quam Hensleru propofuit loci interpretatio haec: *an relinquat* quis *prae petra*, sive *propter petram, agrum nivis Libani*, i. e. nive Libani irrigatum? *an destruantur propter aquas peregrinas* i. e. e longinquo deductas *aquae gelidae*, e fonte perenni manantes? Ante מַיִם repetit מ e מִצּוּר. Hanc interpretationem sequutus Dahlerus, sic vertit: *Est-ce que pour un rocher on abandonne des champs arrosés par les neiges du Liban? Est-ce qu' on comble des eaux jaillissantes, qui coulent avec fraicheur?* In qua tamen versione non expressum est זָרִים.

15. כִּי־שְׁכֵחֻנִי עַמִּי *Quod obliviscuntur mei populus meus.* Querelae suae rationem nunc reddit Deus, q. d. merito ita interrogo et conqueror, quia meus populus tam cito et leviter mei obliviscitur. לַשָּׁוְא יְקַטֵּרוּ *Vanitati*, i. e. vanis numinibus *suffiunt.* Sed Graecus Alexandrinus εἰς κενὸν, Hieronymus *frustra* (quod tamen exponit: libant diis alienis), Chaldaeus לָא לַהֲנָאָה *non in utilitatem* vertit. וַיַּכְשִׁלוּם בְּדַרְכֵיהֶם *Et fecerunt eos impingere in viis eorum* scil. populi mei, quas ego ei praescripferam, et in quibus ipsi olim ambulabant. Ad וַיַּכְשִׁלוּם plerique subaudiunt; falsi prophetae s. doctores et sacerdotes. Sed Schnurrero praestare videtur Verbo usum impersonalem tribuere, quemadmodum Proverb. IX, 11. dicitur וְיוֹסִיפוּ לְךָ שְׁנוֹת חַיִּים *et addentur tibi anni vitae*, et ibid. II, 22. וּבוֹגְדִים יִסְּחוּ מִמֶּנָּה *et impii evellentur ex ea*, terra; ita et וַיַּכְשִׁלוּם est *offendere facti sunt*, i. e. offenderunt. „Observandum autem," addit, „Verbum כָּשַׁל, quod fere laesionem et noxam significat, usurpari hic non nisi ex sensu atque opinione populi, ea vel persuasione ducti, vel certe excusatione usi, quod disciplina anti-

antiquitus tradita non possit conservari nisi cum detrimento reipublicae.“ בִּשְׁבִילֵי עוֹלָם In *semitis,* inquam *aeternitatis*, per appositionem, i. e. in viis antiquis, a piis populi Hebraei majoribus calcatis, ut supra VI, 16. נְתִיבוֹת עוֹלָם, ad quem loc. cf. not. „שְׁבִילֵי עוֹלָם *Via antiquitus trita*, quae supra VI, 16. דֶּרֶךְ טוֹבָה *via bona* dicitur, est vera illa a Deo profecta institutio ac disciplina, quae in Mosis libro continetur, atque olim, Davidis maxime tempore, apud populum non sine maximo ipsius commodo valebat.“ Schnurrerus. Quae in textu exstat forma שְׁבוּלֵי significatione haud differt a שְׁבִילֵי quod ad marginem legi jubetur. לָלֶכֶת נְתִיבוֹת דֶּרֶךְ לֹא סְלוּלָה *Ita ut* via regia excidentes *ambulent tramites*, eosque tortuosos et devios, *viam non stratam*, qualis e contrario est via rectorum, Prov. XV, 19. (אֹרַח יְשָׁרִים סְלֻלָה), qui in plano et tuto incedunt.

16. לָשׂוּם אַרְצָם לְשַׁמָּה *Ad ponendum terram eorum in vastitatem,* ut terrae suae vastitatem inducant. Ad consilium et voluntatem populi refertur, quod non esset nisi eventus, isque a spe et exspectatione plane diversus. Sed propositum populi dicitur exitium patriae ea propter, quod ex ea quam sequeretur populus agendi ratione non posset non certissimo eventu consequi. שְׁרִקֹת עוֹלָם Et in *exsibilationes aeternas*, perpetuum exsibilandum. Sibilum apud omnes gentes signum contemtus esse constat. כֹּל עוֹבֵר עָלֶיהָ יִשֹּׁם וְיָנִיד בְּרֹאשׁוֹ *Omnis qui praetereat* s. transeat *eam obstupescet et capite suo nutabit*, caput agitabit. Cf. Ps. XXII, 8. „Et quia dereliquerunt, ait, cultum Dei, et pravas idololatriae semitas sunt sequuti, propterea terra eorum redacta est in solitudinem, et in miraculum omnium sibilumque, ita ut qui terram quondam et urbem florentissimam viderint in desertum et cinerem esse collapsam, admirentur et stupeant, et animae confusionem gestu corporis indicent; hoc est enim movere caput, et stuporem mentis demonstrare.“ Hieronymus.

17.

17. כְּרוּחַ־קָדִים אֲפִיצֵם *Sicut* per *ventum orientalem*, cujus vehementia ſtipulasque levioresque materias agitat. Conf. Jeſaj. XXVII, 8. et ad eum loc. not. In codicibus nonnullis legitur בְּרוּחַ, per *Beth* loco *Caph*. עֹרֶף וְלֹא־פָנִים אֶרְאֵם *Cervice, non facie, adſpiciam eos*, jure talionis, כִּי־פָנוּ אֵלַי עֹרֶף וְלֹא פָנִים *quia ad me cervicem, non faciem convertunt*, ut ſupra II, 27. dicitur; non dignabor eos adſpicere, ſi vel maxime clament. Alii: *adſpiciam eos* quoad *cervicem nec* quoad *vultum*, quando ab hoſtibus fugient.

18. Inde ab hoc Verſu usque ad Capitis finem vates ſuâ ipſe perſonâ loquitur. וַיֹּאמְרוּ *Sed dicunt* mei adverſarii invicem ſe excitantes: לְכוּ וְנַחְשְׁבָה עַל־יִרְמְיָהוּ מַחֲשָׁבוֹת *Ite*, agite, *et cogitemus contra Jeremiam cogitationes* ſcil. לְרָע *in malum ejus*, coll. Pſ. LVI, 6., perniciofas machinationes, quomodo מַחֲשָׁבוֹת et ſupra XI, 19. dicitur. כִּי לֹא־תֹאבַד תּוֹרָה מִכֹּהֵן וְעֵצָה מֵחָכָם וְדָבָר מִנָּבִיא *Quia non perit lex a ſacerdote*, apud ſacerdotes legis ſciëntia non periit (cf. ſupra VIII, 8.), *et conſilium a ſapiente, et verbum a propheta* ſcil. non receſſit. Poſtrema verba Chaldaeus reddidit וְאוּלְפַן מִסָּפַר *et doctrina a ſcriba*, i. e. legis perito. Minime, inquiunt, Jeremias ſolus ſacerdos vel propheta verus ſolus eſt, quaſi ceteri omnes ignari vel mendaces eſſent. לְכוּ וְנַכֵּהוּ בַלָּשׁוֹן *Agite et percutiamus eum linguâ*, i. e., ut Chaldaeus interpretatur, נַסְהֲדִינֵיהּ סַהֲדוּ דִשְׁקַר *teſtificetur contra eum falſum teſtimonium*, deferamus eum apud regem vel populum, ut occidatur, Vs. 23.

19. Verbis adverſariorum in fine Verſus 18.: וְאַל־נַקְשִׁיבָה אֶל־כָּל־דְּבָרָיו *nec auſcultemus omnibus verbis ejus*, nunc opponit: הַקְשִׁיבָה יְהוָה אֵלַי *auſculta, Jova, mihi*, opem a Te imploranti. וּשְׁמַע לְקוֹל יְרִיבָי *Et audi ad vocem adverſariorum meorum*, quot et quantis contumeliis me laceſſent. De יְרִיבָי cf. not. ad Pſ. XXXV, 1.

Chal-

Chaldaeus: וְיִשְׁמַע קֳדָמָךְ עוּלְבָנִי *et audiatur coram te injuria mea*, i. e. injuria qua afficior. Graecus Alexandrinus: *καὶ ἐπάκουσον τῆς φωνῆς τοῦ δικαιώματός μου*, quasi רִיבִי legisset.

20. הַיְשֻׁלַּם תַּחַת־טוֹבָה רָעָה *Num rependetur*, num enim fas est rependi *pro bono malum?* mihi, puta, qui pro eorum salute apud Te, Jova, deprecatus sum, ut in altero Versus hemistichio dicitur. כִּי־כָרוּ שׁוּחָה לְנַפְשִׁי *Nam foderunt foveam animae meae*, i. e. mihi, cf. not. ad Ps. VII, 16. Graecus Alexandrinus pro hisce verbis habet haec: *ὅτι συνελάλησαν ῥήματα κατὰ τῆς ψυχῆς μου.* Spohnius conjicit eum כָּרוּ ex Arabico كَرَّ *repetiit*, explicasse, et pro שׁוּחָה legisse שִׂחָה, malim potius שׂוּחָה (forma שִׂיחָה infra Vs. 22. in textu est), et *meditationem, colloquium* notare constat. Sed verbi Arabici significationem Graeco interpreti cognitam fuisse, vehementer dubito. Illum vel liberius vertisse, vel דִּבְּרוּ legisse aut legendum conjecisse existimaverim. Sed quod in Graeca versione additur, *καὶ τὴν κόλασιν αὐτῶν ἔκρυψάν μου*, quod Arabs vertit وَأَخْفَوْا عُقُوبَتَهُم *et absconderunt poenam eorum* (non expresso *μοι*), quam mihi machinantur, Spohnius recte judicat esse meram explicationem verborum, quae praecedunt.

21. לָכֵן *Propterea* quod mihi pro bono malum rependunt, licet mihi eis mala imprecari. Ne vero vatem justo vehementiore vindictae cupidine eo adductum judicemus, ut adversariis tam diras poenas imprecaretur; reputandum est, ei cum iis hominibus negotium fuisse, qui suo exemplo, quod plurimum apud alios valeret, iis auctores exstiterint, ut vatis monita et comminationes contemnerent. וְהַגִּרֵם עַל־יְדֵי־חֶרֶב *Et fluere fac eos* scil. sanguinem eorum, sive *prosterne eos per manus gladii*, i. e.

i. e. ſimpliciter *per gladium.* Vid. de hac phraſi not. ad Pſ. LXIII, 11. Chaldaeus: וְחַבְּבִנּוּן עַל יְדֵי קָטוֹלֵי חַרְבָּא *et perde eos per occidentes gladio*; nam Chaldaicum חַבֵּב convenit cum Arabico تَبَّ *periit, perdidit.* Hieronymus: *deduc eos in manus gladii.* Accepit *fluere facere* pro *adducere, tradere*, quod ipſum forſan et voluit Graeçus interpres: καὶ ἄθροισον αὐτοὺς εἰς χεῖρας μαχαίρας. Sed quum עַל־יְדֵי inſtrumentum notare conſtet, ut ſupra V, 31. potior videtur quam ſupra dedimus interpretatio. הֲרֻגֵי מָוֶת *Occiſi morte*, i. e. peſte et diris morbis, ſive, ut vult A. Schultens in *Commentar. ad Job.* V, 20. p. 155., quos peſtis ex fame oriunda abſumſit. De מָוֶת vid. not. ſupra ad XV, 2.

22. כִּי־תָבִיא עֲלֵיהֶם גְּדוּד *Quia venire facies*, adduces *contra eos turmam* hoſtilem, praedatoriam, ut 1 Sam. XXX, 8. 2 Reg. V, 2.

23. אַל־תְּכַפֵּר עַל־עֲוֹנָם *Ne tegas ſuper delictum eorum*, i. e. ne id aboleas, ne ejus memoriam dele; vid. de Verbi כִּפֵּר ſignificationibus Excurſ. II. ad Leviticum, in Scholiis ad Pentat. Vol. III. p. 200. ſeqq. edit. tert. Graecus Alexandrinus: μὴ ἀθωώσῃς τὰς ἀδικίας αὐτῶν, quod Arabs ſic vertit: لَا تُبَرِّي ظُلَامَاتِهِمْ *ne expies delicta eorum*, ne ea impunita eſſe ſinas. Cf. Pſ. CIX, 14. 15. אַל־תֶּמְחִי *Ne deleas* ſcil. eorum delictum velut e tuis commentariis. תֶּמְחִי Kimchio eſt ſecunda maſculina perſona Futuri *Kal* pro תִּמְחֶה, vocalibus transpoſitis, et ה propter Chirek mutato in י. Sed Gesenio *Lehrgeb.* p. 432. eſt ſecunda maſculina perſona Futuri *Hiphil* pro תַּמְחֶה. Neſcio annon potius pro תֶּמַח ſit, ut Nehem. XIII, 14., cum Jod paragogico. וְיִהְיוּ מֻכְשָׁלִים לְפָנֶיךָ *Sintque ruere facti*, lapſantes, *coram te.* Hieronymus: *fiant corruentes in conſpectu tuo*, ſive, addit, *impingentes*, quod ex verſione Aquilae ortum, qui verbum

כָּשַׁל

כָּשַׁר per σκανδαλίζειν reddere ſolet. Graecus Alexandrinus: γενέσθω ἡ ἀσθένεια αὐτῶν ἐναντίον σου. Legit מַכְשׁוֹלָם, quod ſenſum turbat. בְּעֵת אַפְּךָ עֲשֵׂה בָהֶם *Tempore irae tuae fac cum iis*, ſ. *in eos*, i. e. ut agere ſoles, cum es iratus iis, qui a te deficiunt, quos perdere ſoles. Chaldaeus: אִתְפְּרַע מִנְּהוֹן *ſume vindictam ab iis*. Hieronymus: *abutere iis*, i. e. conficias eos, quo ſenſu Latini ſuum *abuti* uſurpare ſolent.

XV.

XV.

Cap. XIX, 1 — XX, 13.

ARGUMENTUM.

Vates divino juſſu et duplici actione ſymbolica et ſermone toti Judaeae ſummam everſionem praenunciat (XIX, 1 — 15.). Qua comminatione audita Paſchchur Jeremiam in carcerem trudit (XX, 1. 2.), et poſtridie injuriae factae a vate, nomine Dei, ſententiam de ſua et ſuorum ignominioſa captivitate accipit (Vſs. 3 — 6.). Tum Jeremias ad Deum converſus queritur, quam indigna ſibi ſint perpetienda, ſidem Dei, cujus juſſu munus propheticum in ſe ſuſceperit, implorat in adverſarios (Vſs. 7 — 10.), animumque demiſſum et afflictum ſiducia certa erigens Deum ſuorum liberatorem et vindicem praedicat (Vſs. 11. 12. 13.).

Hanc concionem habitam fuiſſe poſtquam de vita diſceſſiſſet Joſias, haud dubitare nos ſinit mentio victimarum, quae Baali in valle filii Hinnom offerebuntur, XIX, 4. 5. Neque regnante pio illo rege auſus eſſet Paſchhur ita inſultare prophetae, uti XX, 1. ſeqq. legimus. Impendente reipublicae ruina a Chaldaeis metuenda quae duobus hisce Capitibus narrantur acta fuiſſe, inde patet, quod vates XX, 4. 5. 6. et Paſchchuri ſuisque, et ceteris Judaeis omnibus minatur, ipſos Babelem captivos abductum iri. Quae quum ita ſint, haec concio poſtremis Jojakimi regnantis annis, aut Zedekiae initiis aſſignanda fuerit, quae et Eichhornii eſt ſententia (*die bibl. Propheten* P. II. p. 313.).

XIX. Sic mandavit Jova: I comparatum 1.
testaceam lagenam a figulo, et adsumtis ex
populi sacerdotumque senioribus, exito in 2.
vallem filii Hinnomi, quae est ante portam
figlinarum, et ibi verba, quae ego tibi dicam,
pronuntiato, atque ita dicito: Audite Jovae 3.
dicta, reges Judae et Hierosolymitani. Sic
dicit Jova, agminum Deus, Deus Israelis:
Ego ejusmodi malum in hunc locum inve-
ham, ut cujusque qui illud audiverit aures
tinniant; propterea quod relicto me hunc 4.
locum abalienarunt, suffiendo in eo diis alie-
nis, quos nec ipsi, nec eorum majores, aut
Judaeae reges noverant, eumque locum san-
guine repleverunt innocuorum, exstructis 5.
Baali sacellis, ad liberos suos igni cremandos,
dos, Baali victimas, quod ego non jussi,
neque mandavi, neque mihi venit in mentem.
Itaque tempus erit, inquit Jova, quum non 6.
jam vocabitur locus iste Thopheth, aut vallis
filii Hinnomi, sed vallis occisionis. Et eva- 7.
cuabo Judaeorum et Hierosolymitanorum
consilium in isto loco, efficiamque ut cadant
gladio coram ipsorum hostibus, et per eorum
necis cupidos, atque eorum cadavera avibus
aëriis bestiisque terrestribus objiciam vo-
randa. Redigamque urbem istam in sibi- 8.
landam solitudinem, ita ut quicunque prae-
ter eam transibit, stupefactus ad tot ejus
clades sibilet, et eos suorum filiorum filia- 9.
rumque

rumque carne pafcam, ita ut alii aliorum
carnem comedant prae anguftia et neceffi-
tate, qua eos prement hoftes, et eis necem
10. molientes. Franges autem lagenam fpectan-
11. tibus tuis comitibus, et eis ita dices: Sic
dicit Jova, agminum Deus: fic ego iftum
populum iftamque urbem frangam, ut fran-
gitur fictile vas, irremediabili modo, et in
Thopheto fepelientur, deficiente ad fepultu-
12. ram loco. Sic ego ifti loco faciam, inquit
Jova, et ejus incolis, reddamque urbem
13. iftam fimilem Thophethi, ita ut fint Hiero-
folymae regumque Judaeae domus qualis eft
Thophethi locus, impurae fcilicet, in quarum-
cunque domorum tectis fuffiverunt omnibus
copiis coeleftibus, vinaque alienis libaverunt
14. diis. Reverfus autem ex Thophetho Jere-
mias, quo eum miferat Jova ad vaticinan-
dum, ftetit in atrio domus Jovae, et omnem
15. populum fic adloquutus eft: Sic dicit Jova,
agminum Deus, Deus Ifraelitarum: en! ego
fum in iftam urbem, et in ejus oppida im-
portaturus quidquid ei mali minatus fum,
quoniam obfirmavere cervices fuas, ne meis
XX, 1. dictis obtemperarent. Haec quum vati-
cinantem Jeremiam audiviffet Pafchchur, Im-
meris filius, facerdos, qui praefectus prima-
2. rius templi Jovani erat; Jeremiam vatem
verberavit, et in carcerem conjecit, qui
carcer erat ad portam Benjaminiticam fupe-
riorem,

riorem, positam secundum Jovae aedem. Po- 3.
stridie vero Paschchur Jeremiam e carcere
produxit, et Jeremias sic eum adloquutus
est: non Paschchurem te nominat Jova, sed
Magor - missabib (*terror circumquaque*).
Etenim sic dicit Jova: Ego et tibi et tuis 4.
omnibus amicis terrorem incutiam, efficiam-
que, ut cadant hostium suorum armis, tuis
spectantibus oculis, et Judaeos omnes Ba-
bylonio regi in manum tradam, qui eos in
Babyloniam deportet, trucidetque ferro, et 5.
omnes istius urbis opes, omnia labore parta,
omnia pretiosa, omnes regum Judae the-
sauros hostibus eorum in manus tradam, qui
direpta captaque in Babyloniam asportent.
Tu vero Paschchur, omnesque tui domestici 6.
abibitis captivi, et in Babyloniam venies,
ibiquê morieris et sepelieris, tu tuique om-
nes amici, quibus falso vaticinatus es. Per- 7.
suasisti mihi, Jova, et persuasus sum, fortior
me fuisti, et me superasti, qui quotidianae
sim derisioni, omnibus mihi illudentibus.
Nam quotiescunque loquor, quiritor, violen- 8.
tiae et saevitiae occlamito; sunt enim Jovae
dicta quotidiano probro ac ignominiae. Si 9.
eum deinceps non commemorare, nec ejus
nomine loqui cogito, est mihi in corde quasi
ardens ignis, in meis conclusus artubus, de-
fessus sum sustinendo, sed continere nequeo.
Etenim multorum probra audio, terrore cir- 10.

cumsessus: deferte, inquiunt omnes qui amice
mecum vivunt, sed mihi insidiantur, indicate
nobis quod deferre possimus, forsan decipi
se patietur, ut compotes nos ejus facti, vin-
11. dictam de eo sumamus. At Jova mihi quasi
validus heros adest, ideoque cadent qui me
insectantur, neque vincent; valde pudebunt,
nec enim eis succedet, ignominia aeterna,
12. numquam obliteranda afficientur. O Jova,
agminum Deus, qui justos probas, renes
cordaque perspiciens, videbo tuam de illis
ultionem, quoniam tibi meam patefeci cau-
13. sam. Canite Jovam, collaudate Jovam! qui
pauperis vitam liberet ex manu nocentium.

N O T A E.

Cap. XIX, 1. הָלוֹךְ *Eundo* scil. eas, vid. not. supra ad II, 2. וְקָנִיתָ בַקְבֻּק *Et compara lagenam.* „Vox בַּקְבֻּק proprie est quasi dicas *bombylium*, Graece *βομβύλιον*, poculi genus (vid. Casaubonum *ad Athenaeum* L. VI. Cap. 18.), fictum a sono quem liquor edit dum funditur, quod Graece est *βομβύλλειν*, nec aliunde vox ejusdem usus *βαυκάλιον* repetenda videtur, ut tradit Alexander Aphrodis. *Probl.* I. 94. Radix בָּקַק, Arabice بَقْبَقَ significat *bombum edidit amphora dum affatim ex ore angustiore effluit aqua, vel infunditur*, unde בַּקְבֻּק *lagena* quae bombat liquore effluente; vid. Schultensii *Clav. dialector.* p. 293.“ Venema. Syrus harmonice ܩܘܩܒܐ dedit. Sed aliis vocalibus appellabat Hieronymus, latinis literis *B o c b o c* exprimens. Vertit vero *laguncułam.* Grae-

Graecus Alexandrinus *βικὸν* vertit, quod nomen *urnam ansis instructam* significat. Aquila in codice Syro-Hexaplari: ܕܦܬܘܠܐ ܩܘܠܬܐ *urnam intorsionis*, *ἄμφοραν τοῦ πλάσματος*, nam *πεπλασμένον* vertitur ܦܬܝܠܐ, uti Spohnius notat. יוֹצֵר חֶרֶשׂ *Formatoris testam,* i. e. figuli; חֶרֶשׂ *testa* additur ad restringendum, quia יוֹצֵר cujuscunque rei formatorem significat, et *lagena figuli* sive *fictilis,* observante Kimchio, insuper dicitur, ut distinguatur a vitrea aut lignea. וּמִזִּקְנֵי הָעָם וּמִזִּקְנֵי הַכֹּהֲנִים *Et ex senioribus populi et ex senioribus sacerdotum* scil. הוֹלֵךְ אִתְּךָ *duc tecum,* sive קַח אִתְּךָ *sume tecum.* „J. D. Michaelis, justo nonnumquam proclivior ad suspicandum de textus editi integritate, haud longe abest, quin statuat, librariorum incuria nonnihil omissum esse, v. c. וְלָקַחְתָּ, omnia, inquiens, sunt plana et expedita, lectione ita constituta: הָלוֹךְ וְקָנִיתָ וְלָקַחְתָּ בַקְבֻּק יוֹצֵר חֶרֶשׂ וּמִזִּקְנֵי הָעָם וגו׳ Omnino ad sensum requiritur Verbum וְלָקַחְתָּ, neque vero illud literis expressum, sed cogitando addendum, et commodiore loco, non ante nomen בַּקְבֻּק sed ad vocem מִזִּקְנֵי collocandum cum copula. Sic habet Alexandrinus: *καὶ ἄξεις ἀπὸ τῶν πρεσβυτέρων τοῦ λαοῦ*, alias etiam, veluti infra XLI, 12. XLIII, 10. usus verbo *ἄγειν* ad reddendum hebraicum לָקַח, nec non Chaldaeus Syrusque interpres, non quod veteres expressam sequerentur lectionem וְלָקַחְתָּ מִזִּקְנֵי, cujus negligendae causa quaedam probabilis neutiquam conspici potest; sed quod intelligerent, explendum a se esse sermonem hebraicum, brevem illum et concisum. Est vero modus loquendi apud Hebraeos haud infrequens, duobus nominibus unum aliquod commune Verbum tribuere, quod nonnisi alteri proprie sit accommodatum. Ita Job. X, 12. חַיִּים וָחֶסֶד עָשִׂיתָ עִמָּדִי *vitam* dedisti mihi *et benigne mecum egisti.* Jesaj. LVIII, 5. וְשַׂק וָאֵפֶר יַצִּיעַ *si quis sacrum* induat, *et cinerem substernat.* Vid. et Hos. II, 20. 2 Sam. XV, 1." Schnurrerus. Adde Job. IV, 10. Exod. XX, 15., et cf. ad ea loca not. et Gesenii *Lehrgeb.* p. 853.

Ceterum de ea quae hic et Vſs. ſeqq. exponitur actione ſymbolica, vid. Staeudlinii *Neue Beyträge* p. 139. ſeqq.

2. De גֵּיא בֶן־הִנֹּם vid. not. ſupra ad VII, 31. p. 270. אֲשֶׁר פֶּתַח שַׁעַר *Quod ante oſtium portae,* ut Judic. IX, 35. וַיַּעֲמֹד פֶּתַח שַׁעַר הָעִיר *ſtetitque ante oſtium portae urbis.* Graecus Alexandrinus hoc loco: *ὅ ἐστιν ἐπὶ τῶν προθύρων τῆς πύλης.* Hieronymus: *juxta introitum portae.* הַחַרְסִית, ſive, ut eſt in textu, הַחַרְסוּת, quibusdam eſt *ſolaris*, a חֶרֶס *ſol,* Jud. VIII, 13. Job. IX, 7., quo alii ſoli orienti oppoſitam, ſ. orientalem portam, quae Nehem. III, 29. שַׁעַר הַמִּזְרָח dicitur, alii meridionalem, quaſi aeſtui ſolis expoſitam, intelligi putant, collato Joſ. XV, 7. XVIII, 16., ubi vallis filii Hinnom in meridionali urbis latere poni videtur. Sed quum de vaſe fictili toto hoc loco agatur, veriſimilius eſt, חַרְסִית ad חֶרֶשׂ ſ. חֶרֶס pertinere, unde jam Hieronymus *fictilis* vertit. Neque tamen qui hoc ſumunt, de ratione appellationis conſentiunt. Jarchi שַׁעַר הַחַרְסִית eandem portam eſſe putat, quae Nehem. III, 14. שַׁעַר הָאַשְׁפּוֹת *porta ſterquilinii* vocatur, ששם זורקין חרסים הנשברים *quod illuc projiciebant teſtas fractas.* Sequutus eſt Chaldaeum interpretem, qui תְּרַע קִלְקִלְתָּא *porta ſterquilinii* vertit. Eadem eſt Grotii ſententia; „hanc interpretationem," inquit, „ceteris praeferam, ut illa fuerit porta, extra quam figuli, qui proxime Templum vaſa in uſus Templi fabricabant, fragmenta fictilium abjiciebant, quo deinde et alias ſordes abjectas fuiſſe non eſt incredibile. *Vallis Ennomi* ſive *Thopheth,* et Cedron torrens proxime Templum fuere, ibidem figuli intra portam, et extra portam iſta loca ejectamentorum." Sed poſſit חַרְסִית *teſtarum,* vaſorum teſtaceorum *fabricationem,* aut figlinam, officinam, qua figulus opus facit, ſignificare; et hoc in verſione expreſſimus. Chaldaeis חַרְסִית *lutum tenue, ſpeciem calcis* denotat. Veteres Graeci interpretes raro conſenſu vocem hebraeam Χαρσεὶθ expreſſere. Ita et Arabicus interpres et Syrus, niſi quod is ܕܩܘܪܣܐ habeat, quod vix dubium

eſt

eſt librarii errori deberi, pro ܕܚܪܣܝܬܐ. C. B. Michaelis ſatis veriſimile conjicit, quae hic commemoratur, portam eſſe eandem, quae Nehem. II, 13. 15. III, 13. שַׁעַר הַגַּיְא *porta vallis* dicitur, contradiſtincta vicinae *ſterquilinii portae,* ſumto nomine vallis antonomaſtice pro *valle filii Hinnom,* ut ſupra II, 23.

3. De מַלְכֵי יְהוּדָה vid. not. ſupra ad XVII, 20. הִנְנִי מֵבִיא רָעָה עַל־הַמָּקוֹם הַזֶּה *En! ego adduco malum ſuper hunc locum,* vallem Hinnom, in qua Jeremias haec concionabatur, Vs. 2. 4. 6., connotatâ tamen ſimul per ſynecdochen urbe Hieroſolymitana, quam in conſpectu habebat, Vs. 7. 8. 12. אֲשֶׁר כָּל־שֹׁמְעָהּ תִּצַּלְנָה אָזְנָיו *Ut quisquis audiverit illud, tinniant aures ejus,* ut aures omnium hoc nuntio quaſi tonitru percellantur. Eadem loquutio 1 Sam. III, 11. 2 Reg. XXI, 12. Ceterum תִּצַּלְנָה eſt Verbi צָלַל forma Futuri Cal Chaldaica pro תְּצַלֶּינָה; vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 373. no. 16.

4. וַיְנַכְּרוּ אֶת־הַמָּקוֹם הַזֶּה *Et* propterea quod *alienarunt hunc locum,* templum profanarunt, alienis diis quod meum peculium eſt dicarunt; conf. ſupra VII, 30. Chaldaeus: וְסָאִיבוּ יַת אַתְרָא הָדֵין *et* quod *contaminarunt hunc locum.* Ita et Syrus: ܘܛܢܦܘܗܝ ܠܐܬܪܐ ܗܢܐ. וַיְקַטְּרוּ־בוֹ לֵאלֹהִים אֲחֵרִים *Et ſuffitum adoleverunt in eo diis aliis,* ut ſupra I, 16. וּמָלְאוּ אֶת־הַמָּקוֹם הַזֶּה דַּם נְקִיִּם *Et repleverunt hunc locum ſanguine innocuorum,* quibus nonnulli veros prophetas ſignificari exiſtimant, impiorum regum juſſu caeſos. Sed quum hic de cultu deorum alienorum agatur, videntur occiſis innocentibus pueri Baali ſacrificati intelligendi, ut Verſus qui proxime ſequitur, ſit horum verborum ἐπεξήγησις. „*Locum iſtum* cum dicit, digito vallem Hinnomi demonſtrat, quae non longe erat a Templo, ubi hic ſermo habitus; cf. Pſ. CVI, 37. ſequ.“ Grotius. Illo Pſalmorum loco legimus: וַיִּשְׁפְּכוּ דָם נָקִי *effuderunt ſanguinem innocuum, ſanguinem filiorum ſuorum*

rum et filiarum suarum, eosque sacrificarunt sculptilibus Cananiticis.

5. וּבָנוּ בָּמוֹת הַבַּעַל *Et aedificarunt excelsa*, sacella in editis locis, *Baalis*, i. e. Molochi; בַּעַל enim est generale nomen, pluribusque deastris Cananiticis commune. Hic vero *Molochum* intelligendum esse, ostendunt, quae proxime sequuntur de ejus cultu, quae repetita sunt e VII, 31., ubi cf. not.

6. Haec quoque leguntur supra VII, 32. כִּי אִם־גֵּיא הַהֲרֵגָה *Sed* appellabitur *vallis caedis*, vid. not. ad Vs. sequ.

7. וּבַקֹּתִי אֶת־עֲצַת יְהוּדָה וִירוּשָׁלַםִ *Et evacuabo consilium Judae et Hierosolymae*, efficiam, ut Judaei et Hierosolymitani sint consilii auxiliique inopes, et vacui, tanquam vacua lagena. Idem loquendi modus Jesaj. XIX, 3. וְנָבְקָה רוּחַ־מִצְרַיִם בְּקִרְבּוֹ *et evacuabitur spiritus Aegypti in medio sui*, ubi cf. not. Hoc vero loco paronomasia est vocis בַּקְבֻּק Vs. 1. Graecus Alexandrinus: *καὶ σφάξω τὴν βουλὴν* Ἰούδα *καὶ* Ἱερουσαλήμ. „Mira versio," inquit SPOHNIUS," quam fere omnes, qui a τοῖς ό pendent, sine ulla haesitatione expresserunt. Suspicor autem, quamquam vocem Hebraeam, quoties occurrat, diversimode verterint, mendum huic loco inesse satis antiquum, et pro *σφάξω* legendum *σφαράξω*, quod saltem suadet Nah. II, 3. 11., ubi *ἐκτινάσσειν* habent. Interpres Syro-Hexaplaris ܐܚܡܣܪ *exstirpabo* vertit. Num legebatur *κατασκάψω*? Saltem Jerem. I, 10. vocem Graecam ita expressit. Conf. II, 15. et alibi. Ceterum forma loquendi *σφάττειν βουλὴν* est omnino dura." Eam tamen OLYMPIODORUS in Catena apud Ghislerium haud male sic explicavit: *σφάξω τοὺς βουλευσαμένους τὴν κακὴν βουλὴν*, *jugulabo illos, qui malum consilium dederunt.* Chaldaeus: וַאֲקַלְקֵל יַת מְלַךְ אֱנָשֵׁי יְהוּדָה וְיָתְבֵי יְרוּשְׁלֵם *et perdam s. pervertam consilium virorum Judae et incolarum Hierosolymae.* Hieronymus בַּקֹּתִי *dissipabo*, Syrus: ܐܒܛܠ *irritum faciam*, Symmachus Syro-Hexaplaris ܐܦܣܘܩ *exscindam*, Aquila ܘܐܣܦܩ

et

et tabefaciam reddidit. Ceterum quod vates addit בַּמָּקוֹם הַזֶּה *in hoc loco*, ut igitur hac in valle, quam monstrat digito, evacuari consilium Hierosolymitanorum dicat, J. D. Michaelis recte observat hoc velle, nihil profuturas esse in futura urbis obsidione artes bellicas et munimenta ad hostes hac valle, in qua sola fons est et piscina, arcendos. „Multum videtur stragis in valle Hinnom editum fuisse, quod quum ex illo loco nec obsidionem moliri hostis possit, nec eruptionibus sit commodior, hoc modo contigisse existimem: erumpunt illa in valle fontes, quibus hostem prohibere, pene est cogere illum, ut re infecta discedat, quia circa Hierosolymam magna est aquae penuria. Hos fontes munitionibus cinxisse, proque illis diu in valle Hinnom pugnasse Hierosolymitanos existimem, unde accidit, ut hic campus caesis sterneretur." וּבְיַד מְבַקְשֵׁי נַפְשָׁם *Et cadere eos faciam in manum quaerentium animam*, vitam *eorum*. Chaldaeus: בְּיַד דְּבָעַן לְמִקְטַלְהוֹן *in manum eorum qui quaerunt eos interficere.*

8. וְשַׂמְתִּי אֶת־הָעִיר הַזֹּאת לְשַׁמָּה וְלִשְׁרֵקָה *Reddamque hanc urbem in stuporem et sibilum*, vid. supra XVIII, 16. et infra L, 3. 13. Quod clarius exprimit altero hemistichio: כֹּל עֹבֵר עָלֶיהָ יִשֹּׁם וְיִשְׁרֹק עַל־כָּל־מַכֹּתֶהָ *omnis qui eam praeteribit* vel *obstupescet*, *vel sibilet super ejus plagam*, prout quisque praetereuntium erga eum fuerit animatus.

9. וְהַאֲכַלְתִּים אֶת־בְּשַׂר בְּנֵיהֶם וגו׳ *Et comedere eos faciam carnem filiorum suorum et filiarum suarum.* Sumta non sententia modo, sed et verba, ex minis Mosis Deut. XXVIII, 53. seqq. Cf. Thren. IV, 10., ex quo loco patet haec saeva et horrenda tum cum Chaldaei Urbem obsederunt, vere accidisse. וְאִישׁ בְּשַׂר־רֵעֵהוּ יֹאכֵלוּ *Et vir carnem socii sui comedent.* Quod Chaldaeus allegorice de internis civium dissidiis cepit, sic enim vertit: וּגְבַר נִכְסֵי קָרִיבֵיהּ יְבַזּוּן *et quisque facultates proximi sui diripient.* Ita cf. Jesaj. IX, 18. 19. 20. Satius tamen est, et hoc, uti quod praecedit, proprie intelligi.

10.

10. וְשָׁבַרְתָּ הַבַּקְבֻּק *Et confringes lagenam*, quam meo juſſu emiſti, Vs. 1. לְעֵינֵי הָאֲנָשִׁים הַהֹלְכִים אוֹתָךְ *In conſpectu virorum qui tecum eunt*, ſeniorum populi et ſacerdotum, Vs. 1. אוֹתָךְ pro אִתָּךְ aut עִמָּךְ, cf. not. ſupra ad I, 16. Quem in finem lagenam frangere debeat, dicitur Verſu proximo. „Mos vetus in Oriente, et apud alias gentes, non vocibus tantum, ſed et rebus loquendi; inde σύμβολα, *res ſignificantes.*“ Grotius. Cf. not. ad Hoſ. I, 2.

11. אֲשֶׁר לֹא-יוּכַל לְהֵרָפֵה *Quod non poteſt ſanari*, reparari. ה in fine vocis לְהֵרָפֵה eſt pro א poſitum. מֵאֵין מָקוֹם לִקְבֹּר *Quod non ſit locus alius ad ſepeliendum*, cf. ſupra VII, 32.

12. וְלָתֵת אֶת-הָעִיר הַזֹּאת כְּתֹפֶת *Et ponendo hanc urbem ut Thopheth*, nempe, ut plena ſit cadaveribus et ſepulchris iisque polluta. Jarchi: „Totam urbem explebo interfectis, ut ſit inſtar Thopheth, ubi interficiebant pueros idolo Moloch oblatos.“

13. כִּמְקוֹם הַתֹּפֶת הַטְּמֵאִים *Inſtar loci Thopheth* הַטָּמֵא *qui pollutus eſt*, ut habet Chaldaeus: „Sic eſſet in Hebraico enallage numeri, q. d. qui undiquaque impurus eſt. Et hanc interpretationem fere poſcere videntur accentus et praefixum ה. At Vulgatus, et plerique interpretes: *et erunt domus Hieroſolymae immundae.*“ C. B. Michaelis. Sed filius, Joa. Davides: „הַטְּמֵאִים vix poteſt eſſe ſalva Grammatica praedicatum: *erunt impurae*, ob He demonſtrativum; ſed potius ad ſubjectum pertinet: *aedes impurae*, i. e. idololatriâ pollutae, *erunt ad Thopheth.* Sequens membrum hanc moralem impuritatem deſcribit luculentius. Poſſis tamen fortaſſe aliter diſtinguere literas in voces, הַתָּפְתָּה טְמֵאִים, nam et dicitur תָּפְתֶּה, per He [ſemel, Jeſaj. XXX, 33., ita legitur]. Alii per enallagen numeri הַטְּמֵאִים retulerunt ad מְקוֹם הַתֹּפֶת, *ut loca immunda Thopheth.* Ferri hoc poteſt, nec tamen eſt neceſſaria haec enallage.“ Verba וּבָתֵּי מַלְכֵי יְהוּדָה כִּמְקוֹם הַתֹּפֶת negat Hieronymus in Hebraicis ſui temporis exemplari-

pluribus legi. At exſtant in omnibus, qui hodie ſuperſunt, codicibus, et exprimuntur in verſionibus veteribus omnibus. לְכֹל הַבָּתִּים *Quoad omnes domus,* ſ. *omnes videlicet domus,* vel: omnes, inquam, domus, ut Levit. VII, 26. וְכָל־דָּם לֹא תֹאכְלוּ לָעוֹף וְלַבְּהֵמָה *et omnem ſanguinem ne comedatis quoad volucrem et quoad beſtiam,* i. e. ſanguinem, inquam, volucris aut beſtiae. Eundem uſum explanativum Praepoſitionis vid. Ezech. XLIV, 9. et ibi not. et 2 Paral. XXXII, 27. — אֲשֶׁר קִטְּרוּ עַל־גַּגֹּתֵיהֶם לְכֹל צְבָא הַשָּׁמַיִם *Super quarum tectis adoleverunt omni exercitui coeli.* Tecta Orientalium etiamnum plana eſſe conſtat, ut ſuper iis tentoria pandi (2 Sam. XVI, 22.), obambulari (2 Sam. XI, 2.), et altaria diis ſtrui poſſint, cf. 2 Reg. XXIII, 12. Zeph. I, 5. Talia tecta ad ſacrificia in ſiderum honorem offerenda pro excelſis uſurpabantur, eo quod liber ibi eſſet ſiderum conſpectus. Appoſite J. D. Michaelis hunc Strabonis de Nabataeis locum affert, e *Geogr.* L. XVI. Cap. 3. §. 26. Ἥλιον τιμῶσιν ἐπὶ τοῦ δώματος ἱδρυσάμενοι βωμὸν σπένδοντες ἐν αὐτῷ καθ' ἡμέραν καὶ λιβανωτίζοντες. *Solem colunt, ara ſuper domum excitata, et quotidie in ea libant ac thus adolent.* Nabataei, Judaeis finitimi, habitabant enim ad orientem et auſtrum Maris mortui, gens Judaeis amiciſſima fuit, uti patet ex 1 Maccab. V, 24. 25. IX, 35. וְהַסֵּךְ *Et libando* ſcil. libant, ut ſupra VII, 18. Eadem quae hic, leguntur infra XXXII, 29.

14. וַיַּעֲמֹד בַּחֲצַר בֵּית־יְהוָה *Et ſtetit in atrio domus Jovae,* neque enim longe a Thopheth erat Templum. וַיֹּאמֶר אֶל־כָּל־הָעָם *Dixitque ad omnem populum,* publice repetiturus et confirmaturus, quae modo coram ſenioribus dixerat.

15. מֵבִי *Adducens,* orthographia Chaldaizans pro מֵבִיא, quod eſt ad marginem. וְעַל־כָּל־עָרֶיהָ *Et contra omnia oppida ejus,* minora videlicet, metropoli circumjecta.

Cap. XX, 1. Qui hic commemoratur פַּשְׁחוּר בֶּן־אִמֵּר alius est ab eo, cujus infra XXI, 1. fit mentio, is enim filius Malkiae fuit. וְהוּא־פָקִיד נָגִיד בְּבֵית יְהוָה, *Et erat praefectus princeps in domo Jovae,* i. e. primarius praefectus, Nehem. XI, 11. 1 Chron. IX, 11. „Forsan sic dicitur, quod plures fuerint פְּקִידִים *praefecti,* sed subalterni, vid. infra XXIX, 26. Sed et נְגִידֵי בֵּית הָאֱלֹהִים plures 2 Chron. XXXV, 8. commemorantur, unde simul constat, esse נָגִיד nomen generale summorum officiorum templi, non speciale, ipsum complectens Pontificatum, cf. 2 Reg. XI, 18. 2 Chron. XXV, 18. Chaldaeus: וְהוּא מְמַנָּא סְגַן כָּהֲנַיָּא *et erat constitutus antistes sacerdotum,* i. e. post summum sacerdotem, cujus vices aliquando gerebat, primarius, coll. Buxtorfii *Lexic. Talmud.* col. 1435." C. B. Michaelis. Eodem modo Chaldaeus vertit infra LII, 24. כֹּהֵן הַמִּשְׁנֶה *sacerdos secundarius.* נִבָּא אֶת־הַדְּבָרִים הָאֵלֶּה *Prophetantem ista verba,* quae in templo pronunciaverat, XIX, 15.

2. מַהְפֶּכֶת a הָפַךְ *vertere, pervertere* R. Josephus Kimchi dicit fuisse instrumentum e duobus lignis confectum, inter quae erat locus colli, ut ibi vincti collum tenerent. Tale instrumentum Latinis vocatur *numella, nervus,* aut cippus, cui pedes captivi aliaeque etiam corporis partes inseruntur, e. g. *πεντεσύριγγον ξύλον,* cui ambo pedes, ambo brachia, et collum inserebantur. Ita Hieronymus, qui *nervum* vertit, et in Commentario addit, esse vinculi lignei genus, cui pedes inseruntur, Chaldaeus כִּיפְּתָא *cippus,* Syrus ܣܪܓܠܐ *circulus.* J. D. Michaeli tamen in *Supplemm.* p. 565. non est verisimile, simplicem nervum, סַד alias Hebraeis, מַהְפֶּכֶת fuisse, qui ab invertendo nomen accipere vix potuisset, sed *obtortum nervum,* in quo distortus sedet captivus, facie a pedibus aversa. Sic quidem, Hieronymo teste, hic vertit Symmachus *βασανιστήριον,* et *στρεβλωτήριον tormentorium* (duas Symmachi editiones significare videtur), acceditque, quod uni-

unicum modo diem in eo moratur Jeremias, non cuſtodiaé ſed poenae loco. Sunt, qui generatim *carcerem* interpretentur, quaſi per ellipſin pro בֵּית הַמַּהְפֶּכֶת, ut 2 Chron. XVI, 10. habetur, dictum ſit. Graecus Alexandrinus vertit *καταῤῥάκτην*, *cloacam*, ſive *carcerem ſubterraneum*. Videtur carcerem tecto incurvato, convexo, fornicato, intellexiſſe, ut Jarchi, qui Gallicis vocibus *arc, voute* exponit. בְּשַׁעַר בִּנְיָמִין *In porta* templi *Benjaminis*. „Templum enim fuit partim in portione tribus Judae, partim Benjaminis, adeoque haec porta ad portionem Benjaminis ſpectabat.“ Kimchi. Alia porta Benjaminitica, ſed urbis, commemoratur infra XXXVII, 13. Ejus reſpectu haec dici videtur הָעֶלְיוֹן *ſuperior*. Cf. et 2 Reg. XV, 35.

3. לֹא פַשְׁחוּר קָרָא יְהוָה שְׁמֶךָ *Non Paſchchur vocabit* amplius *Jova nomen tuum*. Appellativam nominis פַשְׁחוּר ſignificationem hic ſpectari, dubitare non ſinunt verba quae ſtatim ſequuntur. De illius ſignificatu vero non prorſus conſentiunt. Jarchi interpretatur *abundantiam claritatis*, i. e. *magnatem*, nobili genere ortum ex Chaldaico פוש *augeri*, et חור *nobilitas*. Simonis in *Onomaſt.* p. 445. nomen illud refert ad فشا *gloriatus eſt de nobilitate*, et חור *nobilis*. Venema ad פוש *ſuperbire* et חור *candidus*, haud apta ſane ad *terror undiquaque* oppoſitione. Quibus conjecturis praeferendum videtur quod J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 2049. פַּשְׁחוּר compoſitum ſtatuit ex فسح *amplus, ſpatioſus fuit locus*, quod verbum et de omni felicitate et ſecuritate ponitur, et Chaldaico סְחוֹר *circumcirca, in circuitu*, a סְחַר *circumire*. Sic opponentur *terror undiquaque*, et *felicitas ac ſecuritas circumcirca*. „Nec tamen,“ addit, „ſponſor ſim, parentes Paſchchuri, cum filio nomen inderent, de hoc etymo cogitaſſe; forte tribuit ei Jeremias ex ſono, et quod *terrorem undiquaque* ei opponere vellet. Licitae ſunt in convicio nominum propriorum novae etymologiae, modo ingenio linguae conveniant.“ כִּי אִם־מָגוֹר מִסָּבִיב *Sed timorem*

morem circumquaque te vocabit, i. e. cui ab omni parte terrores et pericula inſtant, quod in Verſu proximo pluribus exponit. Hieronymus: „Pro *pavore*, quod in Hebraico ſcriptum *Magor*, Septuaginta et Theodotion *μέτοικον*, id eſt, *migrantem*, Aquilae ſecunda editio *peregrinum* [*ξένον*], prima, *circumſpicientem* [*περιορῶντα*], Symmachus *ablatum* [*ἀφῃρημένον*], ſive *congregatum* et *coactum* interpretati ſunt.“ Et paulo inferius: „Juxta ſuperiorem interpretationem, qua *Phaſchor* nomen fuerat immutatum, ut appellaretur *Magor*, omnes ſimiliter transtulerunt, ut ſignificarent vel *pavorem*, vel *peregrinationem* (גור *peregrinari*), et *translationem*, et *congregationem*.“ Cum poſtremo convenit Jarchi, qui haec notat: מָגוֹר מגור הוא לשון אסיפה כמו מְגוּרֵי אֶל־חֶרֶב *Nomen* *hic ſignificat congregationem*, ut Ezech. XXI, 17. *congregati ad gladium*.

4. הִנְנִי נֹתֶנְךָ לְמָגוֹר לְךָ וּלְכָל־אֹהֲבֶיךָ *Et reddam te pavori*, efficiam ut pavori ſis *tibi ipſi, ac omnibus amantibus te*, amicis tuis, qui vanis tuis promiſſionibus fidem habuere, vid. infra Vs. 6. Minus accurate Graecus Alexandrinus: *ἰδού, ἐγὼ δίδωμί σε εἰς μετοικίαν σὺν πᾶσι τοῖς φίλοις σου.*

5. חֹסֶן, quod proprie *robur* ſignificare conſtat, Kimchi recte notat hoc loco denotare *divitias*, quibus tempore infortunato fidunt homines, ut Ezech. XXII, 25., ad quem loc. cf. not.

6. אֲשֶׁר־נִבֵּאתָ לָהֶם בַּשָּׁקֶר *Quibus propheta/ſti cum mendacio*, falſo, nempe dicens, fieri non poſſe, ut Deus hanc terram relinqueret, uti ſupra XIV, 15.

7. פִּתִּיתַנִי יְהוָֹה *Perſuaſiſti mihi, o Jova!* ſcil. ללכת בשליחותך *ut obirem legationem tuam*, uti recte Jarchi. Intelligit primam perſuaſionem ad munus propheticum in ſe ſuſcipiendum, quam adeo validam fuiſſe ait, ut non potuerit ei reſiſtere, etſi argumenta graviſſima obvertiſſet, vid. ſupra I, 6. וָאֶפָּת *Et perſuaſus ſum*, Futurum apocopa-

copatum Niphal verbi פָּתָה. A. Schultens in *Commentar. ad Proverb.* XX, 19. p. 235. ex Arabici فتي *laxus fuit* ſignificatu hunc locum ſic interpretatur: *laxiorem me feciſti, Jova, et relaxatus ſum*, i. e. me lactaviſti blanda ſpe, qua inductus munus ſuſcepi, quod me ludibrio atque odio publico exponit. Quod ſequutus Doederlein ad Grotium: *„Spe me lactaſti, quae me jam fallit.* Nempe cum munus propheticum ſuſciperet Jeremias, bene de populo mereri voluit, ſed eventum habuit minus ſperatum, odium gentis ſuae. Hoc argumentum perſequitur Vs. 8." חֲזַקְתַּנִי וַתּוּכָל *Tu fortior me fuiſti, et praevaluiſti*, tu, qui multo me es validior, hoc munus propheticum mihi impoſuiſti, quomodo detrectare potui? חֲזַקְתַּנִי Schleusnerus recte monet eſſe pro חָזַקְתָּ מִמֶּנִּי *potentior es me*, poſitum, ut Jeſaj. LXV, 5. קְדַשְׁתִּיךָ pro קָדַשְׁתִּי מִמֶּךָּ *ſanctior ſum te* legitur. Ceterum formulae loquendi hic uſurpatae cauſa J. D. Michaelis appoſite confert illud Virgilii *Aen.* VI, 77. ſeqq.

At Phoebi nondum patiens immanis in antro
Bacchatur vates, magnum ſi pectore poſſit
Excuſſiſſe Deum; tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.

Vi, inquit Jeremias, coëgiſti me ea eloqui quae nollem, quaeque me riſui et odio omnium exponunt, ut ſequitur.

8. כִּי־מִדֵּי אֲדַבֵּר *Nam quoties loquor.* Chaldaeus: אֲרֵי בִּזְמַן דַּאֲנָא מִתְנַבֵּי *nam quocunque tempore ego vaticinor;* אֶזְעָק *clamo*, clamare cogor. Chaldaeus: אֲנָא מְרִים קָלִי בָּכֵי וּמְצַוַּח *ego tollo vocem meam, plorans et exclamans*, propter ludibria eorum et odium, quibus propter vaticinia mea me proſequuntur. Graecus Alexandrinus interpres primum hujus Verſus membrum ſic vertit: ὅτι πικρῷ λόγῳ μου γελάσομαι ἀθεσίαν, *quia amaro verbo meo ridebo praevaricationem*, ut Hieronymus reddit, qui ſenſum hunc eſſe dicit: „ſcio praeſentem triſtitiam futuro gaudio commutandam, et idcirco miſeriam et iniqui-

quitatem afflictionemque libenter fuftineo.“ Graecum interpretem pro מִדֵּי legiffe מִרְי patet, et pro אֶזְעָק vel legiffe, vel a praelegente percepiffe אֶצְחַק aut אֶשְׂחַק. Sed pro γελάσομαι, quod non folum Hieronymus, uti vidimus, in Graeca verfione legit, verum et Syro-Hexaplaris fuo ܐܓܚܟ ridebo expreffit, Spohnius conjicit κράσομαι effe legendum, quo alias Graecus זָעַק exprimere folet. Quae conjectura quidem eo commendatur, quod Arabs, qui e Graeco vertit, hic أَزْعَقُ clamo, verbum ipfum hebraicum pofuit; fed Patres Graeci omnes in Ghislerii Catena legerunt γελάσομαι. Schleusnerus nomen חָמָס, quod per accentum *Sakeph katon* verbo אֶזְעָק impofito, ab eo dirimitur, cum eo conjungit, ut fententiae אֶזְעָק חָמָס et וָשֹׁד אֶקְרָא fibi invicem refpondeant: *clamo violentiam, vaftitatem praedico.* Verum חָמָס וָשֹׁד אֶקְרָא refpondent potius verbo אֶזְעָק, et שֹׁד hic non eft quam vates faepe praenunciant urbis et reipublicae vaftatio, fed denotat *oppreffionem*, qua potentiores affligunt debiliores, ut Pf. XII, 6. שֹׁד עֲנִיִּים eft *oppreffio pauperum.* Senfum non accurate expreffit Chaldaeus: עַל חָטוֹפִין וּבָזוֹזִין אֲנָא מִתְנַבֵּי *contra violentos et praedatores ego vaticinor.* Jarchi: „nihil boni iis vaticinor, fed vaticinia violentiae et vaftationis.“ In eundem modum Schleusnerus: „quia ex quo loquor, five munere prophetae fungor, nil nifi calamitates, vim ac vaftationem ab hoftibus exfpectandam praedicavi, ideo fuit mihi,“ et quae fequuntur. In altero hemiftichio rationem reddit, cur ipfi de injuria et oppreffione fit conquerendum: כִּי־הָיָה דְבַר־יְהוָה לִי לְחֶרְפָּה וּלְקֶלֶס כָּל־הַיּוֹם *quia factum eft verbum Jovae*, quod ego annuncio, *in opprobium et ignominiam toto die*, ob infaufta, quae ego divino juffu annuncio, omnibus probris me afficiunt. De קֶלֶס vid. not. ad Pf. XLIV, 14.

9. וְאָמַרְתִּי לֹא־אֶזְכְּרֶנּוּ *Quare dixi* apud me, cogitavi: *non* amplius *meminero* apud iftos homines *illud*, דְּבַר־יְהוָה *verbum Jovae*, Vs. 8., five, Jovam ipfum, ad quem et

Suffi-

Suffixum, in בִּשְׁמוֹ, quod sequitur, est referendum. Ita Graecus Alexandrinus: *οὐ μὴ ὀνομάσω τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου.* וְלֹא־אֲדַבֵּר עוֹד בִּשְׁמוֹ *Nec loquar ultra ejus nomine;* cogitatio haec mihi interdum incidit, rectius tutiusque me facturum, si mihi mandata silentio premerem. וְהָיָה *Sed fuit* scil. דְּבָרוֹ *verbum ejus.* Chaldaeus: וַהֲווֹן פִּתְגָּמוֹהִי *sed erant verba ejus.* כְּלִבִּי אֵשׁ בֹּעֶרֶת עָצֻר בְּעַצְמֹתָי *In corde meo sicut ignis ardens, conclusum in ossibus meis,* scil. verbum Dei, ad quod עָצֻר est referendum, non ad אֵשׁ, quod feminei est generis. Elegans et classica descriptio eorum quae prophetae a Deo acti persentiscebant. Similiter de Pythia Lucanus *Pharsal.* V. 173. seqq.

> *— — — magnoque exaestuat igne,*
> *Iratum te, Phoebe, ferens; nec verbere solo*
> *Uteris et stimulis, flammas in viscera mergos.*

וְנִלְאֵיתִי כַּלְכֵל *Et defessus sum sustinendo*, ad delassationem usque laboravi continere intra me, quod annunciare mihi Deus mandavit, quo minus eloquerer illud, sed frustra; וְלֹא אוּכָל *at non potui* scil. continere.

10. Rationem reddit, cur conatus fuerit, quae ipsi Deus proloqui mandaverat, proloqui. כִּי שָׁמַעְתִּי דִּבַּת רַבִּים *Quia audio infamiam*, obtrectationem *multorum.* De nomine דִּבָּה vid. not. ad Ps. XXXI, 14., ubi eadem, quae hic, verba leguntur. מָגוֹר מִסָּבִיב *Terrorem circumquaque,* i. e. verba undiquaque terrorem mihi incutientia, qualia statim sequuntur. Allusio ad nomen Paschchuro supra Vs. 3. inditum, ita tamen, ut hic delatorum insidiae et voces significentur. Graecus Alexandrinus primum hoc Versus membrum sic vertit: *ὅτι ἤκουσα ψόγον πολλῶν συναθροιζομένων κυκλόθεν.* Chaldaeus: אֲרֵי שְׁמַעִית מִלֵּי סַגִּיאָא דְּמִתְכַּנְשִׁין מִסְּחוֹר סְחוֹר *quia audio voces multorum qui sese congregant circumcirca.* Syrus: ܡܛܠ ܕܫܡܥܬ ܫܘܝܫܐ ܕܣܓܝܐܐ ܕܡܬܟܢܫܝܢ ܥܠܝ ܡܢ ܚܕܪܝ *quia audio diffamationem multorum, qui sese congregant circum me.* Qui omnes מָגוֹר *congregationis* significatu ceperunt, ut Ps. LVI, 7.

יָגוּרוּ

יָגוּרוּ יִצְפֹּנוּ הֵמָּה *congregant se delitescunt ipsi* insidiandi causa. Ante verba quae sequuntur, הַגִּידוּ וְנַגִּידֶנּוּ *annunciate, et annunciabimus eum*, subaudiendum est אֹמְרִים *dicentes* s. לֵאמֹר *dicendo*, i. e. *deferte* vos eum, *et nos deferemus eundem*, Jeremiam, scil. falsis criminationibus; indicate nobis aliquid mali de ipso, ut nos indicium faciamus magistratui, et sic eum opprimamus. Omnes, inquit, in meam perniciem conspirant, ac se mutuo instimulant. Conf. supra XVIII, 18. Graecus Alexandrinus: ἐπισύστητε, καὶ ἐπισυστῶμεν ἐπ' αὐτῷ, *conspirate et nos conspiremus contra eum.* Videtur הַגִּידוּ et נַגִּידֶנּוּ ad radicem גָּדַד *turmatim convenire* retulisse, ut Ps. XCIV, 21. יָגוֹדּוּ עַל־נֶפֶשׁ צַדִּיק *congregant se contra animam recti.* Sed Arabs, qui alias Graecum sequitur, hic magis hebraico convenienter habet: بثّوا ونبثّ عليه, *divulgate, et divulgabimus contra eum.* כֹּל אֱנוֹשׁ שְׁלוֹמִי שֹׁמְרֵי צַלְעִי *Omnis homo pacis meae*, omnes mei pacifici, amici (ut Ps. XLI, 10. ubi cf. not.), qui ut amici se erga me gerunt, sunt *observantes claudicationem meam*, speculantur si forte de recto tramite aberrem, aut quid peccem; sedulo observant, an aliquid possint reperire, minus recte a me actum, quod deferant. Cf. de hac phrasi not. ad Ps. XXXV, 15. Alii *claudicatione* significari existimant *calamitatem, infortunium.* Ita Jarchi: מצפים שברי *exspectant contritionem meam.* Chaldaeus: כָּל אֱנָשׁ שְׁלָמִי כָּמְנִין לְאַבְאָשָׁא לִי *omnes pacifici mei insidiantur ad malefaciendum mihi* Syrus: ܐܡܪܝܢ ܟܠܗܘܢ ܕܫܐܠܝܢ ܫܠܡܝ ܒܦܘܡܗܘܢ ܘܣܢܝܢ ܠܝ ܒܠܒܗܘܢ *dicunt omnes qui de salute mea quaerunt ore suo, sed in corde suo me odio habent: indicate eum*, rel., verbis hebraeis transpositis. Graecus Alexandrinus verba כֹּל אֱנוֹשׁ שְׁלוֹמִי junxit iis quae praecedunt (ἐπισυστῶμεν ἐπ' αὐτῷ.) πάντες ἄνδρες φίλοι αὐτοῦ, שֹׁמְרֵי צַלְעִי vero reddidit τηρήσατε τὴν ἐπίνοιαν αὐτοῦ, quasi haec omnia adversariorum prophetae verba essent. שֹׁמְרֵי

צַלְעִי

צַלְעִי Eberh. Scheidius in *Specim. Obſervatt.* ad Diſſertat. in Cantic. Hiskiae p. 31. ſeqq. vertit cum Hieronymo *cuſtodientes latus meum*, quibus *ſocios* et *familiares* denotari exiſtimat, collata phraſi Arabico صاحب بالجنب *ſocius in latere*, ſ. *ad latus*, i. e. familiaris. Quod et Schnurrerus probavit, ſimul autem recte obſervavit, hoc ſenſu ſi שֹׁמְרֵי צַלְעִי accipiatur, neceſſe eſſe ea verba ad Subjectum שְׁלֹמִי pertinere, nec Praedicatum eſſe. Ipſe vero exiſtimat hic eſſe perſonarum commutationem, qualem ſupra I, 17. in verbis בֶּן־אָחִ[illegible] ſibi deprehendere viſus eſt; cf. not. ibid. „Legitima," inquit, „dicendi ratio erat haec: אַנְשֵׁי שְׁלֹמוֹ שֹׁמְרֵי צַלְעוֹ. Primae perſonae Pronomen ſubſtituit propheta haec aliorum dicta recitans, ut ſignificaret, ſe ipſum eſſe, haud alium quemquam, qui dictis hisce petatur. הַגִּידוּ, et quae ſequuntur verba reliqua, ſunt τῶν רַבִּים, haud unius paucorumve, ſed quamplurimorum, qui ira ac odio accenſi captarent aliquid, quod crimini dari non ſine ſpecie poſſit. Ab his qui excitantur, amici ſunt atque adeo familiares Jeremiae. Locus igitur hoc ſenſu accipiendus: *vos, qui amice cum illo, imo conjunctiſſime vivitis, indicate* nobis, ſi quid ex ipſo exceperitis, *ut nos deferre illud poſſimus; forte decipi ſe patietur*, et incauto ipſi atque imprudentiori nonnihil excidet, *ut compotes nos ejus facti, vindictam de eo ſumamus.*" Verum iſta, quam ſtatuit Schnurrerus, perſonarum commutatio, ut ſupra I, 17., ita et hic dura et minus neceſſaria videtur. Sunt enim verba כֹּל אֱנוֹשׁ שְׁלֹמִי שֹׁמְרֵי צַלְעִי prophetae per parentheſin interjecta verbis adverſariorum prophetae, הַגִּידוּ וְנַגִּידֶנּוּ et אוּלַי יְפֻתֶּה וגו׳. Verbum שָׁמַר hic, ut Pſ. LVI, 7. LIX, 1. LXXI, 10., de attenta obſervatione eorum, qui alicui inſidiantur, capitur. אוּלַי יְפֻתֶּה *Forſan decipietur*, inquiunt, ut aliquid faciat vel effutiat imprudenter, unde accuſandi ejus occaſio ſuppetat. וְנוּכְלָה לוֹ *Ut praevaleamus ei*, compotes ejus fiamus, ut ſupra I, 19. XV, 20.

11. Erigit animum oppressum demissumque fid in Jovae auxilio posita. וַיהוָה אוֹתִי *Sed Jova est cum.* אוֹתִי pro אִתִּי, cf. not. supra ad I, 16. וְלֹא יָכִלוּ *Impingent nec poterunt* scil. resurgere. Gra Alexandrinus vertit: *καὶ νοῆσαι ἐδύναντο* legit ישכלו, Sin et literis transpositis. כִּי־לֹא הִשְׂכִּילוּ *Quia non spere agent,* non bene iis succedet. De verbo שׂכל quod hic *feliciter agere* notat, cf. not. ad Jesaj. LII, — כְּלִמַּת עוֹלָם לֹא תִשָּׁכֵחַ pudefient, inquam (בשׁו, c praecessit), *ignominia sempit[...]a,* et quae *non obliv. delebitur,* ut infra XXIII, 40.

12. בֹּחֵן צַדִּיק utroque modo verti potest, et: *bator justus,* uti Symmachus Syro-Hexaplaris ha ܒܚܘܪܐ ܙܕܝܩܐ, i. e. *δοκιμαστὴς δίκαιος, scrutator justus, qui probas,* exploras justum. Sic Aquila in Hexap ܠܙܕܝܩܐ *justum,* et similem in modum Graecus Alexan nus: *δοκιμάζων δίκαια.* Ceterum cf. Ps. VII, 10. — ה נִקְמָתְךָ מֵהֶם *Videbo,* i. e. utinam videam, experiar *dictam tuam,* quam sumes *ex iis.* Vel, Futuro reten plane confido et certus sum, fore ut videam quam ex sumes vindictam. Ceterum hic Versus totidem fere ve legitur supra XI, 20.

13. Spe et fiducia erectus erumpit in laudes sospitatoris.

X

XVI.

Cap. XX, 14—18.

ARGUMENTUM.

Acerbiſſimo ſuae ſortis ſenſu oppreſſus et quaſi extra ſe raptus vates exſecratur et diem, qua natus eſt, et illum, qui patri ſuo ſe natum eſſe annunciavit, optans, ut numquam lucem adſpexiſſet. Locus huic plane ſimilis ac geminus eſt ille Job. III, 3. ſeqq., ut alter ex altero videri exſcriptus poſſit.

Non defuere, qui hos quinque Verſus, tam abhorrentes ab alacri illa et pia fiducia, quam ſpirant tres, qui proxime praecedunt, cum iis connectere conarentur. Sunt, qui putent vatem deſcribere ſtatum infelicem, e quo ſit ereptus, adeo afflictum, ut etiam maledixerit natali ſuo, infirmitate quadam, quam priori, non hoc tempore, paſſus ſit. Alii, ut C. B. Michaelis, nexum hoc modo concipiunt: alioquin, niſi Jovam defenſorem haberem, exſecrarer diem, quo ſum natus. Quae quam ſint coacta et e longinquo petita, non eſt ut demonſtremus. Verum recte viderunt Schnurrerus (*Commentatt. theoll.* P. III. p. 402.), Eichhorn (*die bibl. Propheten* P. II. p. 322.), et Dahler (*Jerémie* p. 145.), quinque hosce Verſus a praecedente oratione, cui nullo vinculo adhaereant, ſejungendos et ſeparatim collocandos eſſe, tanquam carmen prorſus diverſum, alio quodam tempore, alioque et rerum et animi ſtatu enuntiatum. At ab ingenio et pietate Jeremiae, quas hic legimus imprecationes ita alienas judicat Venema, ut

illas non ſuo ipſius nomine prolatas exiſtimet, ſed prophetam per proſopopoeiam inducere hoſtium ſuorum quendam ſtatuat, v. c. Paſchchurem, qui propter mala, quae ſupra Vs. 3. 4. vates ei comminatus eſt, deſperabundus in diras haſce eruperit. Quod et Dathio atque Doederleinio in Annotatt. ad Grotium veriſimile viſum. Sed veriſſime monet Schnurrerus, haud quidquam amplius ineſſe huic carmini, quam quod alio loco, ſupra XV, 10., certiſſime ex ſuo, eoque intimo ſenſu Jeremias pronuntiavit, אוי־לי אמי כי ילדתני *Vae mihi! mater, quod me enixa es.* „Nec," addit, „inter utrumque locum, quidquam intereſt, niſi quod idem angor animi modo pauciores voces emittit, forte faſtidioſe magis quam continenter, modo minus temperanter ſe effundit, et nonnihil indulget querimoniis. Quod autem in diem ſuum natalem, quod in hominem adeo, qui parenti filium in lucem editum gratulatus eſſet, utrumque omnino immerentem, acerbius invehitur Jeremias, ſane non eſt in ipſo magis culpandum, quam in Davide quisquam intelligentior illud culpaverit, quod 2 Sam. I, 21. montes Gilboae exſecratus ſit propterea, quod in iis caeſus eſſet Saulus cum Jonathane. Talia, ut verbis utamur Lowthi (*de ſacra Hebraeorum poeſi* p. 270. edit. Lipſ.), ſi ad rectae rationis normam exigas, quid abſurdius? ſi naturam et affectuum motus ſpectes, quid verius, quid expreſſius, quid pulchrius? Non Cauſa pro Cauſa in Dialectica flagitium, in Poetica interdum eſt virtus; quia nimirum illic ratio, hic affectus dominantur."

XX, 14. Infelix dies meus natalis! Dies, quo
15. mea me peperit mater, ne ſit felix! Infelix
homo, qui meo patri nuntiavit; ei natum
eſſe filium marem, adficiens eum laetitiâ.
16. Sit is homo ſimilis urbium, quas Deus im-
miſe-

misericorditer evertit, audiatque et clamorem
mane, et vociferationem meridiano tempore,
quod me non necaverit ab utero, ut esset 17.
mihi mea mala sepulchrum, et ejus uterus
graviditas perpetua. Cur tandem ex utero 18.
exivi, ut laborem et aegrimoniam viderem,
et aetatem finirem turpiter?

N O T A E.

Cap. XX; 15. Apud Persas etiamnum hunc morem obtinere, ut cum filius natus fuerit, id ut laetum quid parenti annunciari, nuncium vero praemium accipere, narrant qui oras illas adiere, vid. *das alte u. neue Morgenland* P. IV. No. 1015. p. 277.

16. כֶּעָרִים אֲשֶׁר־הָפַךְ יְהוָֹה *Sicut urbes quas evertit Jova*, Sodoma, Gomorrha et reliquae illius tractus urbes, Genes. XIX, 25. וְלֹא נִחָם *Neo poenituit eum*, ita ut mutasset suum decretum de convertendis urbibus. Chaldaeus: כְּקִרְוַיָּא דַהֲפַךְ יְיָ בְּרוּגְזֵיהּ וְלָא אִתּוֹתְבָא *sicut urbes quas Jova in sua ira evertit, et quae non ultra habitantur.* וְשָׁמַע זְעָקָה בַּבֹּקֶר וּתְרוּעָה בְּעֵת צָהֳרָיִם *Audiatque clamorem mane, et vociferationem tempore meridiei,* perturbetur et terreatur toto die, ut qui obsessam urbem incolunt.

17. אֲשֶׁר לֹא־מוֹתְתַנִי *Quod non interfecit me* scil. dies ille, vel: interficiens, i. e. impersonali loquendi formâ, quod non sum occisus potius. מֵרָחֶם *Ab utero*, simulac ex utero exiissem. Cf. Job. III, 11. וַתְּהִי־לִי אִמִּי קִבְרִי *Aut quod non fuit mater mea sepulchrum meum*, quod non in matris utero mortuus sum. וְרַחְמָה הֲרַת עוֹלָם *Et utero suo gravida fuisset aeternum*, ut numquam

me

mè in lucem edidiſſet. Alii vertunt: *ut uterus ejus gravidus fuiſſet aeternum;* ſed רֶחֶם eſt nomen generis maſculini, cf. Hoſ. IX, 14. Job. XXIV, 20. XXXI, 15.

18. לָמָּה זֶּה מֵרֶחֶם יָצָאתִי *Quare ex utero exivi!* Merito ita conqueror, quia melius fuiſſet, me non eſſe natum umquam, quam natum et adeo miſerum eſſe.

XVII.

Cap. XXI.

ARGUMENTUM.

Chaldaeis Urbem circumsedentibus quum Zedekias rex ad Jeremiam mitteret, qui ab eo peterent, ut de obsidionis eventu Jovam consuleret (Vss. 1. 2. 3.), Urbis expugnationem denunciat (Vss. 4—7.). Quam ob rem civibus dat consilium, ut sibi prospiciant deditione, et domui Regiae resipiscentia (Vss. 8—14.).

Quae hoc Capite leguntur non est dubium dicta et facta esse tum, cum, post repressos Aegyptios, Judaeis suppetias afferentes (vid. infra XXXVII, 5. seqq.), Chaldaei altera vice copias Hierosolymitanae urbi admoverant, nondum tamen arctius eam concluderent, quod inde colligitur, quod propheta Vs. 4. milites qui tunc adhuc extra muros pugnabant, mox in urbem se recepturos esse praenuntiat. Recte Venema monet, hoc Caput ex serie historiae statim post XXXVII. ponendum fuisse, nam Capite XXXVIII. narrari, quem effectum habuerit quae hic legitur concio; principes videlicet nonnullos manus prophetae injecisse ob ea, quae illum hoc Capite Vs. 9. dixisse legimus.

XXI. Sermo, qui habitus est ad Jere- 1.
miam a Jova, quum misisset ad eum rex
Zedekias Paschchurem, Malciae, et Zepha-
niam

niam, Maaſejae filium, ſacerdotem, cum hoc
2. mandato: Conſule, quaeſo, de nobis Jovam,
quos Nebucadnezar, rex Babyloniae, op-
pugnat, ſi forte nobiscum pro omnibus ſuis
mirabilibus agat, ut ille a nobis discedat.
3. Quibus Jeremias: ſic Zedekiae, inquit, di-
4. cetis: Sic dicit Jova, Deus Iſraelitarum:
ego retro agam tela bellica, quae vos ha-
betis in manu, quibus pugnatis cum Baby-
loniae rege, et Chaldaeis, vos extra muros
obſidentibus, illosque in mediam hanc ur-
5. bem congregabo; atque ipſe porrecta manu,
validoque lacerto iratiſſime, ardentiſſime,
6. atrociſſime vobis repugnabo, percu-
tiamque incolas hujus urbis, et homines,
7. et beſtias, ut magna lue pereant. Deinde,
inquit Jova, Zedekiam, Judaeae regem,
omnesque ejus miniſtros, et plebem, et qui
in iſta urbe ex lue, ex ferro, ex fame reſta-
bunt, tradam in manus Nebucadnezaris,
Babyloniae regis, et hoſtium ipſorum, eo-
rumque necem cupientium, qui eos ferro
percutiet, non parcens; nec veniam dans,
8. nec miſerans. Iſti autem populo dices: ſic
dicit Jova: ego vobis vitae mortisque viam
9. propono. Qui in hac urbe manſerit, is
ferro, fame, peſte morietur; qui vero egreſſus
ad Chaldaeos, qui vos obſident, transfugerit,
vivet, vitamque ſuam pro praeda reportabit.
10. Etenim ego in hanc urbem vultum ad per-
niciem,

niciem, non ad bonum conjeci, inquit Jova;
tradetur in poteſtatem regis Babyloniae, qui
eam igni comburet. Quod item ad domum 11.
regis Judaeae attinet, audite quid Jova dicat;
Domus Davidica! ſic dicit Jova: agite ma- 12.
ture cauſas, et ſpoliatum e manu violenti
eripite, ne mea ira inſtar ignis erumpat, et
inexſtincta ardeat ob facinorum veſtrorum
pravitatem. En! me tibi qui incolis hanc 13.
vallem, vallem petrae planitiei, inquit Jova,
qui dicitis: quis adverſus nos deſcendet, aut
quis noſtras manſiones invadet? Ego vero 14.
in vos ut merentur veſtra facinora animad-
vertam, inquit Jova, et iſtius ſylvam igne
incendam, qui omnia circa eam comburat.

N O T A E.

Cap. XXI, 1. אֶת־פַּשְׁחוּר בֶּן־מַלְכִּיָּה „Diverſum hunc eſſe Paſchchurum ab eo, qui Capite praecedente memoratus erat, ex nomine diverſo patris manifeſtum eſt. Ille erat filius Immeri, hic Malchiae. Diverſa etiam ſunt tempora; jam enim urbs erat a Nabuchodonoſare obſeſſa, aut brevi obſidenda. Videtur autem nominis conſonantia illis, qui ſparſa olim Jeremiae oracula, nec omnes eodem ordine, conquiſiverunt et digeſſerunt, occaſionem dediſſe, duplicis Paſchchuri mentionem conjungendi." J. D. Michaelis. Idem qui hic, Paſchchur, memoratur infra XXXVIII, 1. Videtur unus ex principibus, ſive aulicis fuiſſe, confer XXXVIII, 4. הַכֹּהֵן *Sacerdotem,* non gregalem, ſed ſummi Pontificis vicarium, ſeu ab eo proximum, cujus praecipuae partes in rebellione contra regem Chaldaeorum fuere, occi-

occiſum ideo a Nebucadnezare, vid. infra LII, 24. 27. 2 Reg. XXV, 18. 21. Ejusdem Zephaniae mentio et infra XXXVII, 3. Sicuti Hiskias rex ad Jeſajam prophetam duos legatos, unum politicum, alterum eccleſiaſticum, miſit, ita et hic Zedekiam legimus ad Jeremiam eorundem ordinum legatos miſiſſe.

2. דְּרָשׁ־נָא בַעֲדֵנוּ אֶת־יְהוָה *Quaere,* interroga, *quaeſo Jovam pro nobis,* ut de eventu hujus obſidionis Deus oraculo quodam nos faciat certiores. נִלְחָם עָלֵינוּ „noli vertere: *bellum gerit contra nos,* ſed: *oppugnat nos,* obſidione cingit Hieroſolymam; vid. Vs. 4. הַצָּרִים עֲלֵיכֶם, et Vs. 9.“ J. D. Michaelis. אוּלַי יַעֲשֶׂה יְהוָה אוֹתָנוּ *Forſan aget Jova nobiscum,* אוֹתָנוּ pro אִתָּנוּ, ut ſupra I, 16. X, 5. XX, 11. et ſaepius apud Jeremiam. כְּכָל־נִפְלְאֹתָיו *Secundum omnia mirabilia ſua,* miris, quibus juvare ſuos ſolet, modis, quemadmodum liberavit Hiskiam ab Aſſyriis eum obſidentibus, 2 Reg. XIX, 35. 36. וְיַעֲלֶה מֵעָלֵינוּ *Et aſcendet* ſcil. rex Babyloniae *a nobis,* ſoluta obſidione, quo ſenſu haec phraſis et 1 Reg. XV, 19. et infra XXXVII, 5. legitur.

4. הִנְנִי מֵסֵב אֶת־כְּלֵי הַמִּלְחָמָה *En! ego retro ago,* ſ. acturus ſum *inſtrumenta bellica,* „q. d. facta vobis intra urbem velut diverſione bellica per peſtilentiam et famem (Vs. 6. 7.), efficiam, ut contra Chaldaeos in moenibus pugnare deſinatis.“ C. B. Michaelis. Alio modo haec verba capit Schalom Haccohen, monens, מֵסֵב h. l. ſignificatum *devolvendi e poteſtate unius in poteſtatem alterius* obtinere, ut Num. XXXVI, 7. וְלֹא־תִסֹּב נַחֲלָה לִבְנֵי יִשְׂרָאֵל מִמַּטֶּה אֶל־מַטֶּה *neque enim devolvat poſſeſſio Iſraëlitarum de una tribu ad alteram.* Vatem igitur hoc velle: quae in veſtris manibus ſunt inſtrumenta bellica transferam ad regem Babyloniae, i. e. et arma veſtra et vos ipſos hoſtibus tradam. In hunc ſenſum Grotius: „Efficiam, ut Urbe irrupta arma veſtra omnia vobis erepta adferantur in locum aliquem urbis veſtrae, quem ad id elegerint victores Chaldaei.“ הַצָּרִים עֲלֵיכֶם מִחוּץ לַחוֹמָה *Qui*

vos

vos oppugnant extra murum. „Videtur coepta esse obsessio, sed ita, ut adhuc extra urbem versarentur Judaei, partim, eruptione liberius facta, partim, fontes, qui circa Hierosolymam rari, munitionibusque forte clausi, maxime sub monte Sion, defendentes. Vide Vs. 13., ubi descensu in vallem hostes prohiberi posse sperant.“ J. D. Michaelis. וְאָסַפְתִּי אוֹתָם אֶל־תּוֹךְ הָעִיר הַזֹּאת *Et colligam ea ad medium urbis hujus,* arma vestra intra urbem continebo velut in vagina, ne contra Chaldaeos ex muris stringi possint. Alii אוֹתָם *eos* scil. Chaldaeos intelligunt. Ita Graecus Alexandrinus: *καὶ συνάξω αὐτοὺς εἰς τὸ μέσον τῆς πόλεως ταύτης.*

5. וְנִלְחַמְתִּי אֲנִי אִתְּכֶם *Et pugnabo ego* ipse *vobiscum,* praeterea quod hostile ferrum vos conficiet, ego pestem vobis immittam, vid. Vs. 6. De יָד נְטוּיָה vid. not. ad Exod. VI, 6. edit. tert.

7. Pro וְאֶת הָעָם וְאֶת־הַנִּשְׁאָרִים codices nonnulli exhibent וְאֶת־הָעָם הַנִּשְׁאָרִים omisso altero וְאֶת. Ita et Graecus Alexandrinus: *καὶ τὸν λαὸν τὸν καταλειφθέντα.* וּמִן־הַחֶרֶב *Et* qui residui sunt, הַנִּשְׁאָרִים, *a gladio,* scil. qui non caesi sunt ab hostibus in defendenda urbe. וּבְיַד מְבַקְשֵׁי נַפְשָׁם *Et per manum quaerentium animam,* vitam *eorum,* i. e. ut Chaldaeus vertit, בְּיַד דְּבָעַין לְמִקְטְלְהוֹן *per manum eorum qui quaerunt eos occidere.* וְהִכָּם לְפִי־חֶרֶב *Et percutiet eos ad os,* acie *gladii,* urbe expugnata.

8. הִנְנִי נֹתֵן לִפְנֵיכֶם אֶת־דֶּרֶךְ הַחַיִּים וְאֶת־דֶּרֶךְ הַמָּוֶת *En propono vobis viam vitae et viam mortis,* optionem vos facio, eligendi vel *vitam,* si dederitis vos Chaldaeis, vel *mortem,* si vos contra Chaldaeos ulterius defendere obstinaveritis.

9. וְהַיּוֹצֵא וְנָפַל עַל־הַכַּשְׂדִּים *Sed qui exiverit* ex urbe *et ceciderit,* desciverit (*transfugerit,* ut Hieronymus) *ad Chaldaeos.* Chaldaeus: וְיִשְׁתְּמַע לְכַשְׂדָּאֵי *et obedientem se praebuerit Chaldaeis,* se iis dediderit voluntaria dedi-

deditione. Graecus Alexandrinus: ὁ ἐκπορευόμενος προσχωρῆσαι πρὸς τοὺς Χαλδαίους. „Non fuadet perfidiam, cujus fufpicionem ipfe infra XXXVII, 13. 14. a fe amolitur, fed deditionem, quocunque modo fieri poffit, confervandae vitae caufa. Quod confilium ipfi quoque Regi confirmat infra XXXVIII, 17 — 23.“ C. B. Michaelis. וְהָיְתָה־לּוֹ נַפְשׁוֹ לְשָׁלָל *Eritque ei anima*, vita *fua in praedam*, Chaldaeus, לְשֵׁיזָבָא *in evafionem*. Jarchi: „Sicut quis praedam rapit, atque abiens fecum asportat, fic erit ei anima erepta morti, ex eorum manu qui interficiunt.“ Senfum recte expreffit Syrus: ܘܢܦܫܗ ܡܦܠܛܐ *et eripiens* erit *vitam fuam*.

10. De phrafi שַׂמְתִּי פָנַי לְרָעָה וְלֹא לְטוֹבָה vid. not. ad Amof. IX, 4. Cf. Levit. XVIII, 10. Additur לְרָעָה *in malum* perfpicuitatis caufa, quia שַׂמְתִּי פָנַי בָּעִיר הַזֹּאת *ponam faciem meam*, dirigam vultum meum, *in hanc urbem*, mediae fignificationis eft, quum *vultus Dei ad aliquem directus* et ejus favorem defignare poffit, ut infra XXIV, 6.

11. Ad verba וּלְבֵית מֶלֶךְ יְהוּדָה *et domui regis Judae* eft תֹּאמַר e Verfu 8. repetendum. Vel poteft ל nomini בֵּית praefixum *quantum ad, quod attinet ad* valere, ut Pf. XVI, 3. לִקְדוֹשִׁים *fanctos quod attinet*, Jefaj. XXXII, 1. לְשָׂרִים *principes quod attinet*. Ceterum vere monet Schnurrerus, quae tribus reliquis hujus Capitis Verfibus in regem regiosque amicos dicta referuntur, non effe continenter legenda cum fermone antecedente, aut eodem tempore quo fuperiora prolata putanda effe, licet iis fint nullo intervallo per copulam Vav (וּלְבֵית) adjuncta. „Etenim quum eo maxime fpectent, ut ad jus ftrenue dicendum, atque ad rapacium hominum injuriam reprimendam excitentur reipublicae adminiftri; credibile eft, ea non demum nunc, cum urbi arma admoverent Babylonii, fed alio quodam diu antea tempore prolata fuiffe. Hunc autem quem nunc occupant locum non alia de caufa nacta effe cen-

censenda sunt, quam quod qui praecedit sermo et ipse ad regem pertinet. Et sequuntur nunc alia ejus generis, non uno tempore edita, sed in eundem locum relata ob argumenti nonnullam affinitatem."

12. [illegible] בֵּית *O domus Davidis!* Hac appellatione, uti notat Kimchi, vates eo consilio utitur, ut regiae familiae sui progenitoris pietatem et justitiam, a posteris imitandam, in animum revocet. דִּינוּ לַבֹּקֶר מִשְׁפָּט *Judicate mane jus*, i. e. summo studio et promte oppressis jus reddite; nam opus illud quod maximo nobis cordi est, mane suscipimus. Cf. not. ad Ps. LIX, 17. Mich. II, 1. Alterum Versus hemistichium, פֶּן־תֵּצֵא כָאֵשׁ וגו׳, totidem verbis legitur supra IV, 4. Pro מַעַלְלֵיהֶם in margine legendum מַעַלְלֵיכֶם jubetur, quod in textu legunt multi codices manuscripti et Kennicottianae et De-Rossianae collationis, etiam Hispani bonae notae, et versiones veteres, praeter Graecam Alexandrinam et Arabicam, quae illud omittunt, et Theodotionem, qui τὸ כתיב expressit.

13. הִנְנִי אֵלַיִךְ *En me ad*, contra *te*, i. e., ut Chaldaeus reddidit, הָאֲנָא שָׁלַח רוּגְזִי עֲלָךְ *en! ego missurus sum iram meam adversus te*. Apostrophe ad urbem Hierosolymitanam, sitam situi naturâ munito, qui verbis proximis describitur: יֹשֶׁבֶת הָעֵמֶק צוּר הַמִּישֹׁר *quae habitas vallem, petra planitiei*. Quod quum sibi repugnare videatur, varie tentatum est ab interpretibus. Sunt, qui per *eam quae vallem habitat* existiment inferiorem, per *petram planitiei* superiorem urbis partem indicari. C. B. Michaelis *vallem habitantem* Hierosolymam dici censet, propterea quod montibus undique cincta (Ps. CXXV, 2.) instar vallis se haberet (cf. Jes. XXII, 1.), eandem urbem vero et *petram planitiei* recte dici respectu potissimum habito ad regiae arcis in monte Zion, et templi in Moria situm, unde probabile sit, prospectum in patentissimam planitiem fuisse; simili ratione supra XVII, 3. Hierosolymam dici *montem in agro*. Sed ad eum loc. vid. not. nostram. Doederlein vertit: *quae incolis vallem* quasi

rupem

rupem deserti. Dathius: *qui vallem inhabitas, et petram in planitiem vergentem.* Schnurrerus ante צור המישׁר repetendum עמק autumat, quemadmodum Jos. III, 14. הארון הברית dictum est pro הארון ארון הברית *arca illa, arca,* inquam, *foederis.* „Est autem," inquit, „*vallis rupium planarum* locus profundus, undique cinctus cautibus abruptis laevibusque, in quibus nihil asperi eminet et salebrosi, cui descensurus aliquis pedem infigere possit, quales Hierosolymam inter et Hierichuntem cerni ex Steph. Schulzio refert Oedmann *Vermischte Sammlungen aus der Naturkunde zur Erklär. der heil. Schrift* Fasc. VI. p. 115." Cui interpreationi vere opposuit Gaabius, מישׁר non ab alto ad imum directum et laevigatum quid, sed in aequum et planum solum exporrectum significare. Sed ad locum nostrum intelligendum facit, quod monet Relandus *Palaest.* p. 839., Hierosolymam sitam esse in tractu montano Judaeae, adeoque loco alto, ita tamen, ut respectu montium, quibus circumdatur, in loco humili sita videatur. Ita Phocas in *Descript. locor. sanctor.*: Ἡ δὲ ἁγία πόλις κεῖται μέσον διαφέρων φαράγγων καὶ βουνῶν, καὶ ἔστι τὸ ἐν αὐτῇ θεωρούμενον θαυμαστόν. ἐν ταύτῃ γὰρ ὑπερανεστηκυῖα ὁρᾶται ἡ πόλις καὶ χθαμαλὴ, πρὸς γὰρ τὴν τῆς Ἰουδαίας χώραν ἐστὶν ὑπερκειμένη, πρὸς δὲ τὰ ἐχόμενα ταύτης γηλόφα χθαμαλίζεται. *Urbs sancta variis vallibus et montibus cingitur, et hoc mirabile est, quod eadem et excelsa et depressa appareat; respectu enim Judaeae supereminet, respectu vero collium circa eam est depressa.* Poterat igitur vates eandem urbem recte et *in valle positam*, et *petram planitiei* s. *vallium* appellare, quatenus magna ejus parte in montibus sita late valles, Rephaimorum puta et Hinnomi (Jos. XV, 8.), despiciebat. „Describitur," inquit J. D. Michaelis, „Hierosolyma, montibus circumdata, per quod non facilis hostibus transitus datur, ac deinde ex vallibus circumjectis exsurgens. Natura ipsa urbem munierat." In hoc loco interpretando jam veteres inter se discesserunt. Graecus Alexandrinus:

ἰδοὺ

ἰδοὺ ἐγὼ, πρός σε τὸν κατοικοῦντα τὴν κοιλάδα Σὼρ τὴν πεδίνην. Hieronymus: „Pro *habitatrice vallis solidae atque campestris* Septuaginta transtulerunt: *ecce ego ad te, qui habitas in valle Sor campestri,* pro quo Symmachus *petram,* Theodotio *obsessam* interpretati sunt, Aquilae prima editio *solidam,* secunda *Tyrum; Sor* enim, sive *Sur,* lingua Hebraea et *Tyrum,* et *silicem,* et *coarctatam* sonat. Loquitur autem contra Jerusalem, quae obsidione vallata est; sive in similitudinem Tyri quasi mari grandi, ita Babylonio exercitu cingitur, et evadere non potest; aut certe, quae se instar petrae durissimae inexpugnabilem putat atque robustam, pro soliditate murorum et magnitudine.“ Arabs Graeca sic reddidit: يَا سَاكِنَ ٱلْغَوْرِ صُورِ ٱلْمَرْجِيَّةِ *o tu qui habitas vallem formae pratensis.* Sed bene Chrysostomus in *Catena* apud Ghislerium: *οὐ καλῶς Σὼρ ἑρμενεύεται παρὰ τῷ Ἑλληνικῷ· παρὰ γὰρ τῷ Ἑβραίῳ Σοὺρ κεῖται. ἑρμηνεύεται δὲ πέτρα. μηνύει δὲ τὴν Ἱερουσαλὴμ, ἥτις ἐν τῇ πέτρᾳ κοιλάδος τυγχάνει. πέτραν δὲ κοιλάδος ἐκάλεσε, διὰ τὴν τοῦ τόπου θέσιν. ὡς τῶν μὲν περὶ τὴν Ἱερουσαλὴμ τόπων ὑπὸ πετρῶν συνεχομένων. οὔσης δὲ καὶ πεδιάδος ἐν κύκλῳ. Non recte est interpretatum apud Graecum Sur, nam quae in Hebraeo est Sur, quod denotat petram, Jerusalem significat, quae in petra vallis sita est, vocavitque eam petram vallis propter ejus situm: loca enim quae circa Jerusalem sunt, petris ambiuntur et est in circuitu ejus campus.* Chaldaeus: דְּיָתְבָא בְתוּקְפָא בְּקִרְוִין כְּרִיכִין *quae sedet in fortitudine, in urbibus munitis.* Syrus: ܥܳܡܪܰܬ݂ ܥܘܡܩܶܐ ܕܥܰܡܺܝܩ ܡܫܺܝܪܳܐ *quae habitas in convallibus, quae profundam habes planitiem.* מִי יֵחַת עָלֵינוּ *Quis descendet contra nos?* i. e. castra metabitur, sive, nos oppugnabit propter situm urbis nostrae, naturâ ipsâ munitum. נָחַת *Descendit* est vox militaris, ut יָרַד, quod He-

Hebraeis magis eſt uſitatum, vid. 1 Sam. XXVI, 10., illud magis Chaldaicum. Graecus Alexandrinus vertit: *τίς πτοήσει ἡμᾶς; quis terrebit nos?* Legit יְחַת, Futurum Hiphil verbi חָתַת *confractum, conſternatum eſſe.* וּמִי יָבוֹא בִּמְעוֹנוֹתֵינוּ *Et quis veniet in habitationes noſtras?* Alii *in luſtra noſtra*, in quibus tuti recumbimus, ſylvis montibusque tecti, ſimilitudine a feris deſumta, de quarum luſtris מְעוֹנוֹת Amoſ. III, 4. Pſ. CIV, 22. Neque tamen neceſſe eſt, ut ita ſtatuamus, quum מְעוֹנָה ab עוּן *habitare* omnino *habitaculum* ſignificet, unde et de templo, Jovae habitatione, dicitur Pſ. XXVI, 8. LXVIII, 6. LXXVI, 3. Graecus Alexandrinus: *ἢ τίς εἰσελεύσεται πρὸς τὸ κατοικητήριον ἡμῶν;*

14. De phraſi כִּפְרִי מַעַלְלֵיכֶם vid. not. ſupra ad XVII, 10. וְהִצַּתִּי אֵשׁ בְּיַעְרָהּ *Et accendam ignem in ſylva ejus.* Chaldaeus et Syrus בְּקִרְוָהָא *in urbibus ejus* vertunt, quaſi בְּעָרֶיהָ legiſſent; quod non debuiſſet probare Dathius, quum ita elegans ſimilitudo pereat. Nam, ut recte monet J. D. Michaelis, ipſam urbem immenſam materiam habentem, ſylvae comparat.

XVIII.

XVIII

Cap. XXII.

ARGUMENTUM.

Capitis hujus, quod totum ad regiam domum ſpectat, duae ſunt partes. In priori (Vs. 1—9.) vates hortatur regem, qui tunc, uti videtur, recens ad reipublicae gubernacula acceſſerat, ut in adminiſtrando regno juſtum et aequum ſe praebeat; quod ſi fecerit, fore, ut ipſe et tota regia familia tranquille et ſplendide vivant; ſin minus, id domui regiae et univerſae reipublicae exitioſum futurum denunciat. Quia autem adhortationibus et commi-nationibus plurimum ponderis afferunt exempla, vates in altera parte (Vs. 10—30.) regi in animum revocat eorum, qui proxime ante ipſum regnarunt, funeſtum exitum, quem ſuae injuſtitiae, avaritiae et crudelitatis poenam ipſi ſibi arceſſerint.

Quem initio Capitis vates alloquitur rex Judae, eſſe Jojakimum, plurimorum interpretum, ut Franc. Junii, C. B. Michaelis, Venemae, Dathii, eſt ſententia, et J. D. Michaelis, qui „tempore," inquit, „Jojakimi vaticinium editum eſſe, ex Verſu 15. et 18. certum eſſe videtur. Videtur etiam initio regni vaticinium editum, quia ſecundum Verſum 11. adhuc reditus Schallumi exſpectabatur." Sed quum vates ultra Jojakimum procedat, et Verſu 24. ſeqq. et de Jechonia, ejus filio, a Chaldaeis Babylonem abducto, agat, in cujus locum ſucceſſit Zedekias; ſequitur, ad eum Vs. 2. orationem dirigi. Initio vero ejus regni,

quum nondum esset Hierosolyma ab hostibus obsessa, vatem haec loquutum esse, inde patet, quod Vss. 2. 4. tunc temporis rex et principes per urbis portas libere ibant et redibant. Ad Zedekiam hoc vaticinium referendum esse, vidit et HIERONYMUS, quamvis dubius sit, ad quodnam ejus tempus pertineat. „Haec visio," inquit, „imo hic sermo Domini, vel ante fit ad prophetam, quam Sedecias nuncium ad eum mitteret (XXI, 1.), vel certe postquam nunciis praecepit quid regi referre deberent, praecipitur Jeremiae, ut nequaquam per nuncios loquatur ad regem, sed ipse vadat et palatium, et ibi loquatur ei." Sed omnino antequam ad Jeremiam Zedekias mitteret Paschchurem, i. e. ante Urbem obsessam, quae hic legimus prophetam loquutum esse, patet ex his quae diximus. Recte igitur EICHHORNIUS (*die bibl. Propheten* P. II. p. 201.) et DAHLERUS (*Jerémie* p. 183.) hanc pericopam primo Zedekiae anno assignarunt. Quod autem alteram hujus Capitis partem (Vss. 10—30.) attinet, eam tunc demum, cum illam orationem, quae Vs. 1 — 9. legitur, literis consignaret vates, aut per alium quendam mandari literis curaret, additam fuisse necesse est. Continet enim, quae Zedekiae fratri fratrisque filio, Jechoniae, olim praedixisset vates. Recte GROTIUS: „Jeremias Sedeciae loquens simul repetit quae regibus antecedentibus, fratri scilicet ipsius Sedekiae, fratrisque filio praedixerat, ne quid haberent, quod de tam gravi Dei ultione conquererentur." Videtur vero quae hoc Capite habentur in unum conscripta vates tanquam libellum aliquem memorialem regi tradidisse.

XXII, 1. Sic mihi mandavit Jova: Descende in
domum regis Judaeae et illic hanc rem
2. eloquere: Audi Jovae mandatum, Judaeae
rex, qui in Davidis solio sedes, tu tuique
mini-

ministri, et homines, qui per has ingrediun-
tur portas. Sic dicit Jova: facite jus et 3.
aequum, et spoliatos ab opprimentium in-
juria liberate, neve peregrinos, pupillos,
viduas premite, ne saevite, insontem sangui-
nem ne fundite in isto loco. Nam si ita 4.
feceritis, ingredientur per istius domus por-
tas, qui in Davidis solio pro ipso sedent
reges curribus et equis insidentes, una cum
suis servis atque populo. Sin his verbis non 5.
obediveritis, per me juro, inquit Jova, do-
mum istam devastatum iri. Sic enim mina- 6.
tur Jova domui Judaeae regis: Tu, qui Gi-
lead mihi es, quasi cacumen Libani, ni ego
te redigam in solitudinem urbium non ha-
bitatarum, et adversum te destinabo armatos 7.
telis depopulatores, qui lectissima quaeque
cedrorum tuarum exscindant, et in ignem
conjiciant. Ac inter sese percontantibus, 8.
qui praeter istam urbem frequentes trans-
ibunt, hominibus, quare sic tractaverit istam
tantum urbem Jova, respondebitur, quo- 9.
niam illi omisso Jovae, Dei sui, foedere,
deos venerati sint alienos, eisque servierint.
Ne deplorate mortuum, aut ejus vicem do- 10.
lete! deplorate discedentem, qui jam non
sit reversurus, et suum visurus natale solum.
Etenim sic dicit Jova de Schallumo, Josiae, 11.
Judaeae regis filio, regnante pro Josia, patre
suo, qui ex hoc loco migravit, non redibit

 huc

12. huc amplius; nam quem in locum exſul
abductus eſt, ibi morietur, neque hanc ter-
13. ram videbit amplius. Vae! qui domum ſuam
injuſte, qui coenacula aedificat inique, utens
aliorum opera gratis, nec eis ſolvens pre-
14. tium, qui ſibi ſpatioſas aedes, amplaque
coenacula aedificare cogitat, et feneſtras
ſecat, cedroque tegit, et ſinopide illinit.
15. Tune ergo regnabis, quod cedris certas?
Pater tuus nonne edit et bibit, quumque
16. jus et aequum faceret bene ei erat, et
inopum pauperumque cauſas agenti bene
erat; hoc nimirum eſt, noſſe me, inquit
17. Jova. At tu et oculos et mentem tuam non
niſi ad quaeſtum tuum intendis, et ad in-
ſontem ſanguinem fundendum, iniquitatem-
18. que et violentiam exercendam. Itaque ſic
minatur Jova Jojakimo, Joſiae filio, Judaeae
regi: non plangent eum: heu frater! heu
ſoror! non plangetur: heu domine! heu ma-
19. jeſtas! Aſini ſepultura ſepelietur, raptatus
et projectus extra portas Hieroſolymae.
20. Conſcende Libanum et clama! et in Baſane
vocem ede! atque clama ab extremis! nam
21. fracti ſunt omnes amatores tui. Quum ego
te ſoſpitem monerem, negaſti te obtempe-
raturam, quae tua eſt jam a teneris con-
22. ſuetudo, mihi morem non gerendi. Omnes
tuos paſtores paſcet ventus, tuique amato-
res captivi diſcedent; tum erubeſces et igno-

minia

minia afficieris ob tot tua ſcelera. O tu, 23.
quae in Libano habitas, nidulata in cedris!
quam eris miſeranda, cum tibi cruciatus
venient, qualis eſt parturientium dolor. Ita 24.
vivam, inquit Jova, ut etiamſi eſſet Chonias,
Jojakimi, Judaeae regis, filius, mihi annulus
in manu dextra, inde te avellam, et tibi 25.
necem molientibus, eisque quos tu horres,
et Nebucadnezari, Babyloniae regi, Chal-
daeisque in poteſtatem tradam, atque te, 26.
et quae te peperit matrem, in aliam terram,
in qua nati non eſtis, transferam, ubi mo-
riemini, nec in terram, quo redire feret 27.
animus, redibunt. Num ſtatua contemta et 28.
caſſa eſt vir ille Chonias? aut vas quod dis-
pliceat? ut transferatur et ipſe, et ejus pro-
genies, et in ignotam ſibi terram projician-
tur? O terra! terra! terra! audi Jovae dictum. 29.
Sic dicit Jova: ſcribatur vir ille orbus, vir 30.
infelicis aevi, quippe cujus ex ſtirpe nemo
ſit eam felicitatem conſequuturus, ut in Da-
vidis ſolio ſedeat, aut deinceps imperet Ju-
daeae.

NOTAE.

Cap. XXII, 1. רד *Deſcende* ſcil. ex monte templi, ubi verſari propheta ſolebat. Alias ad palatium regium *aſcendi* dicitur, hic vero *deſcendi*, quia, obſervante C. B. Michaelis in Diſſertat. *de notionibus Superi et Inferi* §. XXXIX. (*in Commentatt. Theologg.* P. V. p. 461.), ſacra

sacra fastigia praeponderant tum fastigiis physicis, tum fastigiis moralibus mere civilibus. Unde et infra XXXVI, 12. Michaeas e templo, ubi prophetias Jeremiae publice a Barucho praelectas audierat, *descendi ad domum regis, ad cancellariam* dicitur. Vid. et 2 Chron. XXIII, 20.

2. הַבָּאִים בַּשְּׁעָרִים הָאֵלֶּה *Qui veniunt,* qui ire solent, *per portas istas* palatii regii, vid. Vs. 4. et confer supra XVII, 20.

3. עָשׁוֹק Kimchi notat esse Adjectivum formae קָרוֹב *propinquus* et גָּדוֹל *magnus,* significatu haud diversum ab עֹשֵׁק *oppressor.* אַל־תֹּנוּ *Ne fraude opprimatis.* Jarchi significari ait אונאה דברים *defraudationem verborum,* i. e. quando alter alterum dolosis consiliis et verbis seducit, eumque damno afficit.

4. וּבָאוּ *Venietis*, ingrediemini portas hujus palatii uti adhuc, ita porro, pacati nec infestati ab hostibus. מְלָכִים יֹשְׁבִים לְדָוִד *Reges qui sedent pro Davide*, ejus loco, regni ex familia Davidica successores, ut supra XIII, 13. — רֹכְבִים בָּרֶכֶב וּבַסּוּסִים *Vecti curru et equis,* quod splendorem regium indicat, ut supra XVII, 25., ubi eadem quae hic habentur.

5. בִּי נִשְׁבַּעְתִּי כִּי־לְחָרְבָּה יִהְיֶה הַבַּיִת הַזֶּה *Per me juravi quod vastationi erit haec domus,* vastatum iri hoc regium palatium (Vs. 1. 4. 6.), atque adeo templum et urbem, Vs. 8.

6. In verbis גִּלְעָד אַתָּה לִי רֹאשׁ הַלְּבָנוֹן interpretandis et veteres et recentiores admodum variant. Graecus Alexandrinus illa sic reddidit: *Γαλαὰδ σύ μοι ἀρχὴ τοῦ Λιβάνου.* Quod sequutus Hieronymus ita vertit: *Galaad tu mihi caput*, sive *principium Libani.* Ad quae in Commentario: „Praesenti loco, quia ad domum regiam loquebatur, per metaphoram loquitur ad templum, sive ad domum stirpis Juda, quod ipsa sit in excelso. Sive quod de Templo

Templo atque Sacrario omnium peccatorum remedia posceбantur. Unde et hic idem propheta commemorat [supra VIII, 21.]: *Numquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi?*" Similiter Chaldaeus: אִלּוּ אַתְּ חֲבִיב קֳדָמַי כְּבֵית מַקְדְּשִׁי דְּרָם בְּרֵישׁ טוּרַיָּא *quamvis tu sis dilectus coram me sicut domus Sanctuarii, quae est excelsa in cacumine montium.* Quae sua fecit Jarchi, addiditque rationem eandem quae ab Hieronymo allata: „Gilead hic indicat domum Sanctuarii, quoniam ab eo toti mundo venit opobalsamum et sanatio." Kimchi: „Quemadmodum Gilead urbs primaria fuit regionis Trans-Jordanicae, regni videlicet Ogi et Sichonis atque Basanitidis, quae tota Gilead vocabatur, ita tu, Hierosolyma, es caput regni Israelitici, itemque es *caput Libani*, quoniam terra Israelitica Libanon vocatur Deut. III, 25. *regio montana haec bona est Libanon.*" Alii, ut Doederlein ad Grotium, et Schnurrerus, sedem regiam *Gileaditidem* et Libani verticem dici existimant, quod esset ex cedris, e Libano petitis, exstructa, atque ex quercubus, quas aleret praestantissimas Basanitis, Jesaj. II, 13. Ezech. XXVII, 6. Zachar, XII, 2. In hunc modum et C. F. Michaelis locum sic interpretatur: „Quasi Gilead, alias Basan, praestantissimis quercubus abundans, *tu es mihi*, i. e. me efficiente et benedicente (cf. Jon. III, 3.), et velut *cacumen Libani*, cedris undiquaque oblitum. Sensus: ex benedictione mea fuisti quidem hucusque florentissima, ex quercubus cedrisque firmiter et magnifice exstructa, Vs. 13. 14. 15., et cf. 1 Reg. VII, 2.; sed haec tua magnificentia mox commutabitur cum miserrima desolatione." Malim familiam regiam ad illud usque tempus florentem cum Libano et Gileaditide potius ob earum regionum fertilitatem et amoenitatem comparari; Gileaditis enim abundabat pascuis (cf. infra L, 19.), et Libani gratissimus odor ex arboribus et herbis fragrantibus laudatur Hos. XIV, 7. 8. Cant. IV, 11. 15. Vel comparatur regia majestas cum Libani cacumine. Male Venema sensum hunc esse statuit:

eandem

eandem destructionem subibis, quam Damascus et Gilead. Neque enim *vertice* Libani Damascus apte significatur, quae ad illius montis radices sita est. In alia omnia abit J. D. Michaelis, duplicem hunc locum interpretandi rationem in medium praeferens. „Quid?“ inquit, „si ita potius: *tu, cedrifero hactenus Libano similis, fies mihi ut Gilead*, i. e. ut desertum. Nempe tota regio Gilead desertum erat pascuale, ipseque vertex montis nudus. Aut quid si גלעד hic divisis vocibus pronuntiandum sit, ut Genes. XXXI, 48. גַּל עֵד *tumulus testimonii?* Erit autem *tumulus testimonii* tumulus ruinarum, quae testimonio sunt posteris, severe punire Deum. Sic רֹאשׁ הַלְּבָנוֹן non ad praecedentia referendum erit, sed ad sequentia, hoc modo: *Sic dixit Jova palatio regio: nisi tu mihi fies tumulus testimonii! tu, o caput Libani*, h. e. aedes cedrina, *nisi* etc.“ Michaelis conjectura, esse גַּל עֵד legendum, probata est Henslero, sed locum sic interpretatur: *te, o vertex Libani mutabo in lapidum tumulum, in memoriam* poenae, quam incolae sui subierunt. Quod adeo arrisit Schalomo Haccohen, ut fateretur, se nisi foedus cum Masora sibi esset, quo minus ab ea quam illa tradidit, legendi ratione recederet, illam interpretationem reliquis omnibus antelaturum esse. Nobis quidem prorsus supervacanea videtur illa de mutando גִּלְעָד in גַּל עֵד conjectura; manifeste enim Gilead et Libani cacumen opponuntur deserto et urbibus desolatis in altero hemistichio. Qua de causa nec Eichhornio adstipulari nequeo, Hierosolymam Gileaditidi et Libano ideo comparari existimanti, quod eorum tractuum saltus latronum latibula essent, unde Hos. VI, 8. Gilead appellatur *urbs plena patrantium pessima quaeque.* Nec ad urbem, sed ad regiam domum (עַל־בֵּית מֶלֶךְ יְהוּדָה) sermo hic dirigitur. Ad formulam, quae hemistichium alterum inchoat, jurisjurandi, אִם־לֹא *si non*, subaudiendum est חַי אָנִי *ita vivam* (cf. Num. XIV, 28. 35.), *si non* אֲשִׁיתְךָ מִדְבָּר *reddam te desertum*, עָרִים לֹא נוֹשָׁבוּ aut velut *urbes quae non habitantur*. Postremae

vocis

vocis literae in textu scriptae sunt מוּשָׁבָה efferendae, i. e. quarum unaquaeque non habitabitur.

7. וְקִדַּשְׁתִּי עָלֶיךָ מַשְׁחִתִים *Et consecrabo adversus te qui perdant.* קִדֵּשׁ hic *destinare, praeparare* valet, ut supra VI, 4., ubi not. cf. Graecus Alexandrinus vertit *καὶ εἰσάξω*. Sed versio Syro-Hexaplaris exhibet *ἁγιάσω*, uti Theodoretus, qui explicat per *ἀφορίσω segregabo*. Bene Syrus: ܘܐܛܝܒ *et praeparabo*. אִישׁ וְכֵלָיו *Virum*, i. e. unumquemque, *et instrumenta sua*, cum instrumentis suis destructoriis, כְּלֵי מַפָּצוֹ, uti est Ezech. IX, 2. — וְכָרְתוּ מִבְחַר אֲרָזֶיךָ *Et caedent electionem cedrorum tuarum*, i. e. aedificia tua electissimis cedris structa; cf. infra Vs. 14. 23. Jesaj. XXXVII, 24.

8. Eadem quae hoc Versu interrogandi formula Deut. XXIX, 23. 1 Reg. IX, 8. 9.

10. אַל־תִּבְכּוּ לְמֵת וְאַל־תָּנֻדוּ לוֹ *Ne defleatis mortuum, nec condoleatis ei.* „Josias, rex justus, tres filios habuit, Joachaz, et Jacim, et Sedeciam, quorum primum rex Aegypti, Pharao Nechao, captivum duxit in Aegyptum, ibique mortuus est, et constituit pro eo regem Eljacim, fratrem ejus. Quo mortuo regnavit filius ejus Jechonias, qui a Nabuchodonosore, rege Babylonio, cum matre et principibus ductus est in captivitatem, pro quo patruus ejus regnavit Sedecias, qui capta Jerusalem ductus est in Babylonem [2 Reg. XXIII. XXIV. XXV.]. Quaeritur itaque, quis sit iste, qui fleri non debeat, ducendusque sit in captivitatem, et ultra non reversurus, quum tres capti sint atque transducti? Hebraei putant hoc omnibus convenire, id est, Joachaz, et Jechoniae, et Sedekiae, appellarique omnes filios Josiae *Sellem* sive *Sellum* [Vs. 11.], quod interpretatur *consummatio*, sive *completio*; eo quod regnum Juda in ipsis finitum sit. Mihi autem proprie hoc dici videtur de Sedecia, de quo et praesentis et praeteriti Capituli prophetia est, in quo vere regnum Juda finitum est, sub quo et urbs capta est, ductusque in Babylonem

ibi

ibi mortuus ſcribitur. Iſte eſt *Sellum*, id eſt, conſummatio atque completio, filius Joſiae, rex Juda, qui regnavit pro Joſia, patre ſuo. Jechonias autem non fuit filius, ſed nepos Joſiae, filius Joacim, ut a principio viſionis, quando miſit ad Jeremiam rex Sedecias Phaſur, filium Melchiae, et Sophoniam, filium Maaſiae, ſacerdotem [XXI, 1.], usque ad iſtud Capitulum, omnia ad regem, et de rege Sedecia dici intelligamus.“ Hieronymus. Sed שַׁלֻּם Verſu ſequ. nequaquam eſſe nomen appellativum, ſed proprium, res ipſa docet, quum filius Joſiae appelletur. Jarchi et Kimchi *mortuo* illo, *qui non ſit deflendus*, ſignificari putant Jojakimum, qui mortuus eſt extra urbem, in exilium abreptus. Sed de eo demum infra Vs. 13—19. agitur. Rectum vidit inter veteres Chrysostomus in Catena apud Ghislerium, mortuo illo intelligi Joſiam, et inter recentiores Grotius, qui ad verba *nolite flere mortuum* notat: „regem Joſiam, qui in proelio contra Aegyptium glorioſe occubuerat, ereptus adventantibus malis, 2 Reg. XXIII, 29. 30. XXII, 20. Jeſaj. LVII, 1.“ Ita et C. B. Michaelis: „*Ne ploretis de mortuo*, ſcil. Joſia, piiſſimo rege, de quo magnus erat populi luctus, 2 Paral. XXXV, 24., ipſiusque Jeremiae, Vs. 25., ac proinde, obſervante Schmidio, luctus non ſimpliciter h. l. prohibetur, ſed comparative; quaſi dicat: non tam flebitis ſuper mortuo, de quo ſupereſt conſolationis argumentum (2 Reg. XXII, 20.), quam ſuper eo qui abivit. Forte tamen per *mortuum* intelligi poſſet *Jochanan*, primus Joſiae filius, 1 Paral. III, 15.,“ quem alii ante patrem obiiſſe, alii cum patre in proelio occubuiſſe putant. Sed quum toto hoc Capite ii tantum, qui regnum ſunt adepti, memorentur, ſatius eſt, *mortuo* Joſiam intelligere. בְּכוּ בָכוֹ לַהֹלֵךְ *Deflete flentes eum qui abivit*, „Schallumum, anteceſſorem peſſimi ac crudeliſſimi regis a Pharaone Necho in Aegyptum abductum ibiique mortuum, 2 Reg. XXIII, 33. 34. Non deflendus erat Joſias, nimis ille bonus, quam deſiderare talem audeas, ſed mediocris princeps Schallumus. Egregie dictum illo

in

in populo, qui unicum et incomparabilem regem, Joſiam, omnibus lamentis ſuis et epicediis intexere ſolebat, illum unum flens et deſiderans, 2 Paral. XXXV, 25." J. D. MICHAELIS.

11. אֶל־שַׁלֻּם non eſſe vertendum *ad Schallumum*, ceu praeſentem (coll. Vs. 15.), ſed *de Schallumo*, jam in exilium abducto, ut Geneſ. XX, 2. *Dixit Abrahamus* אֶל־שָׂרָה *de Sara, uxore ſua, eam eſſe ſuam ſororem*, vere monet C. B. MICHAELIS. Qui hic memoratur *Schallum Joſiae filius*, cujus alias non fit mentio, Hieronymus haud diverſum habet a Zedekia; vid. not. ad Vs. 10. Quae eſt plurium ex Hebraeis ſententia, JARCHII quoque, qui hanc rationem reddit, quod 1 Paral. III, 15. Schallum quartus Joſiae filius recenſetur; fuiſſe igitur Zedekiam binominem. Quum vero 2 Reg. XXIII. XXIV. tres tantum Joſiae filii commemorentur, Joſias, Jojakimus et Zedekias; rationem cur Zedekias 1 Paral. III, 15. *quartus* Joſiae vocatur, Jarchi reddit hanc, quod ille quartus poſt Joſiam inter ejus filios regnaſſet; primo enim regnavit Joachaſus, tum Jojakimus, deinde hujus filius, Jojachinus, Joſiae nepos, denique Zedekias. Sed hoc loco expreſſe dicitur, Schallumum regnaſſe *patris ſui loco*, quod alias, ut 2 Reg. XXIII, 30. XXIV, 6., ſignificat, eum ſucceſſiſſe patri. Zedekiam vero Jojachino in regno ſucceſſiſſe conſtat, 2 Reg. XXIV, 17. Qua de cauſa nec KIMCHII admitti poteſt ſententia, Schallumum fuiſſe Jechoniam; neque enim is Joſiae, patri ſuo, ut hic dicitur, ſed Jojakimo, ipſius patri, in regno ſucceſſit, 2 Reg. XXIV, 6. Praeterea de Jechonia infra demum Vs. 24. ſeqq. agitur. Quod vero Chronicorum ſcriptor Schallumum quartum Joſiae filium fecit, videtur ex hoc noſtro loco ſiniſtre accepto hauſiſſe. Rectum vix dubium eſt vidiſſe ABEN-ESRAM, Schallumum eſſe eundem, qui alias Joachaſus, huic ſoli enim conveniunt, quae hic de Schallumo dicuntur, eum patri ſuo Joſiae in regno ſucceſſiſſe atque e patria abductum in peregrina terra mortuum eſſe. Schallumum eſſe Joachaſum, agnoſcit et

FRANC.

Franc. Junius, ei vero id nomen conjicit inditum eſſe a populo boni ominis cauſa, cum inungeretur; „etſi," addit, „probabilius videtur, Jeremiam nomen Schallum tribuere ironice, quaſi dicat, hunc alterum fuiſſe Schallumum, qui non longe diutius regnum obtinuerit, quam Schallum, Jabeſchi filius, rex praefuit Iſraelitis, 2 Reg. XV, 13." Is enim per menſem tantum regnum tenuit, et Joachaſus tres menſes, 2 Reg. XXIII, 31. Pro הַמֹּלֵךְ *qui regnavit,* Arabicus interpres, notante C. B. Michaelis, poſuit المُتَمَلِّكِ *qui regnum occupaverat,* „ſcilicet contra jus fasque, quippe Jojakimo minor, Paral. III, 15." Erat enim Joachaſus cum regnum capeſſeret viginti tres annos natus, 2 Reg. XXIII, 31., Jojakimus vero, qui tres menſes poſt in regnum ſucceſſit, erat viginti quinque annos natus, ibid. Vs. 36. Sed a populo regem electum fuiſſe dicitur 2 Reg. XXIII, 30. אֲשֶׁר יָצָא מִן־הַמָּקוֹם הַזֶּה *Qui exibit ex hoc loco,* Hieroſolyma in Aegyptum abductus a Pharaone Nechone, 2 Reg. XXIII, 33. לֹא יָשׁוּב שָׁם עוֹד *Non redibit eo amplius,* „quod ſperaſſe videntur cives, quorum gratia floruiſſe Joachaſum neceſſe eſt, quippe qui eum regem elegerant. Contra odiſſe videntur tyrannum Jojakimum, cujus atrox ingenium ita horruiſſe videntur, ut regnum antea plane haereditarium in electivum mutarent, patremque ejus natu minorem regem crearent." J. D. Michaelis.

12. כִּי בִּמְקוֹם אֲשֶׁר־הִגְלוּ אֹתוֹ שָׁם יָמוּת *Nam eo in loco, quo eum abduxerint, morietur,* i. e. in Aegypto 2 Reg. XXIII, 34. 2 Paral. XXXVI, 4.

13. Jam poenas denunciat Jojakimo, Schallumi, ſive Joachaſi fratri et ſucceſſori, coll. Vs. 15. 18. וַעֲלִיּוֹתָיו בְּלֹא מִשְׁפָּט *Et qui aedificat coenacula ſuo ſine jure,* eo tyrannice violato, negata videlicet mercenariis mercede, uti ſequitur. בְּרֵעֵהוּ יַעֲבֹד חִנָּם *Socio ſuo* i. e. aliis *pro ſervo,* ſ. *pro ſervis utitur gratis,* nullo ei ſoluto pretio. וּפֹעֲלוֹ *Et*

Et opus ſuum, i. e. mercedem laboris ſui, ut פְּעֻלָּה Levit. XIX, 13; et פֹּעַל Job. VII, 2. ad quem loc. cf. not.

14. אֶבְנֶה־לִּי בֵּית מִדּוֹת *Aedificabo mihi domum menſurarum*, qua J. D. Michaelis domum ad artem architectonicam ſecundum aptas et pulchras menſuras aedificatam, oppoſitam antiquae, quae forſan nonnihil vitii haberet, ſignificari exiſtimat. Sed quemadmodum אַנְשֵׁי מִדּוֹת *viri menſurarum* Num. XIII, 32., et אַנְשֵׁי מִדָּה *viri menſurae* Jeſaj. XLV, 14. ſunt homines altae et procerae ſtaturae, ita non dubium eſt, *domum menſurarum* eſſe altam et ſpatioſam. מְרֻוָּחִים Graecus Alexandrinus vertit *ῥιπιστὰ perflabilia*, quae aeſtate lenis et jucundae aurae ῥιπισμῷ ſ. ventilatione refrigerantur, probante Fullero in *Miscellan. SS.* L. III. Cap. 5. Sed rectius Aquila et Symmachus εὐρύχωρα, et eos ſequutus Hieronymus *ſpacioſa* reddidit; eſt enim Participium Pyhal verbi רָוַח *latus, dilatatus fuit*, 1 Sam. XVI, 23. Job. XXXII, 20., ubi וְיִרְוַח לִי *ut laxius ſit mihi* oppoſitum eſt τῷ צַר לִי *anguſtum eſt mihi*. וְקָרַע לוֹ חַלּוֹנָי *Et disrumpit*, i. e. disrupto pariete facit *ſibi feneſtras*. Sic בָּקַע *findere* pro: fiſſa rupe educere ſcaturiginem, eſt Pſ. LXXIV, 15. „Aut dici poſſet, verbum illud arguere ſimul vanitatem et exceſſum in refingendis quae modo ſtructa fuerant; cui vitio dediti ſunt, qui aedificandi morbo laborant. Sic *rumpere oculos*, ſupra IV, 30., pro: *illinere* ita, ut prae nimietate rumpantur fere.“ C. B. Michaelis. חַלּוֹנָי eſt Pluralis ad formam Pluralis ſtatus conſtructi Syrorum, ut גּוֹבַי *locuſtae*, Amoſ. VII, 1. Nah. III, 17.; cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 523. וְסָפוּן בָּאָרֶז *Et tecta*, tabulata ſcil. domus eſt *cedro*. Graecus Alexandrinus: ἐξυλωμένα ἐν κέδρῳ, *contignata cedro*, ut Hieronymus reddidit. Ipſe recte interpretatur: *et facit laquearia cedrina*. Chaldaeus: וּמְטַלֵּל בְּכִשּׁוּרֵי אַרְזַיָּא *et obtegit trabibus cedrinis*. Syrus: ܘܡܛܠܠ ܠܗܘܢ ܒܐܪ̈ܙܐ *obtegit eas*, feneſtras, *cedris*. Videtur, notante J. D. Michaelis, de *reticulis* (*Jalouſieen*) cogitaſſe. Vid. J. E. Faber

Archäo-

Archäologie der Hebräer p. 435. Geo. Huszti in Dissertatione *de linguae hebraicae Synonymis* in *Sylloge Dissertatt. sub praesid. H. et J. J. Schultens defensar.* p. 228. סָפוּן בָּאָרֶז interpretatur *opus rasum*, politum, *e cedris* affabre elaboratum, collato Arabico سفن *ascia-vit, abrasit.* Qui significatus tamen Hebraeis non videtur usitatus fuisse. וּמָשׁוֹחַ בַּשָּׁשַׁר *Et picta rubro colore.* מָשׁוֹחַ, Adjectivum formae קָרוֹב, רָחוֹק, proprie *uncta*, hinc *picta*, quia quod pingitur, coloribus ungitur quasi et obducitur. שָׁשַׁר (in pausa שָׁשָׁר), praeter hunc locum semel tantum, Ezech. XXIII, 14., obvium, significatu haud diversum videtur ab Arabico أَشْقَرُ *rubicundus.* Ita jam Graecus Alexandrinus: καὶ κεχρισμένα ἐν μίλτῳ. Est autem μίλτος, teste Suida, genus coloris rubri, minium. Hieronymus: *pingitque sinopide*, de qua Plinius *Hist. Nat.* L. XXXV. Cap. 6. §. 13. *Nascuntur sinopis, rubrica, paetonium, melinum, eretria, auripigmentum. Sinopis inventa est primum in Ponto, inde nomen a Sinope urbe.* — — — *Species sinopidis tres, rubra, et minus rubens, et inter has media.* Sed Chaldaeus: וּמְצַיַּר בְּסַמְמָנִין *et pictum coloribus*, vel: *figuris*, ut סַמְמָנִין idem sit quod סִימָנִין, σημεῖα, *signa, figurae.* Ita Syrus: ܘܨܳܪ ܠܗܽܘܢ ܒܨܘܪ̈ܬܳܐ *et pingit eos* (fenestras) *figuris.* Convenit Arabs: وَمَدْهُونَةً بِتَمَاثِيل *et inunctas* i. e. pictas *imaginibus.* J. D. Michaelis verba וּמָשׁוֹחַ בַּשָּׁשַׁר mallet vertere: *et mensuratam* (domum) *funiculo*, quum Arabibus مسح et Syris Chaldaeisque מְשַׁח *mensurare* significet, et שָׁשַׁר cognatum sit cum Chaldaico שִׁישׁוּרָא *funis*, pro שַׁרְשְׁרָא, et Syriaco ܫܫܠܬܐ *catena*, mutato R in L ejusdemque originis. Convenit ex parte interpretatio a Jarchio allata: *allignement en sinople*, i. e. mensuratam filo mensorio rubro colore tincto. Verum non erat, cur palatium fune

ſune menſorio menſuratum ſibi aedificare velle rex diceret, quum ille in quibusvis domibus exſtruendis adhibendus ſit. Sed magnificum, ſumtuoſis laquearibus exornatum, lucidisque coloribus ſplendidum palatium ſe exſtruere ſibi velle ſignificat.

15. הֲתִמְלֹךְ כִּי אַתָּה מְתַחֲרֶה בָאָרֶז *Num regnabis quod tu certas in cedro ſ. cedris?* putasne, te regem gerere, vel, te propterea in regno perſtiturum, quod faſtuoſis et ambitioſis palatiis exſtruendis cum tuis majoribus certas iisque antecellere ſtudes? Jarchi: „An prolongabis dies, quoniam temet extollis, ut gloriam tibi arroges, teque regem eſſe oſtendas?“ De verbo תַּחֲרָה *contendere* vid. not. ſuper ad XII, 5. Doederlinio ad Grotium מְתַחֲרֶה a חָרָה *arſit, ferbuit* eſt *bellum inferre*, unde locum ſic interpretatur: *Tune regem agis, cum cedris bellum indicis* easque exſcindis? Schnurrero quoque formula *contendere cum cedris* eſt: ferri adverſus cedros, easque caedere. Quod tamen neſcio quid minus concinni mihi habere videtur. Hieronymus vertit: *numquid regnabis, quoniam confers te cedro?* quod in Commentario ſic exponit: „Numquid, ait ſermo divinus, regnare poteris in perpetuum, quoniam conferre te cupis cedro excelſae, patri tuo Joſiae videlicet, regi juſto?“ Eodem modo et Chaldaeus: הַאַתְּ מְדַמֵּי לְמֶהֱוֵי כְּמַלְכָּא קַדְמָאָה *putasne te eſſe inſtar regis prioris?* Et Aquila: ὅτι σὺ ἁμιλλᾶσαι πρὸς τὴν κέδρον, *quod certas cum cedro.* Theodoretus: Κέδρον τὸν Ἰωσίαν ἐκάλεσεν, ἐσχηκότα τῆς βασιλείας τό διαρκές. *Cedrum Joſiam vocavit, qui regnum uti par erat adminiſtravit.* Inter recentiores huic interpretationi calculum ſuum adjecit J. D. Michaelis; „cedri,“ inquit, nomine intelligo magnum regem, Joſiam, hoc ſenſu: ſuperare ſtudes patrem tuum, atque, humilis ſpina, cedro te aequiparas. Vid. 2 Reg. XIV, 9., ubi ſpina, connubium cedri expetens, conteritur ab apro.“ Quod in Syriaca verſione legitur, ܡܚܕܝܬ ܒܐܪ̈ܙܐ *exhilaras te cedris*, ſive, *gaudes cedris,* Michaelis veriſimiliter conjicit eſſe vitioſe ſcriptum

ſcriptum pro ܡܬܚܪܐ ܒܐܪ̈ܙܐ *certas cum cedris.* Eſt tamen error antiquus, quem jam Ephraemus, Hebraica non legens, ſequutus eſt, explicatque de domo cedrina, in qua laetetur. Sed in alia omnia abit Graecus Alexandrinus, qui prius Verſus hemiſtichium ſic reddidit: *μὴ βασιλεύσῃς, ὅτι σὺ παροξύνῃ ἐν Ἀχαζ, τῷ πατρί σου*; quod Hieronymus ita vertit: *numquid regnabis, quoniam tu contendis in Achaz, patri tuo?* Pro בארז Graecum interpretem באחז legiſſe patet. Sed codex Alexandrinus et Arabicus interpres habent Ἀχαάβ. Hieronymus fatetur, quem ſenſum haec verba habeant juxta Septuaginta, ſe non poſſe intelligere. Contra Grotius adſcito בְּאָחָז ſenſum optimum prodire judicat, videlicet hunc: *ideone te diu ac feliciter regnaturum putas, quod Achazi exemplo peccas?* Mallem potius: quod cum Achazo impietate certas. Nec eſſet Alexandrina interpretatio repudianda, niſi ſtatim adderet vates, patrem Jojakimi bene et juſte regnaſſe, quod de Achazo minime dici potuit. אָבִיךָ הֲלֹא אָכַל וְשָׁתָה *Pater tuus nonne edit et bibit?* i. e. non ſordide, nec minus regie et magnifice vixit quam tu, ſed longe aliam viam ingreſſus, וְעָשָׂה מִשְׁפָּט וּצְדָקָה *ſed fecit jus et juſtitiam*, non neglexit juris et juſtitiae curam, et tu facis. אָז טוֹב לוֹ *Tunc bene ei* erat, bene ſe habuit, ut Jeſaj. III, 10. Hoſ. II, 9. Syrus: ܡܛܠ ܗܘܐ ܐܬܛܐܒ ܠܗ *ideo bene feci ei.* Graecus Alexandrinus poſterius Verſus hemiſtichium inde ab הֲלֹא (nam אָבִיךָ illum ad primum hemiſtichium referre vidimus) ſic reddidit: *οὐ φάγονται καὶ οὐ πίονται· βέλτιον ἦν σε ποιεῖν κρίμα καὶ δικαιοσύνην καλήν.* Verba *non edunt neque bibunt* deſcribunt miſerum Judaeorum ſtatum, et quae deinceps ſequuntur, *melius erat te judicium et bonam juſtitiam facere*, vituperant Jojakimum, quum in Hebraeo laudetur Joſias, juſtitiae et pietatis amans. Recte Hieronymus judicat haec ita inter ſe diſpoſita et confuſa, ut absque veritate Hebraicae lectionis nullum ſenſum habeant.

16.

16. אָז טוֹב *Tunc bene* erat, i. e. omnia in republica bene ſtabant, erant omnia proſpera et optata. הֲלֹא־הִיא הַדַּעַת אֹתִי *Nonne haec eſt cognitio mei?* argumentum, ſive indicium verae cognitionis meae. *Cognoſcere Deum* dicuntur qui factis oſtendunt ſcire ſe quid Deo placeat, quod fecerat Joſias. Syrus: ܡܢ ܕܥܒܕ ܗܠܝܢ ܗܘ ܝܕܥ ܠܝ *qui talia facit is cognoſcit me.* Minus accurate Chaldaeus: הֲלָא הִיא דַּעְתָּא דְּרָעֵינָא *nonne haec eſt ſcientia, qua delector?* Sed plane improbandus Junius, qui verba ſic interpretatur: *annon illud* eſt? *hujus rei ſcientia* eſt *apud me,* i. e. annon tu illa facis quae antea dicta ſunt? nonne illorum criminum reus es? ut neges pertinaciſſime, et omnes alii ignorent, ego certe optime novi. Quam interpretationem non ferunt verba הַדַּעַת אֹתִי.

17. כִּי אֵין עֵינֶיךָ וְלִבְּךָ כִּי אִם־עַל־בִּצְעֶךָ *Sed non ſunt oculi tui et cor tuum niſi ad quaeſtum tuum.* Chaldaeus: עַל מָמוֹנָא לְמֵיגַס *ad pecuniam rapiendam.* Similiter Jeſaj. LVI, 11. *Omnes ad viam ſuam reſpiciunt,* אִישׁ לְבִצְעוֹ *unusquisque ad quaeſtum ſuum,* ſcil. reſpicit, ſ. intentus eſt. Et Ezech. XXXIII, 31. אַחֲרֵי בִּצְעָם לִבָּם הֹלֵךְ *quaeſtum ſuum cor ipſorum ſectatur.* וְעַל דַּם־הַנָּקִי לִשְׁפּוֹךְ *Et ad ſanguinem innocentis* ſ. *innocentum effundendum,* veluti Uriae, prophetae, infra XXVI, 21. 23. Ad מְרוּצָה, quod alias, v. c. infra XXIII, 10. *curſum* denotat (unde et hic Hieronymus vertit: *ad curſum mali operis,* parum commode), recte monet Jarchi, h. l. ſignificare *concuſſionem pauperum,* quod inde appareat, quod cum עֹשֶׁק *oppreſſio, violentia* jungitur, ſolere enim verba עָשַׁק et רָצַץ fere conjungi, ut 1 Sam. XII, 3. אֶת־מִי עָשַׁקְתִּי וְאֶת־מִי רַצּוֹתִי *quemnam oppreſſi et quemnam concuſſi?* Verbum רוּץ, ad quod מְרוּצָה referendum, communem habet ſignificatum cum רָצַץ, ut Cohel. XII, 6. Jeſaj. XLII, 4., ut לוּץ et לָצַץ *deridere;* cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 453. Ad *conquaſſandi* notionem reſpexiſſe videtur et Graecus Alexandrinus, qui καὶ εἰς φόνον reddidit. Minus feliciter

in nomine מְרוּצָה tractando verſatus eſt J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 1555., ubi ad מָרַץ *aegrotavit* retulit: *morbum animi* i. e. pravas cupiditates ſignificare ratus. Neque enim *morbo* convenit verbum לַעֲשׂוֹת *facere*. Senſu cum Michaeli convenit Chaldaeus, qui ſic vertit: וְעַל דִּבְרְעוּת נַפְשָׁךְ לְמֶעְבַּד *et ſecundum id quod in animi tui deſiderio facere.* Sed hic interpres מְרוּצָה retulit ad רָצָה *voluit.*

18. Bene Grotius: „Jeremias, ſicut retulerat Sedeciae ea quae fratri ejus Joachazo, ſive Sallumo, ex Dei mandato antehac dixerat (Vs. 10 — 12.), ita pergit referre quae Jojakimo quondam regnanti, itidem fratri Sedeciae, dixerat; venturus deinde ad Jechoniam (Vs. 24.), qui proxime in regno Sedeciam praeceſſerat, ut ultionis ejus, quam Deus ſumere parabat, juſtitia, ex tot monitis ac minis antecedentibus apertior fiat.“ לֹא־יִסְפְּדוּ לוֹ הוֹי אָחִי *Non plangent ſuper eo,* dicentes: *heu frater mi!* „Sic luctus ſuperſtitis Zedekiae fratris ceterorumque conſanguineorum deſcribitur, cf. 1 Reg. XIII, 30. וַיִּסְפְּדוּ עָלָיו הוֹי אָחִי *et plangebant ſuper eo: heu frater mi!* וְהוֹי אָחוֹת *Et heu ſoror!* de Regina, quae quidem poſt Jojakimum aliquamdiu ſuperſtes, tandem vero cum Jechonia filio Babelem transmigravit, ibique mortua eſt, Vs. 26. 2 Reg. XXIV, 12. Placet igitur, quod Schmidius obſervat, reſpici ad morem plangentium, qui modo deplorant mortuos ipſos, modo ſuperſtites, quibus mors eorum maxime lamentabilis accidit.“ C. B. Michaelis. Haec explicatio tamen Schnurrero habere videtur hanc difficultatem, quod qui regis ſorori dolorem ſuum teſtificentur, non poſſent decenter de rege juſto familiarius *fratris* nomen uſurpare, niſi ſtatuas, ſolos regis fratres ſuperſtites eſſe intelligendos. Latiſſime autem patet illud לֹא יִסְפְּדוּ לוֹ, et univerſos nullo discrimine complectitur. Nimirum formulae iſtae non cognatorum regis et amicorum ſunt, ſed civium, omniumque qui regis imperio ſubſint: et conſtat, nomina אָח, אָחוֹת, non in fratres tantum et ſorores cadere, ſed de

omnibus

omnibus valere, qui ejusdem sint gentis atque originis. Negat igitur propheta futurum esse, ut in jactura talis regis Judaeus Judaeum Judaeamque compellet, dicatque: *heu frater! heu soror!* quam nos jacturam patimur! In communi moerore et luctu qui versantur, brevissimis inter se vocibus, uti possunt, ac fere uti solent; et aptissimae sunt istae, quas auctor adhibet, formulae; sunt enim ad naturam ipsam effictae atque expressae. Schnurrero adstipulatur Henslerus in eo, quod non de regia familia, sed de universo populo haec dicta intelligantur, sed recte monet, non esse illas formulas הוֹי אָחִי וְהוֹי אָחוֹת tales, quibus Judaei in communi vita regis jacturam invicem deplorarint, sed exordium lessi, quo uti in publica et solenni lamentatione in regio funere solerent. De illa enim verbum סָפַד usurpari constat; et formulam הוֹי אָדוֹן *heu domine!* quae hic sequitur, in publico populi luctu adhibitam fuisse, patet e loco infra XXXIV, 5. — וְהוֹי הֹדֹה *Et heu gloria ejus!* regia ipsius majestas, הוֹד מַלְכוּת, ut 1 Chron. XXIX, 25. habetur. Ita hic Chaldaeus: וַי עַל מַלְכוּתֵיהּ *vae ob regiam ejus dignitatem!*

19. קְבוּרַת חֲמוֹר יִקָּבֵר *Sepultura asini sepelietur*, quibus verbis nonnulli, ut J. D. Michaelis in Commentat. *de combustione et humatione mortuorum apud Hebraeos*, in *Syntagm. Commentatt.* p. 226., Jojakimum sine honore sepeliendum significari existimant, sine multa et solenni pompa; sepelisse enim Hebraeos non homines solum, sed et belnas, aves, serpentes, si quid ex illorum cadaveribus ossibusque carnivora animalia reliquissent. Vid. Theod. Dassovii Differtat. *de sepultura animalium Hebraeis usitata*, Vitemberg. 1697. Sed plane inhumatum relinquendum esse impii regis cadaver, apparet tam ex his, quae hoc Versu statim subjunguntur, quam e loco huic parallelo infra XXXVI, 30., ubi Jojakimo minatur vates, ejus cadaver projiciendum esse aestui diurno frigorique nocturno. Recte igitur ad nostrum locum Hieronymus: „Pulchre *sepultura asini* dicit *eum sepeliendum*, ut aliis

 verbis

ſignificet inſepultum, hoc eſt, a beſtiis avibusque lacerandum. Haec eſt enim aſini ſepultura." Ita et Chaldaeus: כְּמָה דִמְשַׁדְּרִין יַת נְבֵלַת חֲמָרָא כֵּן יְשַׁדְּרוּן יַת נְבִלְתֵּיהּ *ſicut projiciunt cadaver aſini, ita projicient ejus cadaver.* Arabicus quoque interpres pro eo quod Graecus Alexandrinus reddidit, *ταφὴν ὄνου ταφήσεται*, dedit: لا يدفنوه دفنا *non ſepelient eum ſepeliendo* ſ. *ſepultura.* Doedertein in *Analectt. SS.* p. 272.: „*Sepelietur ſepulturâ aſini*, projectus, nudus, putredini ſimul et ludibrio expoſitus," eamque et apud alios populos fuiſſe flagitioſorum principum mercedem meritiſſimam exemplis oſtendit. סָחוֹב וְהַשְׁלֵךְ *Trahendo et projiciendo* cadaver illius inſepultum; conf. ſupra XV, 3. Graecus Alexandrinus: *συμψησθεὶς ῥιφήσεται.* Sed Symmachus: *ὡς κόπριον συλληφθεὶς*, *quaſi ſtercus collectus.* Obverſatus ei videtur locus parallelus ſupra XVI, 4. *Non ſepelientur*, לְדֹמֶן יִהְיוּ *in ſtercus erunt in terrae ſuperficie.* Projiciendum vero Jojakimi cadaver minatur מֵהָלְאָה לְשַׁעֲרֵי יְרוּשָׁלָם *procul a portis Hieroſolymae.* Sed 2 Reg. XXIV, 6. Jojakimum legimus *cubaſſe cum patribus ſuis*, qua formula vix dubium eſt ſignificari, regem illum commune cum majoribus ſepulchrum nactum eſſe. Monet quidem J. D. Michaelis, etiam eum *cubari* dici *cum patribus*, qui moriatur, licet non in ſepulchro patrum ſepeliatur, additque, exempla phraſeos attuliſſe Venemam. Verum quae hic laudat loca, quibus probare vult, phraſin *cubare cum patribus* generalem eſſe, nec excludere violentam mortem aut cadaveris projectionem, illud minime probant. Nam quod ad primum, quem affert locum, 1 Reg. XIV, 20. attinet, ubi Jeroboamus, rex Iſraelis, *cum patribus ſuis cubaſſe*, ſive obdormiviſſe dicitur, quum tamen Vs. 10. 11. Achia propheta ei minatus eſſet, ipſum miſere exſtinctum et avibus projectum iri, ille huc non erat referendus. Neque enim Jeroboamo ipſi, ſed iis, qui ejus familiae eſſent, illud vates minatur. Eadem eſt ratio locorum, Reg. XVI, 4. 6. XXI, 21. At

2 Reg.

2 Reg. XIV, 19. Amazia occisus quidem narratur a conjuratis Lachischae, sed additur Vs. 20., ejus cadaver Hierosolymam esse deductum, et ibi in majorum sepulchro depositum. Jojakimum vulgo sumunt quum Babelem a Chaldaeis abduceretur, in via mortuum vel occisum, et in sepultum projectum fuisse. Sed haec mera est conjectura, omni destituta argumento; vid. Prolegomm. ad hunc librum p. 8. not. 8. Nec verisimile, quod J. D. Michaelis suspicatur, magnam partem historiae Jojakimi in libris Regum et Chronicorum intercidisse, et nos nunc textu manco uti.

20. Inde ab hoc Versu usque ad Capitis finem sequitur, quae Jechonijae, Jojakimi filio, quondam minatus fuerat vates; cf. not. ad Vs. 18. et Argument. Praemittit excitationem ad Hierosolymam directam, ut imminens excidium lugeat. עֲלִי הַלְּבָנוֹן וּצְעָקִי וּבַבָּשָׁן תְּנִי קוֹלֵךְ *Ascende Libanum, et clama, et in Basane ede vocem tuam!* Verba et Suffixum feminei generis adhibentur, quod Hierosolyma sub persona feminae, ut saepius, sistitur. „Si הַלְּבָנוֹן vere Libanus mons, et הַבָּשָׁן vere Basan sit; causa non deprehenditur, cur haec magis loca, quam locum quemvis alium adire jubeantur ejulaturi; certe quam interpretes nonnulli afferunt, quod clamor editus ex eminentioribus locis latius percipi queat (coll. supra III, 21. VII, 29.), vix putaverim posse satisfacere. Innuitur vero arx regia, quae Hierosolymis immineret. Nam proximo Versu 23. *in Libano habitare* ex sententiarum parallelismo idem est ac habitare in cedris, hoc est, in aedibus, nobilissimi ligni, cedrini, copiam habentibus; et in eo qui praecedit sermone, supra Vs. 6. sedes regia, בֵּית מֶלֶךְ יְהוּדָה, *Gilead* dicitur et *Libani vertex*, quod esset ex cedris e Libano petitis exstructa, atque e quercubus, quas praestantissimas aleret Basanitis [qui tamen locus ad hunc illustrandum minus recte adhiberi videtur, vid. not. ad Vs. 6.]. Arcem igitur conscendere jubentur cum Hierosolymitani, tum cives universi ad flebilem vocem tollendam."

Schnur-

Schnurrerus. Chaldaeus: הַלְּבָנוֹן per בֵּית מַקְדְּשָׁא *domum Sanctuarii*, templum, בָּשָׁן vero תַּרְעֵי טוּר בֵּיתָא *portas montis domus* interpretatus eſt. In voce מֵעֲבָרִים interpretanda veteres et recentiores mirum in modum invicem diſcedunt. Graecus Alexandrinus et Theodotion πέραν τῆς θαλάσσης *trans mare* (מֵעֵבֶר יָם ita Syrus ܡܢ ܥܒܪܗ ܕܝܡܐ), Hieronymus *ad transeuntes*, Chaldaeus עַל מְגִיזָתָא *ad vada* reddidit. Recentiorum alii exponunt *ex* monte *Abarim*, in confiniis Moabi contra Hierichuntem, ex quo proſpectus in omnes *oras* ſ. partes, coll. Num. XXVII, 12. XXXIII, 44. 47. 48., alias *Nebo*, Deut. XXXII, 49.; alii vertunt: *ex transitibus* ſcil. Jordanis, h. e. terra transjordanica. Nullum horum ſatis ad rem accommodate. Recte Coccejus in Lexico, Schnurrero probante, interpretatus eſt *ab extremis*, ab oris omnis, i. e. undecunque, cf. infra XLIX, 32. 1 Reg. V, 4. (al. IV, 24.). כִּי־נִשְׁבְּרוּ כָּל מְאַהֲבָיִךְ *Quia fracti*, debilitati, vi ſua et potentia orbati ſunt, *amatores tui*. Iis plures interpretes, inter quos J. D. Michaelis, intelligunt foederatos Judaeorum, inque illis primarios, Aegyptios. Ita jam Hieronymus: „Per metaphoram Libani et Baſan, regionum et montium trans Jordanem, ad Jeruſalem ſermo dirigitur, quod fruſtra in Aegypto ſit confiſa, ſive ad ipſum Jojacim, qui eo tempore regnabat in Jeruſalem, et ab Aegyptiis rex fuerat conſtitutus, quod fruſtra Aegyptiorum ſperet auxilium, et quod ipſi quoque a Babylonio rege ſuperandi ſint et ducendi in captivitatem." Sed de Jojakimo abſolutus erat ſermo Verſu 19., et poſt illum Aegyptii Judaeos non amplius auxilio juvarunt, vid. 2 Reg. XXIV, 7. *Amatoribus* populi Judaici hic regem ejus principesque ſignificari neceſſe eſt, quod et docet parallelismus Vs. 22., ubi *paſtoribus*, hoc eſt, illis, qui rebus praeſunt, reſpondent *amatores*, et Thren. I, 19. quoque Jeremias hoc nomine utitur ad deſignandos rectores reipublicae, et conſiliorum auctores.

2 n

21. דִּבַּרְתִּי אֵלַיִךְ בְּשַׁלְוֺתַיִךְ *Loquutus sum ad te in tranquillitatibus tuis*, quod C. B. Michaelis interpretatur: cum tranquillitatem tibi ab hostibus plus vice simplici reddidissem. Alii pluralem numerum significationis intendendae causa adhibitum existimant, ut sit: in summa et optima tranquillitate. Sed Schalom Haccohen Plurali שַׁלְוֺת designari monet יְמֵי שַׁלְוָה *dies tranquillitatis*, observatque, Hebraeos nomina abstracta in Plurali ponere solere ad significandas res plures ejus qualitatis, quae nomine quodam abstracto designatur, ut גְּבוּרוֹת *fortitudines* sint מַעֲשֵׂי גְבוּרָה *facta fortia*, חָכְמוֹת *sapientiae* לִמּוּדֵי חָכְמָה *praecepta sapientia*, et hujusmodi alia. Conf. ejusdem docti Hebraei תורת לשון עברית i. e. Grammaticam Linguae Hebraicae editam Dessaviae 1807. p. 53. Graecus Alexandrinus: *ἐλάλησα πρός σε ἐν τῇ παραπτώσει σου.* Cepit שַׁלְוֺת significatione Chaldaici שָׁלוּת *error*. Arabicus in Polyglottis interpres, qui Graecam Alexandrinam versionem exprimere constat, hic habet: تَكَلَّمُوا عَلَيْكِ فِي سَقْطَتِكِ quod Latinus in Polyglottis interpres male vertit: *loquuti sunt de te in ruina tua*, quum potius vertere debuisset: *in errore tuo.* Syrus: ܘܡܠܠܬ ܥܡܟܝ ܒܫܘܦܥܘܬܟܝ *alloquutus sum te in affluentia tua.* Chaldaeus: שְׁלַחִית לְוָתִיךְ יַת כָּל עַבְדַי נְבִיַּיָּא כַּד הֲוֵית יָתְבָא שְׁלֵוְיָא *misi ad te omnes servos meos, prophetas, dum tranquilla sedebas.* Hieronymus: „Quodque ait, *loquutus sum ad te*, hoc est, ipse Deus per prophetas, sive: *loquuti sunt ad te*, ut subaudiatur: prophetae mei, *et tu in abundantia tua dixisti: non audiam*, arguit eam superbiae, et quod divitiarum magnitudine abusa sit in contemtum Dei.“ Vocem בְּשַׁלְוֺתַיִךְ Hieronymus junxit iis quae sequuntur, quum tamen accentu distinctivo majore *Sakeph katon* ab illis sejungatur, et vocibus duobus, quae antecedunt, jungi praecipiatur. זֶה דַרְכֵּךְ מִנְּעוּרַיִךְ *Haec est via*

via tua inde ab adolefcentia tua, i. e. ab eo tempore, quo ex Aegypto egrefſa es; cf. not. fupra ad II, 2. p. 69. Hof. II, 17. Jefaj. XLVII, 15. Hieronymus: „Et narrat, quod non folum hoc tempore, fed ab initio, quando educta fit de Aegypto, non audierit vocem Dei.“

22. כָּל־רֹעַיִךְ *Omnes paſtores tuos*, i. e. reges, principes, judices tuos. Chaldaeus: פַּרְנָסַךְ *gubernatores tui.* Cf. XXIII, 1. — תִּרְעֶה־רוּחַ *Paſcet ventus*, i. e. disperget. Nam *pascere*, regere ventus dicitur eos, quos aufert et dispergit. Chaldaeus: יִתְבַּדְּרוּן לְכָל רוּחַ *dispergentur in omnem ventum.* In verbis *paſtores* tuos *paſcet* C. B. Michaelis obſervat antanaclafin eſſe, i. e. calamitas procelloſo vento fimilis auferet eos, ut fe ipſos conſervare non poſſint, nedum te. תִּרְעֶה־רוּחַ funt qui vertant: *confringet, quaſſabit ventus*, quafi רָעָה hic obtineat Chaldaici רְצַץ aut רעץ fignificatum, cf. not. ad Pf. II, 9. Quod tamen haud neceſſe eſt ſtatuere. De מְאַהֲבַיִךְ cf. not. ad Vs. 20. Verba מִכֹּל רָעָתֵךְ *propter omnem tuam malitiam* (pudebit te). Graecus Alexandrinus reddit *ἀπὸ πάντων τῶν Φιλούντων σε*, quafi מִכֹּל רֵעַיִךְ legerit, probante J. D. Michaele, qui verba fic interpretatur: *pudefacta recede ab omnibus tuis ſodalibus*, notatque unum codicem Kennicotti, numero 96 fignatum, habere רעתיך. Nobis quidem recepta fcriptura et interpretatio meliorem fenſum praebere videtur.

23. יֹשַׁבְתִּי בַּלְּבָנוֹן מְקֻנַּנְתִּי בָּאֲרָזִים O tu *quae habitas in Libano*, et *nidularis in cedris!* quae habitas in aedibus eximiis et fumtuofis, nempe e cedris Libani aedificatis. „Idem bis dixit: nam per *Libanum* Libani arbores, quarum praecipuae *cedri*, intelliguntur, ex quibus templum, palatium, ac praecipuae domus Hierofolymorum aedificatae erant. Cf. Zachar. XI, 1.“ Grotius. Chaldaeus: דְיָתְבָא בְּבֵית מַקְדְּשָׁא בֵּינֵי מַלְכַּיָא מְרַבְיָא בְנָהָא *quae habitat in domo Sanctuarii inter reges nutriens filios ſuos.* Intelligit Hierofolymae incolas. Verum Schnurrerus hunc Verfum non pertinere monet ad eosdem, qui Vs. 20. arcem petere

petere jussi sunt, sed ad ipsam regis familiam subito nunc converti orationem recte statuit. יֹשַׁבְתְּי et מְקֻנַּנְתְּי sunt Participia cum Jod paragogico, pro quibus in margine formae vulgatiores adscriptae sunt, ut supra X, 17. — מַה־נֵּחַנְתְּ Hebraeorum plures a חֵן *gratia* interpretantur *quam gratificaberis*, quantam gratiam invenies ob tuarum aedium altitudinem et magnificentiam, apud eos, qui te vastatum venient, ut sit ironia. Vel: quantum gratiae tibi relictum erit, videlicet ex omnibus, quae aedificasti. Parum commode C. B. Michaelis: *quam* parum *amabilis eris!* Sed illud: *parum* pro lubitu infertur. Vix dubium vertendum esse: *quam miseranda facta eris*. Est enim חָנַן *misereri*, veluti Jesaj. XXX, 19. Ps. CII, 15., ubi consonum Arabicum حن. Alexandrinus: τί καταστενάξω; Vulgatus: *quomodo congemuisti!* Syrus: ܐܝܟܢܐ ܡܬܐܢܚܬܝ ܐܢܬܝ *quomodo gemes!* Retulerunt נֵחַנְתְּ ad אָנַח, aut saltem ejusdem significationis esse existimarunt. בְּבוֹא־לָךְ חֲבָלִים חִיל כַּיֹּלֵדָה *Cum venerint tibi dolores, tormina instar parturientis*, cf. supra VI, 24. XIII, 21. Jesaj. XIII, 8.

24. כָּנְיָהוּ idem qui alias, ut infra XXIV, 1. 1 Paral. III, 16. יְכָנְיָהוּ, et 2 Reg. XXIV, 6. יְהוֹיָכִין appellatur. Abbreviatum sine dubio in vita communi est nomen. כִּי אִם־ יִהְיֶה עַל־יַד יְמִינִי כִּי מִשָּׁם אֶתְּקֶנְךָּ *Si esset* scil. Jechonja *annulus signatorius super manu dextra mea, tamen inde avellam te*, i. e. etiamsi eum antehac tam carum habuerim, et sollicite custodiverim, quam haberi et custodiri solet gemma signatoria, quae est in annulo, tamen nunc, cum facinora ejus video, eum abjiciam. אֶתְּקֶנְךָּ pro אֶתְּקְךָ a radice נָתַק cum *Nun epenthetico*, de quo vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 140. et 206. sequ. Pro secundae personae suffixo debuit tertiae personae suffixum poni, quum יִהְיֶה praecesserit; sed ejusmodi personarum mutatione nihil frequentius apud Hebraeos esse constat.

25. וּנְתַתִּיךָ בְּיַד מְבַקְשֵׁי נַפְשֶׁךָ *Et tradam te in manum eorum, qui quaerunt animam tuam*, qui vitae tuae insi-

insidiantur, quo sensu haec phrasis fere usurpatur, vid. supra XI, 21. coll. Vs. 19., infra XXXVIII, 16. XLIV, 30. Exod. IV, 19. 2 Sam. IV, 8. XVI, 11. et saepius. Hoc vero loco Schmidius monet *quaerentes animam* posse et illos esse, qui regem non tam occidere, quam in potestatem suam redigere cogitarent. Quod ideo sumendum esse duxit, ne quod hic vates minatur Jechoniae repugnet iis, quae ei regi acciderunt. Neque enim occisus est a victore Babylonio, sed tantum captivus Babelem abductus, et ab Evilmerodacho, Nebucadnezaris filio et in regno successore e carcere dimissus et honore affectus, vid. 2 Reg. XXV, 27. seqq. infra LII, 31. seqq. Sed nisi spontanea deditione vitae suae prospexisset Jechonias, vix dubium est eum a Nebucadnezare occisum fuisse. Quare non est necesse, phrasin מְבַקְשֵׁי נֶפֶשׁ h. l. sensu alio capere, quam quo alias semper adhibetur.

26. וְהֵטַלְתִּי אֹתְךָ וְאֶת־אִמְּךָ *Et projiciam te et matrem tuam,* Nechustam, 2 Reg. XXIV, 8. 12. 13., cf. not. supra ad XIII, 18. Ad verba עַל הָאָרֶץ אַחֶרֶת *in terram aliam* J. D. Michaelis haec notat: „vix sana constructio, substantivo articulum He habente, adjectivo non habente. Suspicor legendum esse מֵעַל הָאָרֶץ אֶל־אֶרֶץ אַחֶרֶת *ex hac terra ad terram aliam*, ita ut ob ὁμοιοτέλευτον voces aliquae exciderint.“ Supervacanea conjectura, quum non desint alia exempla omissi ante Adjectivum articuli, etsi Substantivo praefixus sit, e. c. Ezech. XXXIX, 27. הַגּוֹיִם רַבִּים, 2 Sam. VI, 3. Genes. XXIX, 2. Conf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 659.

27. וְעַל־הָאָרֶץ אֲשֶׁר הֵם מְנַשְּׂאִים אֶת־נַפְשָׁם לָשׁוּב שָׁם *Et in terram in quam reverti ipsi attollunt animam suam,* quo redire ardentissime desiderant, Judaeam, id quod pluribus verbis expressum legimus infra XLIV, 14. De phrasi *animam ad aliquod attollere*, vid. not. ad Deut. XXIV, 15. Ps. XXIV, 4. XXV, 1.

28. הַעֶצֶב נִבְזֶה נָפוּץ הָאִישׁ הַזֶּה כָּנְיָהוּ *Num vas contemtum, fractum est vir ille Conjahu?* עֶצֶב hic non, ut

alias saepe *molestiam*, *dolorem*, sed *formatum*, *fictum* quid significat, a *formandi* notione, quam verbum עֲצַב apud Chaldaeos obtinet. Cf. not. ad Job. X, 8. Ps. CXXXIX, 24. Hos. IV, 17. Ceterum haec verba cum iis quae sequuntur Grotius, probante Dathio, objectionem putat esse Judaeorum, verbis prophetae fidem non habentium. Nec multum abludit Venema, existimans, *terrae Judaicae*, hoc est, gentis stupefactae et exhorrescentis verba haec esse, quoniam qui sequitur sermo conversus sit ad *terram*. Quibus vere opponit Schnurrerus, hominum de rei futurae eventu dubitantium dicta haec esse non posse propterea, quod praeteriti temporis verba sequuntur, הוּטְלוּ et הֻשְׁלְכוּ, non futuri, יוּטְלוּ, יָשְׁלְכוּ. „Quapropter haud magis satisfacit, quod J. D. Michaelis statuit, existimans, Versuum 28—30. sensum esse hunc: non Jechoniae causa ista omnia evenient, sed Jojakimus, pater, insignis ille et absolutus tyrannus, talia promeritus est: in qua sententia etiam illud maxime displicet, quod הָאִישׁ הַזֶּה Vs. 30. non ad eundem refertur, qui Vs. 28. designatur vocibus הָאִישׁ הַזֶּה, sed detorquetur ad alium, Jojakimum, cujus nunc mentio facta nulla est. Nos autem putamus, Versui 28. cogitando praefigendam esse hanc fere formulam, אָז יֵאָמַר *tunc dicetur*, seu אָז יֹאמְרוּ *tunc dicent*, haec qui evenisse viderint homines dicent: itane nullius pretii, nullius bonae frugis erat iste homo? quam ob causam, nisi hanc, abjectus est cum progenie sua, atque in alienam terram abactus?" Hieronymus verba supra posita sic reddidit: *numquid vas fictile atque contritum vir iste Chonias?* non expresso נִבְזֶה. Symmachus: μὴ περίψημα φαῦλον καὶ ἀπόβλητον ὁ ἄνθρωπος οὗτος Ἰεχονίας; Quae Hieronymus ita vertit: *numquid purgamentum*, sive *quisquiliae viles atque projectae vir iste Jechonias?* Arabibus غِضَاب et غُضَاب sunt *quisquiliae*. Aquila (pronti ejus versionem restituit Spohnius): ξύσμα ἐξουδενωμένον, διεσκορπισμένον

γου ἀνὴρ οὗτος Ἰεχονίας, ramentum despectum dispersum vir iste Jechonias. Graecus Alexandrinus, omissis הֶעָצֵב et נָפוּץ, haec tantum habet: ἠτιμώθη Ἰεχονίας, quod et Arabs expressit. Chaldaeus: בְּסִירָא חַלָּשָׁא מְטַלְטְלָא גַּבְרָא הָדֵין כָּנְיָה *contemtus, infirmus, vagus est vir iste Chonias.* Syrus: ܒܣܝܪܐ ܘܫܝܛܐ ܓܒܪܐ ܗܘ ܝܘܟܢܝܐ *contemtus et despectus* est *vir ille Juchanjo.*

29. Apostrophe ad אֶרֶץ *terram* ter ponitur, emphaseos caussa, ut supra VII, 4. Ezech. XXI, 32. Cf. not. ad Jesaj. VI, 3.

30. כִּתְבוּ אֶת־הָאִישׁ הַזֶּה עֲרִירִי *Scribite*, designate, i. e. judicate, reputate *hunc virum*, Jechoniam, *improlem*, ἄτεκνον. Et tamen *semen* ei tribuitur et Versu qui praecedit et altero hujus Versus hemistichio; atque 1 Chron. III, 17. filius ejus Schealthiel recensetur. Sed *improlis* dicitur orbus filio qui in bona patria succedat, vid. Levit. XX, 20. 21., et hic quidem rex, qui solium filiis non relinquit, uti propheta mox ipse explicat. Graecus Alexandrinus עֲרִירִי reddidit ἐκκήρυκτον, *proscriptum*, patriâ expulsum, ne, si ἄτεκνον redderet, hoc repugnaret Versui 28. et altero hujus Versus hemistichio, ubi *seminis* Choniae mentio fit. גֶּבֶר לֹא־יִצְלַח בְּיָמָיו *Virum* qui *non prosperabitur in diebus suis*, infelicem eum fore toto vitae tempore. Alterum hemistichium rationem reddit, cur improlis et infelix habendus sit Jechonias: כִּי לֹא יִצְלַח מִזַּרְעוֹ *Quia non prosperabitur*, οὐ μὴ αὐξήθῃ *non augebitur*, ut Graecus Alexandrinus vertit, *ex semine suo*, non erunt ei superstites, ut sperare possit unquam regnum ad suam posteritatem rediturum.

XIX

Cap. XXIII, 1—8.

ARGUMENTUM.

Malis populi Judaici rectoribus, quorum culpâ pessum datus ille et dispersus esset, promeritis poenis affectis et de medio sublatis (Vs. 1. 2.), Jova promittit se reliquiis populi sui undique colligendis et patrio solo restituendis, praefecturum esse bonos moderatores, qui suorum saluti sint prospecturi, inprimis vero optimum praestantissimumque regem, Davidica gente oriundum, quo juste et sapienter regnante felicissimus fortunatissimusque rerum Hebraearum futurus sit status (Vss. 3—6.), ut nova beneficia ac majora obliteratura pene sint veterum memoriam (Vss. 7. 8.).

Interpretum plures, ut Sebast. Schmidius, Eichhornius, Dahlerus, hanc pericopam cum Capite XXII. unam continuam facere statuunt. Ex nostro tamen sensu octo hi Versus nec cum iis, quae praecedunt, nec cum his, quae sequuntur, cohaerent. Temporis, quo literis consignata sit haec pericopa, vestigium apparet nullum. Ceterum illa plane convenit cum Ezechielis Cap. XXXIV. Latine eam vertit et notis illustravit Joa. Jahn in *Append. Hermeneut. sive Exercitatt. exegett.* P. II. p. 93. seqq.

Heu pastores, qui meae pastionis oves 1.
abigitis atque dissipatis, inquit Jova. Itaque 2.
sic minatur Jova, Deus Israelitarum, pastoribus

ribus qui ejus populum paſcunt: vos meas
oves dispergitis et dispellitis, nec eas cura-
tis: en! ego in vobis malitiam operum ve-
3. ſtrorum animadvertam, inquit Jova. Ego
vero colligam mearum ovium reliquias ex
omnibus regionibus, in quas dispergi eas
permiſi, et in ſua reducam pascua, ubi foe-
4. tificabunt et multiplicabuntur. Praeficiam
iis paſtores, qui eas paſcant, ut deinceps
neque timeant nec terreantur, nec deſide-
5. rentur, inquit Jova. Futurum eſt, inquit
Jova, ut ego ſuſcitem Davidi juſtum germen,
qui rex regnet, et feliciter agat, et jus ae-
6. quumque faciat in terris. Ejus tempore ſalva
erit Judaea, degetque tutus Iſrael. Vocabitur
7. autem hoc nomine: Jova ſalus noſtra. Itaque
tempus erit, inquit Jova, quum non jam
dicetur: vivat Jova, qui Iſraelitas ex Aegypto
8. eduxit, ſed ita: vivat Jova! qui deportavit
et qui adduxit Iſraeliticae domus progeniem
ex aquilonari terra, exque omnibus terris,
in quas eos dispulerat, degentque in ſua
terra.

N O T A E.

Cap. XXIII, 1. לרעים *Paſtoribus* hic rectores et magiſtratus populi Hebraei, potiſſimum vero reges ſignificantur, ut ſupra XXII, 22. Cf. not ad Ezech. XXIV, 2. Alii *paſtorum* nomine et falſos prophetas comprehendi exiſtimant; ſed in eos infra inde a Vs. 9. peculiaris oratio

lequi-

ſequitur. מְאַבְּדִים *Faciunt oberrare* per loca ſalebroſa, ubi nullum paſcuum. וּמְפִצִים אֶת־צֹאן מַרְעִיתִי *et qui diſpergunt oves paſcui mei,* i. e. qui malo ſuo exemplo cauſa ſunt, ut mei Hebraei Palaeſtinam incolentes ex ea terra ſint abigendi et in alias terras diſpergendi.

2. הָרֹעִים אֶת־עַמִּי *Qui paſcunt populum meum,* nomine, non re. וַתַּדִּחוּם *Et diſpuliſti eos,* veluti de caulis, ut hinc illic vagabundi errent. וְלֹא פְקַדְתֶּם אֹתָם *Et non viſitaſtis eas,* non inſpexiſtis eas, non habuiſtis earum curam, quam debebatis. הִנְנִי פֹקֵד עֲלֵיכֶם אֶת־רֹעַ מַעַלְלֵיכֶם *En! ego viſitaturus ſum,* animadvertam *in vos malitiam factorum veſtrorum.* In verbo פָּקַד eſt hoc Verſu luſus ex ambiguo; nam *viſitare* ſenſu tam bono, quam malo, i. e. *curare* et *punire* ſignificat.

4. וַהֲקִמֹתִי עֲלֵיהֶם רֹעִים וְרָעוּם *Et praeſiciam iis paſtores* ſcil. alios meliores, gubernatores, *qui eos paſcent,* regent. וְלֹא יִפָּקֵדוּ *Nec deſiderabuntur,* qui ex iis deperditi fuerint. Chaldaeus interpretatur יְזוּעוּן *contremiſcent.* Ludov. Cappellus in *Crit. S.* L. VI. Cap. 9. §. 9. p. 1023. edit. Vogel-Scharfenb. interpretem יִפְחֲדוּ *pavebunt* legiſſe conjicit, idque ei, quod in noſtris codicibus legitur praeferendum ducit. Sed bene Buxtorfius in *Anticritt.* p. 991. „Cur melius legeretur *pavebunt?* an quia duo verba *timendi, terrendi,* ſynonyma praeceſſerunt? Sed quis nobis fidem faciet, prophetam quoque tertium voluiſſe adjungere? Senſus id certe non exigit: ſufficit enim, quod *timorem* jam duobus verbis expreſſerit. Probabilius eſt eum jam aliud voluiſſe adjungere, et dicere, *illas non ulterius diſpergendas eſſe,* neque imminuendas, ut plures ex illis amittantur et pereant. Nam in praecedentibus conqueritur Deus de malis paſtoribus, amittentibus et diſpergentibus gregem ſuum, et promittit, *ſe collecturum reliquias gregis ſui ex omnibus terris, easque ad caulas ſuas reducturum.* Cum hoc eleganter quadrat, quod jam dicit, ſe facturum, ut nullae ex illis reliquiis ulterius deſiderentur,

rentur, et a grege ſeparentur, ſed tranquilli et ſine metu in ovili maneant. Obſtant inſuper libri Hebraei omnes, obſtat punctatio, obſtant interpretationes veteres, uno excepto Chaldaeo paraphraſte. LXX reddiderunt *οὐδὲ ἐκζητήσονται*, uti in textu Complutenſi legitur, quocum conſentit Vulgatus: *et nullus quaeretur ex numero*, exprimentes ſic lectionem hodiernam. Abarbenel hanc prophetiam de liberatione futura per Meſſiam accipiens, ita haec tria verba exponit: לא־ייראו עוד *non timebunt amplius* neque a Perſis, neque a Graecis, neque a Romanis, ſicuti tempore templi ſecundi. ולא־יחתו *Nec frangentur*, i. e. non erit eis pudor et contritio ob defectum Arcae, Cherubinorum, prophetiae, Urim et Thummim etc., ſed tum reſtituentur illis iſta omnia, ſicut diebus priſtinis; ולא יפקדו *nec deſiderabuntur*, i. e. non deſiderabuntur hic illi, qui non veniant ad Meſſiam, non erit particularis haec liberatio et reductio, ſicuti fuit in templo ſecundo, ubi non omnes captivi et exſules reducti ſunt, quia decem tribus Iſraelis non fuerunt reverſae, neque ex tribu Judae omnes. Haec Abarbenel. Sic idem quoque vult, ſingula haec verba ſuam peculiarem habere ſignificationem et emphaſin, et ſtatim ab initio praefatur, licet omnia tria eundem videantur habere ſenſum, non tamen ita eſſe. Quod Chaldaeum attinet, egit ille paraphraſten, non literalem interpretem. Transtulit ille ſaepius, quod ipſi placuit, quidque in mente habuit, non in libro et in litera. Ita ex ejus paraphraſi nullae variae lectiones erui poſſunt."

5. Declarat quod Verſu 4. promiſerat. והקמתי לדוד צמח צדיק *Et ſuſcitabo Davidi germen juſtum*, i. e. efficiam, ut ex regia Davidis ſtirpe exſtet princeps aliquis juſtus, pius. Inſignem illum principem, quem Hebraei ab antiquiſſimis inde temporibus ſperabant e Davidica familia oriundum, qui cultum Jovanum priſtinae puritati, resque Judaicas antiquae gloriae ſit reſtiturus, Meſſiam, hic deſcribi non eſt dubium. Hinc Chaldaeus צמח צדיק reddidit משיח דצדקא *Meſſiam juſtitiae*, ita enim, ut in Polyglottis Antver-

Antverpienſibus exſtat, legendum videtur, non, ut in Londinenſibus מְשִׁיחָא דִצְדִיקַיָּא *Meſſiam juſtorum.* Graecus Alexandrinus צֶמַח *ἀνατολὴν* vertit, qua voce ſunt, qui *ſplendorem* hic ſignificari exiſtiment, ac ſi nomen Hebraicum ſignificatu Syriaci ܨܡܚܐ *ſplendor* cepiſſet, quo ipſo Syriacus interpres hic uſus eſt. Sed ab *ἀνατέλλειν, prodire, enaſci, ἀνατολὴ* ſimpliciter *quod oritur* denotat. צֶמַח proprie Meſſiae nomen eſt, vid. not. ad Jeſaj. IV, 2. edit. ſec. et ad Zachar. III, 8. — וְהִשְׂכִּיל ſive vertas *et prudenter aget*, ſive, *feliciter aget* (cf. not. ad Jeſaj. LII, 13. et ſupra X, 21.), utrumque hic quadrabit.

6. בְּיָמָיו תִּוָּשַׁע יְהוּדָה *In diebus ejus ſalvabitur Juda.* J. D. Michaelis monet, verbum femininum תִּוָּשַׁע argumento eſſe, יְהוּדָה hic non *populum Judaicum*, ſed terram, *Judaeam*, indicare. Sed verbum femininum hic ideo uſurpatur, quod, uti recte obſervant Hebraei, nomen כְּנֶסֶת *ſynagoga, coetus* reſpicit; conſtat enim nomina collectiva ab Hebraeis et Arabibus ut feminina tractari; vid. Geſenii *Lehrgeb.* p. 717. Nec igitur opus eſt, ut cum Gaabio תִּוָּשַׁע pro ſecunda perſona habeamus, ut vertendum ſit: *tu, o Juda! ſalvaberis.* וְזֶה־שְּׁמוֹ אֲשֶׁר־יִקְרְאוֹ *Et hoc* erit *nomen ſuum, quo vocabit eum* ſcil. הַקֹּרֵא *vocans*, i. e. vocabitur, imperſonalis loquendi formula; vid. Geſenii libr. laud. p. 797. Plures exſtant codices, in quibus יִקְרְאוּ *vocabunt* legitur, ſenſu nil differente. Vid. De-Rossii *Varr. Lectt.* ad loc. יְהוָה צִדְקֵנוּ *Jova ſalus noſtra*, Jova nobis ſalutem praeſtat; vid. de hoc nominis צֶדֶק et צְדָקָה ſignificatu not. ad Jeſaj. XLVIII, 18. LXI, 10. LXII, 1. 2. Recte Aben-Esra et Kimchi monent, eſſe hoc nomen ſymbolicum, cujus generis eſt illud, quod *altare* Geneſ. XXXIII, 20. אֵל אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל *Deus fortis Deus Iſraelis*, et Exod. XVII, 15. יְהוָה נִסִּי *Jova vexillum meum*, aut quod urbs Hieroſolymitana Ezech. XLVIII, 35. יְהוָה שָׁמָּה *Jova ibi*, aut denique homo quispiam Num. I, 6. צוּרִי שַׁדָּי *petra mea* eſt *Omnipotens* cogno-

cognominatur. Infra XXIII, 16. Hieroſolymae idem nomen יְהוָה צִדְקֵנוּ tribuitur. Neque igitur nomen illud Meſſiae ita proprium eſt, ut ejus naturam exprimat, uti contendunt Theod. Dassovius in Diſſertat. *de Rabbinismo Philologiae ſacrae ancillante,* Viteberg. 1674., Jo. Frischmuth in Diſſert. *de nomine Meſſiae glorioſo,* Jenae, 1679. (utraque repetita in *Theſauro theol. philolog.* vet. Vol. I. p. 823. ſeqq. et p. 832. ſeqq.), et C. B. Michaelis in Diſſert. *de nominibus Chriſti divinam ipſius naturam deſignantibus,* Halae, 1707. Pro יְהוָה צִדְקֵנוּ Graecus Alexandrinus Ἰωσεδὲκ poſuit, ad quod Theodoretus: *δηλοῖ τὸ ὄνομα, Κύριος δικαιοσύνη ἡμῶν, ἢ κατὰ τὴν τοῦ Σύρου ἑρμηνείαν, Κύριε δικαίωσον ἡμᾶς* [יְהוָה צִדְקֵנוּ], quam interpretationem Hieronymus Symmacho tribuit, conſentiente codice Syriaco Hexaplari, ubi habet Symmachus ܙܕܩ ܠܢ *juſtifica nos.*

7. 8. Duo hi Verſus totidem verbis leguntur ſupra XVI, 14. 15., ubi locum ſibi proprium occupare, huc vero tranſlati videntur ad amplificandum hoc de Meſſia oraculum.

XX.

Cap. XXIII, 9—40.

ARGUMENTUM.

Indignatione accenſus in vates impios, qui ſe venditarent nomine ad ſe nihil pertinente, doloris affectum declarat, quod iſti homines populo palpum obtruderent, ac vitia nutriendo ſe nutrirent, quo nihil eſt ſceleratius. Illos non a Jova edoctos loqui, ſed ſua ſomnia proferre, inde apparere demonſtrat, quod iis, qui poenas promeruerint, fauſta et laeta omnia promittant. Monet ſuos populares, ut ab irridendis et ſpernendis verorum prophetarum effatis ſollicite ſe caveant; quod ni fecerint, fore, ut e patria abigantur perpetuoque adficiantur probro.

De malis prophetis, qui Zedekiae regi ſuaderent, ut ſeſe Babyloniorum poteſtati ſubtraheret, quod patriae ſuae exitioſum fore praevidebat, queritur vates infra XXVII, 14. ſeqq. Ad illud igitur tempus et hunc ſermonem referendum fuerit.

De vatibus mihi cor in pectore rumpitur, 9.
et omnes artus vacillant, ſimilisque ſum hominis ebrii, viri vino turbati, ob Jovam
ejusque ſacra verba. Nam adulteris referta 10.
terra eſt; nam ob perjuria luget terra, eru-

 beſcunt

beſcunt paſcua deſerti, adeo malus eſt eorum
11. curſus, et poteſtas iniqua. Siquidem tum
vates tum ſacerdotes impuri ſunt, eorumque
ſcelus etiam domi meae deprehendi, inquit
12. Jova. Itaque viam habebunt tanquam lubricum in caligine locum, in qua impulſi cadent, me eis invehente malum, anno eorum
13. ſupplicii, inquit Jova. In Samaritanis vatibus
abſurditatem video; vaticinantur per Baalem, meosque Iſraelitas in errorem inducunt.
14. Et in Hieroſymitanis vatibus horrendum quid
video, adulterantibus, falſaque ſectantibus,
et improborum manus corroborantibus, ne
a ſua quisque pravitate deſciſcant. Sunt
omnes mihi perinde ac Sodomitani, ejusque
15. incolae ſint Gomorrhani. Ideo ſic minatur
Jova vatibus; ego eos abſinthio cibabo, et
aqua potionabo fellea; quandoquidem ab
Hieroſolymitanis vatibus profecta eſt in to-
16. tam hanc terram. Sic dicit Jova, agminum
Deus: nolite verba audire vatum, vobis vaticinantium, qui vos fruſtra habent; animi
ſui viſa, non meo, Jovae, ore prolata elo-
17. quuntur. Qui meis contemtoribus dicunt,
Jovam eis pacem promittere, et omnibus
animi ſui perverſitati obſequentibus negant
18. eventurum malum. Quis enim adfuit in
Jovae conſilio? quoque dicta vidit et audivit? quis ejus orationem attendit et audivit?
19. En! prodit procella Jovae excandeſcentis,
irruens

irruens procella in impiorum caput incum-
bet. Non recedet Jovae ira, quin animi ſua 20.
cogitata fecerit atque praeſtiterit, id quod
tempore futuro intelligetis. Ego non miſi 21.
vates et currunt; non adfatus ſum, et vati-
cinantur. Quodſi adfuerunt in meo conſilio, 22.
nuntient mea dicta meis, eosque a ſua prava
vitae via morumque pravitate revocent. Pro- 23.
pinquusne ego Deus ſum? inquit Jova, ac
non Deus longinquus? Num latebit ita in 24.
tenebris homo, ut ego eum non videam?
inquit Jova: quaſi vero non ego coelum
terramque compleam, inquit Jova. Audio 25.
quid dicunt vates per meum nomen falſo
ita vaticinantes: ſomniavi, ſomniavi. Quo- 26.
usque habebunt in animo vates, falſa ani-
mique ſui fallaciam vaticinari? Qui cogi- 27.
tant, meum populum in mei nominis obli-
vionem adducere ſuis ſomniis, quae narrant
alius alii, quemadmodum obliti ſunt meum
nomen eorum majores per Baalem. Qui 28.
vates ſomnium habet, ſomnium narret; qui
autem dicta mea habet, dicta mea vere
narret: quid ſtramini cum farre? inquit Jova.
Nonne ſic ſunt dicta mea ut ignis, inquit 29.
Jova, ut malleus petram diffindens? Itaque 30.
ego minitor vatibus, inquit Jova, qui mea
dicta ſurripiunt alius alii. Ego minitor va- 31.
tibus, inquit Jova, qui ſuis linguis utuntur
ad inquiendum: effatum (hoc Jovae). Ego 32.
mi-

minitor falſa vaticinantibus ſomnia, inquit
Jova, et ea narrantibus, meosque ſuis
mendaciis et ſua temeritate decipientibus;
quos quum ego non miſerim, nec id eis
praeceperim, nihil proderunt iſti populo,
33. inquit Jova. Quodſi ex te iſtorum aliquis
plebejus, aut vates, aut ſacerdos quaeſiverit:
ecquid eſt Jovae onus? dices eis: quod at-
tinet illud: quid eſt onus? ſcitote, me vos
34. abjicere, inquit Jova. Quod ſi quis vates,
aut ſacerdos, aut plebejus de onere Jovae
loquatur, animadvertam in hominem illum,
35. et in ejus domum. Sic invicem dicetis inter
vos: quid reſpondit Jova? aut, quid loquutus
36. eſt Jova? Jovae quidem onus ne memorate
amplius. Nam ſua cuique verba erunt onus,
dum Dei viventis, Jovae Dei noſtri verba
37. invertitis. Sic dicetis vati: quid tibi reſpon-
dit Jova? aut quid eloquutus eſt Jova?
38. Quodſi onus Jovae dixeritis, idcirco ſic dicit
Jova: quoniam dicitis hoc verbum: Jovae
onus, quum ego mandaverim verbis, ne Jo-
39. vae onus diceritis; ideo ego vos tollam, et
vos, et urbem, quam vobis veſtrisque dedi
40. majoribus, auferam e meo conſpectu, et
vos aeterna ignominia, perpetuoque ac num-
quam obliterando probro adficiam.

NOTAE.

NOTAE.

Cap. XXIII, 9. Primam hujus Versus vocem, לַנְּבִאִים, nonnulli interpretes non conjungunt iis, quae proxime sequuntur, sed seorsim positam putant, ut sit hujus pericopae inscriptio, ita vertenda: *Prophetis*, sive: *in prophetas.* Ita Hieronymus: „*Ad prophetas*, sive: *in prophetas*, vel: *contra prophetas.* Hic titulus in editione Septuaginta finis anterioris Capituli positus est, ubi scriptum legimus: *et hoc est nomen, quo appellabit eum Dominus Josedec, in prophetis.*“ Inter recentiores Venema, Eichhornius, Dahlerus illam vocem pro titulo habuerunt. Nobis videtur concinnius secundum Accentus verba לַנְּבִאִים נִשְׁבַּר לִבִּי בְקִרְבִּי jungere, hoc sensu: *quantum ad prophetas*, seu, *propter prophetas fractum est cor meum intra me*, i. e. dolet cor meum propterea quod falsi prophetae populum meum decipiunt, et malis blandiunt, atque quum scelerum poenas minari deberent, pacata omnia fore promittunt, ut sic securi redditi haud resipiscant, et in exitium ruant. Recte Chaldaeus: מִן־קֳדָם נְבִיֵּי שִׁקְרָא אִתְּבַר לִבִּי *propter prophetas mendaces fractum est cor meum.* רָחֲפוּ כָּל־עַצְמוֹתַי *Commota sunt omnia ossa mea.* רָחֲפוּ J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 2250. mallet, collato Arabico رَخُفَ *mollis, tenuis fuit*, vertere *mollescunt*, condolent. Fatetur tamen ipse, *movendi se, palpitandi, intremiscendi* significatum ceteris, quibus verbum legitur, locis egregie aptum esse. Eum et hic veteres omnes exprimunt. Recte Jarchi: *continue movent se, sicut alae volucris, quae sese motitat super pullos suos, Deut. XXXII*, 11., *linguâ vernaculâ tremblerent.* הָיִיתִי כְּאִישׁ שִׁכּוֹר *Sum sicut vir ebrius.* „Ebrietasne,“ inquit J. D. Michaelis, „ad magnitudinem doloris, et vacillationem ossium pertinet? an ad furorem propheticum, quo se abripi sentiebat ad ea mala praedicenda, quae magna ipsum commiseratione perstringunt?

Poste-

Posterius multo est expeditius. Describit iterum propheta quae ipse intra animum suum persentiscit, agitante eum Deo. Est haec sancta quaedam ebrietas, si phrasi Philonis uti licet. Cf. Luc. I, 15. Eph. V, 18." Nos vero haud dubitamus, ebrietatis imaginem pertinere ad descriptionem summae animi perturbationis, qua commovebatur vates cogitatione malorum, quae suis popularibus invehant falsi prophetae. Graecus Alexandrinus pro שִׁכּוֹר posuit *συντετριμμένος*. Apparet eum שָׁבוּר *fractum* legisse. וּכְגֶבֶר עֲבָרוֹ יָיִן *Et sicut vir quem transivit*, penetravit *vinum*, i. e. totus vino s. crapulâ obrutus. Chaldaeus: כְּגַבְרָא דְמִשְׁתַּטֵּי מִן קֳדָם חַמְרֵיהּ *sicut vir qui insanus factus est vino suo.* מִפְּנֵי יְהוָה *Propter Jovam*, iratum puta, et vindictam, quam de malis istis prophetis sumet. וּמִפְּנֵי דִּבְרֵי קָדְשׁוֹ *Et propter verba sanctitatis suae*, propter effata sua sancta, quibus gravissimas poenas minatus est et prophetis mendacibus, et iis, qui se ab iis seduci sinunt.

10. כִּי מְנָאֲפִים מָלְאָה הָאָרֶץ *Quia adulteris repleta est terra.* „Dum illi, qui se prophetas falso dicunt, ad vitia connivent, ac propter terram et templum Domini ita viventibus omnia pollicentur prospera, depravantur mores." Grotius. Graecus Alexandrinus haec verba omisit, uti et Hieronymus notavit. Sed Aquila et Theodotion illa interpretantur: ὅτι μοιχῶν ἐνεπλήσθη ἡ γῆ. Quae et Theodoretus ante oculos habuit; dicit enim: *καὶ μοίχους ὀνομάζει αὐτούς*, prophetas mendaces, puta. J. D. Michaelis quoque, „si genuina," inquit, „sunt verba, falsi prophetae vocantur adulteri." Sed genuina esse verba, non est cur dubitemus, quum illa praeter Graecum Alexandrinum veteres omnes interpretes exprimant, et codices Hebraei omnes exhibeant. Ut vero *adulteros* sensu translato hic capiamus, nequaquam necesse est. כִּי־מִפְּנֵי אָלָה אָבְלָה הָאָרֶץ *Nam propter exsecrationem*, quae ob violatum foedus cum Deo olim initum, terrae incumbit, *luget terra.* Chaldaeus verba מִפְּנֵי אָלָה vertit קֳדָם מוֹמֵי דִשְׁקַר

propter

propter jusjurandum mendacii, perjurium, quod Grotius et alii fequuntur. Sed אָלָה tam *jusjurandum,* quam *exfecrationem,* nusquam vero *perjurium* fignificat; cf. not. ad Jefaj. XXIV, 6. J. D. Michaelis per אָלָה, *exfecrationem,* hic fpeciatim adjurationes et diras foederi non fervato additas Deut. XXVIII, 15. feqq. XXIX, 11. 13. 18. 19. 20. „Meminerimus enim, harum dirarum majorem fuiffe prophetae tempore, quam alias, celebritatem, quod Jofias illis in autographo Mofis lectis cohorruerat, et idololatricas fuperftitiones exftirpaverat." Pro מִפְּנֵי אָלָה Graecus Alexandrinus in codice tam Vaticano quam Alexandrino exhibet ἀπὸ προσώπου τούτων, Arabe et Syro confentientibus, quafi אֵלֶּה legiffet. Dubium tamen eft num τούτων genuina fit Graeci Alexandrini interpretatio. Nam in codice Syro-Hexaplari habetur τῶν ὅρκων, et in margine τούτων, et Hieronymus in verfione pofuit: *maledictionis, five juramenti,* atque in Commentario: „Septuaginta *juramentum* dixere pro *maledictione.*" Hinc Kircherus in Concordantiis habet τοῦ ὅρκου, quod ipfum Spohnius in textum recepit. De בְּנְאוֹת מִדְבָּר vid. not. fupra ad IX, 9. וַתְּהִי מְרוּצָתָם רָעָה *Eftque curfus eorum malus,* maximo cum impetu ruunt in fcelera, ut Jefaj. LIX, 7. רַגְלֵיהֶם לָרַע יָרֻצוּ *pedes eorum currunt ad malum.* Chaldaeus מְרוּצָה fignificatu haud diverfo a רָצוֹן cepit, ut Jarchi monet. Ita enim vertit: עַל דִּמְסַגַּן בִּרְעוּת נַפְשְׁהוֹן בִּישְׁתָא תֵּיתֵי עֲלֵיהוֹן *propterea quod ambulant in voluntate animae fuae, malum iis fuperveniet.* וּגְבוּרָתָם לֹא-כֵן *Et robur eorum non rectum,* f. *nihil recti,* omnes vires fuas intendunt ad malum, viribus quas habent male utuntur. כֵּן hic *rectum,* bonum fignificat, ut Num. XXVII, 7. כֵּן בְּנוֹת צְלָפְחָד דֹּבְרֹת *recte loquutae funt filiae Zelophchadi.* A vero fenfu aberravit Chaldaeus, qui fic vertit: גִּבָּרֵיהוֹן לָא יִצְלְחוּן *fortes eorum non profperabuntur.*

11. כִּי-גַם-נָבִיא גַם-כֹּהֵן חָנֵפוּ *Nam et propheta et facerdos,* illi ipfi, qui fe doctores jactitant, feu, ut Jarchi inquit,

inquit, illi a quibus omnes discunt (cf. fupra VI, 13. VII, 10.), *impuri funt*, five, ut Hieronymus, *polluti funt* fceleribus, cf. verbum חָנֵף fupra III, 1. 2. 9. Vel poffit cum J. D. Michaele verti: *profani et ethnici facti funt*, vid. Ejus Differtat. *ad leges divinas de poena homicidii* (in illius *Syntagm. Commentatt.* P. I.) §. 21. 22., et not. noftr. ad Pf. XXXV, 16. Chaldaeus: גְּנִיבוּ אוֹרְחָתְהוֹן *fuffurati funt vias fuas*, ut in Polyglottis vertitur. Sed Michaelis, adfcita Arabici جَنَبَ *claudicavit* fignificatione, vertere mallet: *claudicant viis fuis*, five: *declinant viis fuis*, ut proprium verbi חָנֵף fignificatum, quem *claudicare* Michaelis exiftimat, Chaldaeus expreffèrit. Sed illa *claudicandi* fignificatio verbo חָנֵף tributa eft commentitia, quippe quae nullo alio argumento nititur, quam quod حَنِفَ Arabibus eft *loripes fuit, digitis introrfum vergentibus*. Chaldaicum גְּנַב autem nonnifi *furari* fignificat, et videntur phrafi a Chaldaico interprete ufurpata clandeftina fcelera denotari. גַּם־בְּבֵיתִי מָצָאתִי רָעָתָם *Quin etiam in domo mea inveni malitiam eorum*, in eo ipfo loco, qui ipfis fanctiffimus effe debuit, idolis facrificia obtulerunt, et nefandas fuperftitiones clam exercuerunt, vid. Ezech. VIII, 3. feqq. Cf. fupra XI, 15. 2 Reg. XXI, 5.

12. לָכֵן יִהְיֶה דַרְכָּם לָהֶם כַּחֲלַקְלַקּוֹת וגו׳ *Ideo erit via eorum iis ficut lubricitates in tenebris, impellentur et cadent in ea.* „Magnum eft periculum, fi tenebris feptus ambules, majus, fi lubrico atque obfcuro loco, imminentiffimum denique, fi eo tempore atque loco citatim currere adigaris. Hinc elegantia imaginis cernitur.“ Doederlein. Sic illi mendaces prophetae experientur fuo malo quam falfa praedixerint. שְׁנַת פְּקֻדָּתָם *Annum*, f. *anno vifitationis eorum*, i. e. quo tempore poenas ab iis repetam. Chaldaeus: שְׁנַת סְעוֹרָן חוֹבֵיהוֹן *annum vifitationis peccatorum fuorum.*

13.

13. De תִּפְלָה, quod proprie *infulfum, infipidum cibum*, hinc *abfurdum, ftultum* fignificat, vid. not. ad Job. I, 22. VI, 6. Graecus Alexandrinus h. l. ἀνομήματα *flagitia*, Chaldaeus רֶשַׁע *impietatem* vertit. הִנַּבְּאוּ בַבַּעַל *Vaticinati funt per Baalem*, recte Chaldaeus: בְּשׁוּם טַעֲוָתָא *in nomine idolorum*. הִנַּבְּאוּ ἀνομαλῶς pro הִתְנַבְּאוּ 1 Reg. XVIII, 29.

14. וּבִנְבִאֵי יְרוּשָׁלַםִ רָאִיתִי שַׁעֲרוּרָה *At in prophetis Hierofolymae video horrendum*, ut fupra V, 30., quod plus eft quam תִּפְלָה *ftultitia*, fatuitas, quae Vs. 13. prophetis Samariae imputatur. „Adeoque discrimen inter Samaritanos ac Hierofolymitanos prophetas hoc effe videtur, quod illorum infulfitas plus fatuitatis et ignorantiae habuerit, horum vero fcelera plus malitiae; illorum porro deceptio plus palpabilis, horum vero fub praetextu verae religionis latentior ac magis hypocritica.“ C. B. Michaelis. נָאוֹף Dum *adulterando* adulterant, quod tamen hic non proprio fenfu intelligendum videtur, fed de alienorum deorum cultu, uti fupra III, 8. 9. וְהָלֹךְ בַּשֶּׁקֶר *Et eundo in falfo*, mendacibus vaticiniis alios decipiunt. וְחִזְּקוּ יְדֵי מְרֵעִים וגו׳ *Et corroborant manus malefacientium, ita ut non convertant fe quisque a malitia fua*. „Blandiuntur vitiis, omnia profpera promittentes propter Templum, domum Davidis, facerdotium et ritus a Deo inftitutos, atque eo multorum impediunt converfionem, quo genere hominum nullum eft exitialius.“ Grotius. Idem falfis prophetis exprobrat Ezechiel XIII, 22. הָיוּ־לִי כֻלָּם כִּסְדֹם וְיֹשְׁבֶיהָ כַּעֲמֹרָה *Sunt mihi omnes ficut Sodoma, et incolae ejus*, Hierofolymae, *ficut Gomorrha*, non pluris eos facio ac Sodomae et Gomorrhae cives. Gaabius monet, poffe, neglecto accentu diftinctivo voci כִּסְדֹם appofito, et fic verti: *funt mihi omnes illi ficut Sodoma ejusque incolae, ficut Gomorrha*.

15. De phrafi הִנְנִי מַאֲכִיל אוֹתָם לַעֲנָה וְהִשְׁקִתִים מֵי־רֹאשׁ vid. not. ad IX, 14. כִּי מֵאֵת נְבִיאֵי יְרוּשָׁלַםִ יָצְאָה חֲנֻפָּה לְכָל־הָאָרֶץ *Nam a prophetis Hierofolymae prodit pollutio*

lutio in totam terram, ad omnes terrae incolas, illi enim adulando vitia propagant.

16. מַהְבִּלִים הֵמָּה אֶתְכֶם *Vanos illi reddunt vos* ſcil. in fiducia et ſpe, vana ſpe vos deludunt, optima quaeque promittentes. חֲזוֹן לִבָּם יְדַבֵּרוּ *Viſionem cordis ſui loquuntur*, quod ipſis videtur, לֹא מִפִּי יְהֹוָה *non ex ore Jovae*, non quod Jova iis mandavit.

17. אֹמְרִים אָמוֹר *Dicentes dicendo*, audacter, palam et continue dicunt. Infinitivus verbo ſuo finito aut Participio junctus haud raro intendit ſignificationem, exempla dedit Gesenius *Lehrgeb.* p. 778. לִמְנַאֲצַי *Contemnentibus me*, impiis. דִּבֶּר יְהֹוָה שָׁלוֹם יִהְיֶה לָכֶם *Dixit Jova: pax erit vobis*, q. d. non eſt quod metuatis, nam Jova edocti novimus, tranquille et placide vos vitam traducturos eſſe. Pro verbis לִמְנַאֲצַי דִּבֶּר יְהֹוָה Graecus Alexandrinus haec dedit: *τοῖς ἀπωθουμένοις τὸν λόγον* Κυρίου, conſentiente Syro. Legerunt: לִמְנַאֲצֵי דְּבַר יְהֹוָה, quod nollem cum J. D. Michaelis ei quod in noſtris libris legitur praeferre. לִמְנַאֲצַי et legit Hieronymus, qui *irritantibus me* vertit. De שְׁרִרוּת לֵב vid. not. ad III, 17.

18. כִּי מִי עָמַד בְּסוֹד יְהֹוָה *Nam quis ſtetit in familiari concilio Jovae?* Cohaeret hoc, vere monente C. B. Michaelis, cum Verſu 16., reddit enim rationem, cur non debeant audire illos prophetas. Interrogatio negat, ut igitur verba hoc dicant: nemo illorum ad arcana Dei conſilia eſt admiſſus. Cf. infra Vs. 22. De nomine סוֹד vid. not. ad Pſ. XXV, 14. — וְיֵרֶא *Ut videret* ſcil. במראה הנבואה *in viſione prophetica*, ut Schalom Haccohen ſubaudit. In verbis quae ſequuntur, מִי־הִקְשִׁיב דְּבָרִי וַיִּשְׁמָע *quis auſcultavit verbum meum et audivit*, ipſe Jova loquens inducitur. Qui ſubitus a perſona tertia ad primam tranſitus quum non placeret Hebraeis criticis, pro דְּבָרִי juſſerunt ad marginem דְּבָרוֹ cum tertiae perſonae Pronomine ſuffixo legere, ut continuetur oratio in tertia perſona. Jarchi Verſum ſic interpretatur: *quis ſtetit* ſ. *ſtabit in arcano*

Jovae

Jovae conſilio, et audiet decretum, quod ab eo prodit? Reſpondet Deus: ille, qui attendit ad verba legis ejus, ejusque praeceptis obtemperabit, non autem improbi illi. Quaſi diceret, Deum tantum pios ſui cultores dignos habere, quibus ſua decreta patefaciat; non vero improbos, quales vates mendaces. וַיִּשְׁמַע, in primo Verſus hemiſtichio, in Futuro poſitum, Jarchi dicit proprio *audiendi* ſignificatu capi, וַיִּשְׁמָע vero ad finem Verſus, ſignificatione *obtemperandi.* Sequutus eſt Chaldaeum, cujus interpretatio haec: אֲרֵי לָא קָמוּ דְּאִתְגְּלֵי לְהוֹן רָז מִן קֳדָם יְיָ וְלָא חֲזוֹ וְלָא שְׁמַעוּ יַת פִּתְגָּמוֹהִי וְלָא אֲצִיתוּ לְמֵימְרֵיהּ וְלָא קַבִּילוּ *non enim ſteterunt, ut revelaretur iis ſecretum Jovae, nec viderunt, nec audierunt ſermonem ejus, nec audiverunt verbum ejus, nec obediverunt.* Sunt, qui hoc Verſu falſorum prophetarum verba contineri exiſtiment; qui per ſubſannationem ſic loquantur de veris prophetis vindictam Dei denunciantibus, quaſi dicerent: quid? iſti denunciant famem, peſtem, exſilium, quaſi eſſent angeli de coelo miſſi, profitentur ſe eſſe praecones Dei, teſtes arcani conſilii ejus. Quam interpretationem tamen vix ferat Chethibh לְדְבָרִי in hemiſtichio altero.

19. Tantum abeſt, ut pax et tranquillitas futura ſit, ut potius סַעֲרַת יְהוָה חֵמָה יָצְאָה *procella Jovae* in *ira prodeat,* ab eo irato illis ſit immittenda. Praeteritum יָצְאָה pro Futuro תֵּצֵא ponitur. Alii: *procella Jovae, videlicet ira* ejus *prodibit.* Sed priori rationi favet locus parallelus Ezech. XIII, 13. בִקַּעְתִּי רוּחַ־סְעָרוֹת בַּחֲמָתִי *prorumpere faciam ventum procellarum in indignatione mea.* Chaldaeus: הָא מְזוֹפִיתָא מִן קֳדָם יְיָ בִּרְגַז נַפְקַת *en! increpatio a Jova cum ira prodibit.* Syrus: ܗܐ ܣܘܥܪܢܗ ܕܡܪܝܐ ܒܚܡܬܐ ܢܦܩ *en! viſitatio Domini cum ira prodit.* וְסַעַר מִתְחוֹלֵל *Et turbo* quidem *perſeverans,* qui non cito transibit, ſed non prius ceſſabit, quam omnes abripuerit, id quod Verſu 20. propriis verbis exprimitur. מִתְחוֹלֵל Participium Hithpael verbi חול com-

commorari, manere (ut 2 Sam. III, 29.), quod ſtatim ſequitur, Jarchi recte exponit משתכן מחזק לשכון *ſeſe habitare* ſ. *reſidere faciens, qui invaleſcit, ad reſidendum.* Infra XXX, 23., ubi hic Verſus repetitur, pro מִתְחוֹלֵל exſtat מִתְגּוֹרֵר, Participium Hithpael verbi גור *commorari.* J. D. Michaelis collato Arabico حول *in orbem ire*, vertit: *in orbem ſe volvens.* Chaldaeus: עַלְעוֹל מִשְׁתַּגֵּשׁ *turbo perturbans.* Graecus Alexandrinus: εἰς συσσεισμὸν συστρεφομένη (ὀργὴ Κυρίου), quaſi לְסַעַר legiſſet.

20. בְּאַחֲרִית הַיָּמִים *In extremo dierum*, tempore futuro; vid. not. ad Geneſ. XLIX, 1. p. 684. edit. tert. Kimchi tempora Meſſiae indicari putat. Sed vix dubium eſt intelligi tempus, quo mala impiis denunciata ingruent. Additur enim: תִּתְבּוֹנְנוּ בָהּ בִּינָה *intelligetis illud intelligendo*, veſtro damno experiemini; intelligetis, ſed ſero, me non fruſtra poenas vobis minatum eſſe.

21. לֹא־שָׁלַחְתִּי אֶת־הַנְּבִאִים וְהֵם רָצוּ *Non miſi illos prophetas, et* tamen *illi currunt*, ſedulo id agunt, ut prophetas ſe jactitent. רוּץ *Currere* ſtudium et induſtriam indicat, ut Jeſaj. LIX, 7. et ſaepius. Cf. infra Vs. 32. et ſupra XIV, 14. ſeqq., infra XXVII, 15. XXIX, 9. וְהֵם נִבְּאוּ *Et* tamen *illi vaticinantur.* Chaldaeus: וְאִנּוּן מִתְנַבְּן שְׁקַר *et illi vaticinantur mendacium.*

22. וְאִם־עָמְדוּ בְּסוֹדִי *Si vero ſtetiſſent in meo concilio*, ſi, ut jactant, conſilia et decreta mea edocti eſſent, וְיַשְׁמִעוּ דְבָרַי אֶת־עַמִּי *audire feciſſent verba mea populum meum*, mea mandata eloquuti eſſent, וִישִׁבוּם מִדַּרְכָּם הָרָע *et avertiſſent eos a via ſua mala*, dediſſent meis ea conſilia, per quae a peccatis ſanati ſimul et poenas evaſiſſent.

23. הַאֱלֹהֵי מִקָּרֹב אָנִי וְלֹא אֱלֹהֵי מֵרָחֹק *Num* tantum *Deus e propinquo* ſ. *propinquitatis ego ſum? et non* etiam *Deus e longinquo?* ſ. *longinquitatis?* Non ſum ejusmodi numen, quod ea tantum videat et curet, quae ſibi

ſibi ſunt propinqua, et, quum in coelo ſim, ignorem quae in terra fiunt. Putatisne, me tantum coeleſtia curare, et non etiam terreſtria, et clandeſtinas fraudes non animadvertere? Sive, ut J. D. Michaelis ſenſu mexpreſſit: meane omniſcientia ita eſt arctis limitibus circumſcripta, ut poſſim modo, hominum more, ex proximo videre, nec intelligam remota? Alias quidem, ut Deuter. XXXII, 17., מִקָּרוֹב dicitur de recentibus et nuper demum excogitatis diis; hic vero, quod Verſu proximo ſubjungitur eam quam indicavimus ſignificationem exigit. אֱלֹהֵי מִקָּרֹב et אֱלֹהֵי מֵרָחֹק dicta ſunt pro אֱלֹהֵי קָרֹב et אֱלֹהֵי רָחֹק; Praepoſitio מִן, ut Arabica مِن, haud raro inſervit Genitivo aliisque Caſibus exprimendis, vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 839. et noſtras *Inſtitt. ad fundamm. ling. Arab.* p. 254. 8.). Nomina vero et ante Praepoſitiones in ſtatu conſtructo poni, pluribus exemplis docuit Geſenius l. l. p. 679. Quare ſupervacanea eſt Moerlii (in *Scholiis philolog. critt.* p. 101.) et J. D. Michaelis conjectura, eſſe pro מִקָּרֹב et מֵרָחֹק nomina heemantica per מ ab initio, מִקְרָב (quod nusquam legitur) et מֶרְחָק legenda. Senſum hujus Verſus pervertit Graecus Alexandrinus, qui ſic vertit: *Θεὸς ἐγγίζων ἐγώ εἰμι, καὶ οὐχὶ Θεὸς πόῤῥωθεν.* Nec ſenſum genuinum expreſſit Chaldaeus, cujus haec eſt interpretatio: אֲנָא אֱלָהָא בְּרֵית עַלְמָא מִבְּרֵאשִׁית אֲנָא אֱלָהָא עֲתִידְנָא לְחַדָּתָא עַלְמָא לְצַדִּיקַיָּא *ego, Deus, creavi mundum ab initio, ego Deus renovabo mundum juſtis.*

24. אִם־יִסָּתֵר אִישׁ בַּמִּסְתָּרִים וַאֲנִי לֹא־אֶרְאֶנּוּ *Num occultabitur vir in occultis, et ego non videbo eum?* Itane ſe latebris involvet aliquis, ut ego eum non videam? הֲלוֹא אֶת־הַשָּׁמַיִם וְאֶת־הָאָרֶץ אֲנִי מָלֵא *Nonne coelum et terram ego impleo?* neque a coelo, neque a terra longius abſum, ſed ubique tot[illegible]

25. Quum me nihil lateat, et שָׁמַעְתִּי וגו׳ *audivi quod dicunt prophetae, qui meo nomine falſa vaticinantur.* חָלַמְתִּי חָלָמְתִּי *Somniavi, ſomniavi!* nihil quam ſomnia, ubique

ubique et quoties lubet, crepant. Conf. infra XXIX, 8. Chaldaeus: פִּתְגָם נְבוּאָה בְּחֶלְמָא אִתְחֲזִיָא לִי *verbum prophetiae in ſomnio annunciatum eſt mihi.*

26. עַד־מָתַי *Quousque* tandem, ſcil. hoc pacto agent? aut: quousque hoc feram? Abrupta loquutio, qualis ſupra XIII, 27. Pſ. VI, 4. — הֲיֵשׁ בְּלֵב הַנְּבִיאִים נִבְּאֵי הַשָּׁקֶר *Num eſt in corde prophetarum, qui falſa vaticinantur?* Nova interrogatio, quam vero, poſt interpoſita verba nonnulla, Verſus proximus abſolvit. נְבִיאֵי תַרְמִת לִבָּם *Prophetae doli cordis ſui,* qui loquuntur dolum mente cogitatum.

27. הַחֹשְׁבִים *Num cogitant?* Recte vidit Ludov. de Dieu, הַ ante חֹשְׁבִים eſſe interrogationis notam, quae non ſolum per Chateph-Pathach, verum et cum ſimplici Pathach (et ante gutturales quidem ſemper) praeponi ſoleat, et הַחֹשְׁבִים idem eſſe quod הֲיֵשׁ בְּלֵב Verſu 26. Reaſſumitur quaeſtio, quae ibi interrupta erat. Quibus poſitis Lud. de Dieu utriusque Verſus ſenſum conſtituit hunc: quousque durabit haec ipſorum impudentia? habentne in animo falſi iſti prophetae, cogitantne, inquam, inducere populum meum in plenam oblivionem nominis mei?

28. הַנָּבִיא אֲשֶׁר־אִתּוֹ חֲלוֹם יְסַפֵּר חֲלוֹם *Propheta quocum, ſ. cui eſt ſomnium, narret ſomnium,* i. e. ut merum ſomnium, ut unum e reliquis ſomniis, ut recte Jarchi, ſermone vulgari, negligentiore, ſed non tribuat ei auctoritatem prophetiae. וַאֲשֶׁר דְּבָרִי אִתּוֹ יְדַבֵּר דְּבָרִי אֱמֶת *Quocum vero verbum meum* eſt *loquatur verbum meum, veritatem,* ſive, vere, ſincere, bona fide enuntiet, quae a Deo accepit, nihil ſubticeat, nihil addat de ſuo. מַה־לַתֶּבֶן אֶת־הַבָּר *Quid eſt paleae cum tritico?* Jarchi: quid rei eſt mendacio cum veritate? Syrus: ܠܡܢܐ ܡܚܠܛܝܢ ܐܢܬܘܢ ܬܒܢܐ ܥܡ ܚܛܬܐ *quare miſcetis paleam cum tritico?* mera ſomnia cum iis, quae ego meis prophetis pronuncianda mandavi. Prius Verſus hemiſtichium C. B. Michaelis hoc modo interpretatur: *Propheta cui eſt,* qui

putat

putat ſe habere *ſomnium* divinum (Num. XII, 6. 1 Sam. XXVIII, 6. 15.), *narret illud* ſcilicet אֱמֶת (ex membro ſequ.) *in veritate*, q. d. non veto narrari ſomnia prophetica, quorum ipſemet auctor ſum, modo ſint vere divina, nullis admixtis mendaciis. Sed alterum Verſus hemiſtichium magis favet interpretationi a nobis adſcitae, ut meris vaniſque ſomniis opponantur vera, divino afflatu edita vaticinia.

29. Facile dignoſci ait vana ſomnia a divinis effatis, effectu puta, quem habent in animis hominum. הֲלוֹא כֹה *Nonne eſt ita?* כֹּה Henslerus habet pro Infinitivo contracto verbi כָּוָה *uſſit, aduſſit*, Indicativi loco poſito, ut verba הֲלוֹא כֹה דְבָרִי כָּאֵשׁ ita ſint vertenda: *nonne urit verbum meum ſicut ignis?* Quod recte rejicit Schalom Hacohen, obſervans, verbum כָּוָה dici non niſi de re aduſta (vid. Prov. VI, 28. Jeſaj. XLIII, 2.), non vero de flamma ardente et comburente, neo apte dici, verbum divinum adurere. Recte J. D. Michaelis: „כֹּה *ita?* emphatice ante comparationem poſitum, ut attendat auditor ad ſequuturum ſimile.“ דְּבָרִי כָּאֵשׁ *Verbum meum* eſt *ſicut ignis*, penetrat in animos et potenter movet. Hieronymus: „Meus, inquit, ſermo nuntiat futura ſupplicia, ut deterreat homines a peccando.“ Similiter verbi divini efficacia deſcribitur Hebr. IV, 12. *Ζῶν γὰρ ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ, καὶ ἐνεργὴς, καὶ τομώτερος ὑπὲρ πᾶσαν μάχαιραν δίστομον, κ. τ. λ.* וּכְפַטִּישׁ יְפֹצֵץ סָלַע *et ſicut malleus qui diſſilire facit petram*, nemini parcens, ne duriſſimo quidem, quum mendaces illi prophetae omnium auribus et voluntatibus ſe accommodent. J. D. Michaelis hoc Verſu non de efficacia verbi divini in hominum animis ſermonem eſſe putat, ſed de impetu interno, quo veri prophetae agitabantur, cujusque nihil perſcutiscebant falſi illi, facile habituri, de ſomniis ſuis ſilere. Ignoraſſe videtur Michaelis, eodem ſenſu Jarchium hunc Verſum cepiſſe: „Non debuerunt, inquit, falſi prophetae in errorem inducere, et aſſimilando dicere, ſomnia ſua eſſe vaticinia; nam ver-

bum propheticum, quando ad os prophetae venit, cum potentia ad illum venit, tanquam ignis ardens, ut ſupra X, 9. dixit: *fuit in corde meo tanquam ignis ardens,* et Ezech. III, 14. *manus Jovae ſuper me fuit praevalida.*" Sed *mallei duriſſima quaeque diffringentis* imago magis commendat interpretationem, quam ſupra dedimus.

30. הִנְנִי עַל־הַנְּבִיאִים *En! me contra prophetas.* Chaldaeus: הָא אֲנָא שָׁלַח רוּגְזִי עַל נְבִיֵּי שִׁקְרָא *en! ego mitto iram meam in prophetas mendaces.* Notat Kimchi, tribus hisce Verſibus, quibus הִנְנִי praemiſſum eſt, Deum tribus falſorum prophetarum generibus poenas minari. Quinam vero ſint, qui hoc Verſu dicuntur מְגַנְּבֵי דְבָרַי אִישׁ מֵאֵת רֵעֵהוּ *qui furantur verba mea quisque a ſocio ſuo,* i. e. alter ab altero, non conſentiunt interpretes. Sunt, qui illis indicari exiſtiment eos, qui ſurriperent quaedam verorum prophetarum dicta, eaque vel admiſcerent ſuis mendaciis, ut iis fidem facerent, vel falſa interpretatione in rem ſuam detorquerent, ut Chananja, Azuris filius, de quo infra XXVIII, 1. ſeqq. Ita Jarchi et Kimchi. Sed C. B. Michaelis: „Quid? ſi notet pſeudoprophetarum κακοζηλίαν in imitandis prophetarum, ſicut habitu et moribus externis, ita et loquendi generibus; ut cum illud נְאֻם יְהוָה identidem ingeminarent, Vs. 31." J. D. Michaelis pſeudoprophetas nihil divini inter ſe perſentiſcentes deſcribi putat, ſed rerum et verborum ita egenos, ut vaticinia alii aliis ſuffurentur, et ingenii paupertate quisque phraſes alterius imitetur. Quod et Eichhornio et Dahlero placuit. Verum illi vix poterant aliis *Dei verba* (דְּבָרַי) furari dici. Equidem malim cum Grotio tales deſignari, qui ſuis mendaciis efficerent, ne homines veris prophetis fidem adhiberent, vel, qui fidem ac reverentiam, quam alii iis adhiberent, eorum cordibus excuterent. Ita et Gaabius.

31. De ſenſu phraſeos הַלֹּקְחִים לְשׁוֹנָם *qui ſumunt linguam ſuam,* nonniſi hic obviae, ſententiae ſunt variae.

Grae-

Graecus Alexandrinus vertit: τοὺς ἐκβάλλοντας προφητείας γλώσσης, *qui emittunt vaticinia linguae*, quibus Chrysostomus falsas indicari ait, utpote quae falsi prophetae non a Numine edocti proferunt, sed lingua sua tantum utuntur. Sensu haud longe discedit Chaldaeus: דְּמִתְנַבַּן בִּרְעוּת לִבְּהוֹן *qui vaticinantur secundum placitum cordis sui.* Hieronymus: *assumentes linguas suas*, sensu haud satis claro. Forsan hoc voluit: lingua sua bene uti sciunt ad mendacia sua commendanda. Ita Jarchi: „Qui assuefaciunt linguam suam mendacia sua proferre adhibitis hisce verbis: *dixit Dominus*, prout veri prophetae facere solent, ut homines iis fidem adhibeant." Syrus: ܕܡܗܦܟܝܢ ܠܫܢܝܗܘܢ *qui convertunt*, s. *versant linguas suas.* Sunt, qui הַלֹּקְחִים per literarum metathesin pro הַמַּחֲלִיקִים *blandam reddentes* dictum existiment (quemadmodum שִׂמְלָה et שַׂלְמָה *vestis*, כֶּשֶׂב et כֶּבֶשׂ *agnus*) ut sit: blandis sermonibus plebem illiciunt. Sed Participium Cal, הַלֹּקְחִים, longius recedit a Participio Hiphil, הַמַּחֲלִיקִים, quam ut haec invicem permutata esse verisimile sit. Multo minus probandus Venema, qui verbo Hebraico frequentissimi et notissimi usus verbi Arabici لقح significatum: *foecundavit palmam semine masculino* affinxit, et verba הַלֹּקְחִים לְשׁוֹנָם vertit: *qui foecundant linguas suas.* Quod sic interpretatus est: qui non a Jova inspirati loquuntur, sed suas linguas ipsi flore doctrinae adspergunt, et sibi inspirant dictum tanquam divinum. Quod commemorasse sufficiat. Attamen illa *foecundandi* significatio arrisit et Dathio, sed haec verba cum proximis, וַיִּנְאֲמוּ נְאֻם, conjunxit et per ἓν διὰ δυοῖν sic explicavit: *foecunde*, sive *copiose proferunt oracula divina.* Mihi quidem simplicissima et rei optime conveniens Jarchii interpretatio videtur, quam attulimus. וַיִּנְאֲמוּ נְאֻם *Et dicunt: dictum*, effatum scil. Jovae; quum veri prophetae dici soleant נְאֻם יְהוָה, eadem hac formula et falsi illi prophetae frequenter utuntur, ut mendaciis suis fidem faciant. Livius

 Hist.

Hist. L. XXV, 12. tradit carmina prophetica Marcii pugnam ad Cannas praedicentis in extremo semper habuisse formulam: *Nam mihi ita Jupiter fatus est.* Recte Syrus: ܘܐܡܪܝܢ ܡܪܝܐ ܐܡܪ ܗܟܢܐ *dicuntque: Dominus dicit ita.* Graecus Alexandrinus vertit: καὶ νυστάζοντας νυσταγμὸν ἑαυτῶν, *qui dormitant dormitationem suam*, qui somnia sua pro prophetiis habent. Retulit utramque hebraicam vocem ad נום *dormitare.*

32. בְּפַחֲזוּתָם *Fastu suo*, f. *temeritate sua*, dum fastuose et temere se vates jactant. De פָּחַז vid. not. ad Genes. XLIX, 4. Zephan. III, 4. Alii: *levitate sua*, i. e. levibus stultisque suis inventis. Chaldaeus בְּבַקְרָיוּתְהוֹן *arrogantiâ suâ* vertit. Graecus Alexandrinus: ἐν τοῖς πλάνοις αὐτῶν. Vulgatus: *in miraculis suis*, Hieronymus addit: *suis stuporibus atque terroribus suis* (sed pro *terroribus* lege *erroribus*, uti Cyprianus habet). Syrus hebraeam vocem retinuit. Jarchi פַּחֲזוּת Gallico *étourdissement* interpretatur. J. D. Michaelis: „*vaesania sua*; פָּחַז proprie est *spumare*, deinde ad *furorem* transfertur, maxime ad *rabiem caninam.*" Quod pluribus adstruere studuit in *Biblioth. Orient.* T. IX. p. 209. Minus tamen aptum illud h. l.

33. מַה־מַּשָּׂא יְהוָה *Quid est effatum*, oraculum *Jovae?* Est enim מַשָּׂא a נָשָׂא *protulit, pronuntiavit*, vid. Job. XXVII, 1. „Credibile est, fuisse profanos homines, qui prophetam, quod assiduus ipse esset in reprehendendis vitiis denuntiandisque divinis suppliciis, proterve lacesserent, subinde ex eo quaerentes, num quid novum מַשָּׂא penes ipsum exstaret. Utebantur vero illi vocabulo מַשָּׂא eapropter, quod ambiguum esset, et perinde *onus* significaret ac *effatum propheticum*; ut innuerent, se non exspectare nisi quae gravia sint et molesta oracula, neque vero eadem vehementer se reformidare. Schnurrerus. In iis, quae respondere prophetam jubet Jova, altero Versus hemistichio, pro אֶת־מַה־מַּשָּׂא post Ludov. Cappellum in

Nott.

Nott. Critt. in h. l. recentiorum plerique legendum esse אַתֶּם הַמַּשָּׂא *vos estis onus* statuunt, praeeunte Graeco Alexandrino, qui ὑμεῖς ἐστε τὸ λῆμμα vertit. Sed recte Schnurrerus judicat, perquam frigidum esse illud: *vos vero estis onus*, nec esse, cur quod in codicibus omnibus scriptum exstat, rejiciatur. „Nimirum absolute positum est אֶת־מַה־מַּשָּׂא, non repugnante particula אֶת, quae Nominativo etiam haud raro praemittitur, ut habeat vim nonnullam demonstrandi, veluti Jerem. XXVII, 8. (Schroederi *Syntax. Nomin.* Reg. XXXI. [cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 682.]), et Vau verbo וְנָטַשְׁתִּי praefixum est ἀποδοτικὸν, quale mox cernitur Versu proximo 34., aliisque in locis, veluti II, 34. VII, 23. XXVII, 11. Verba igitur sic reddas: *quantum ad vestrum illud* אֶת־מַה־מַּשָּׂא, scitote, *decretum mihi esse vos rejicere.*" Recte hujus Versus sensum exponit Hieronymus: „Quia prophetae solebant populo peccatori tristia nunciare, et comminari supplicia, ut eos retraherent ad poenitentiam, clemens autem et miserator Dominus diu sententiam differebat; putabat deceptus populus et pseudoprophetarum fraude seductus, non ventura, quae Deus minabatur, et rem severam in ludum et jocum verterant, prophetantibusque prophetis quasi irridentes dicebant: rursum hic videt pondus et onus Domini. Atque ita fiebat, ut nequaquam ultra *visio*, sed per jocum atque derisum *onus* et *pondus* appellaretur. Praecepit ergo Dominus, ut sive populus, sive propheta, sive sacerdos interrogaverint Jeremiam, quid sit pondus, vel quae assumtio Domini? respondeat iis et dicat: *vos estis onus, et vos assumtio;* assumam enim vos et projiciam, allidamque et interire faciam."

34. Indigne ferens vates quod profani homines formulam illam מַשָּׂא יְהוָה in ludibrium et derisum verterent, edicit nomine Jovae, abstinendum esse posthac omnibus ab usu illius formulae, atque scitantes oracula divina, quibusnam verbis uti debeant, praescribit Versu 35.

36.

36. וּמַשָּׂא יְהוָה לֹא תִזְכְּרוּ עוֹד *Et Maſſa Jova non commemorabitis amplius,* illo vocabulo non amplius utamini. כִּי הַמַּשָּׂא יִהְיֶה לְאִישׁ דְּבָרוֹ *Nam onus erit,* fiet, *cuique* irriſori *dictum ſuum,* experietur, ipſum ſua voce adverſus ſe ſententiam tuliſſe, gravem ſibi atque exitioſam futuram.

39. וְנָשִׁיתִי אֶתְכֶם נָשֹׁא *Oblivifcar veſtrum obliviscendo,* i. e. prorſus. Chaldaeus: וְאַרְטוֹשׁ יַתְכוֹן מִרְטַשׁ *et relinquam vos relinquendo.* Videtur nova paronomaſia ad nomen מַשָּׂא eſſe (Vs. 33.), ſibilo tantum paulisper intenſo ex *Sin* in *Schin.* Sunt libri et calamo et typis exarati, qui נָשָׂא, per *Sin* exhibeant, quod eſſet: *obliviſcar vos portare* amplius. Alii: וְנָשָׂאתִי אֶתְכֶם נָשֹׂא *et tollam vos tollendo,* i. e. in ſublime vos tollam, ut fortius abjicere poſſim. Ita Syrus: ܘܐܫܩܘܠܟܘܢ ܡܫܩܠ *tollam vos tollendo.* Utrumque minus concinne.

XXI.

Cap. XXIV.

ARGUMENTUM.

Ostenduntur vati in viso duo calathi, quorum alter ficus bonas probique saporis, alter malas et rejectaneas contineret (Vs. 1—4.). Qua imagine Deus declarat repraesentari diversam conditionem et sortem primo quidem eorum, qui cum Jechonia in Babylonem abducti ad frugem ibi redierint, patriae olim restituendi (Vs. 5—7.), deinde vero illorum, qui una cum Zedekia rege et proceribus in patria relicti, ob inemendabilem pravitatem omni suppliciorum genere sint afficiendi, tandemque e patrio solo abigendi (Vs. 8—10.). Hanc pericopam Versus octavus ostendit eo tempore consignatam esse, quo Zedekias a vicinis regibus sollicitatus et a vatibus mendacibus confirmatus (vid. infra XXVII, 3. seqq.), adversus Nebucadnezarem rebellare constituit, quod quem exitiabilem reipublicae successum sit habiturum, vati animus recte praesagibat.

Ostendit mihi Jova duas ficuum fiscellas, 1.
ante Jovae templum positas, postquam Nebucadnezar, Babyloniae rex, Jechoniam, Jojakimi, Judaeae regis filium, Judaeaeque principes, et fabros, et opifices Hierosolymis capti-

2. captivos in Babyloniam deportavit: quarum
ſiscellarum altera erat ficuum valde bona-
rum, quales ſunt primores ficus, altera ita
3. malarum, ut comedi non poſſent. Et Jova
mihi dixit: quid vides, Jeremias? Ficus,
inquam ego, quarum bonae valde bonae
ſunt, et malae valde malae, ut comedi non
4. poſſint. Tum alloquens me Jova ſic dixit:
5. Jova, Deus Iſraelitarum, inquit: ut ficus
iſtae bonae* ſunt, ſic ego exſulum Judaeo-
rum, quos iſthinc in Chaldaeam terram miſi,
6. rationem habebo, in eosque conjiciam ocu-
lum boni cauſa et eos in hanc terram re-
ducam, inſtruamque, non evertam, et plan-
7. tabo, non eruam; et eam illis mentem dabo,
ut me Jovam eſſe intelligant, et ipſi mihi
populus, et ego iis ſim Deus, quum ad me
8. toto corde reverterint. Rurſum quales ſunt
malae ficus, ita malae ut comedi non
poſſint, tales ego reddam, inquit Jova, Ze-
dekiam, Judaeae regem, principesque et
reliquos Hieroſolymitanorum, qui in terra
iſta ſuperſunt, quique in Aegypto degunt,
9. eosque male vexandos in omnia terrarum
regna dabo, ita ut ignominiae, dicterio, fa-
bulae, et deteſtationi ſint, ubicunque loco-
10. rum eos profligavero: in eosque arma, fa-
mem, peſtem immittam, eousque ut omnino
pereant e terra, quam ego iis eorumque
majoribus dedi.

NOTAE.

N O T A E.

Cap. XXIV, 1. דּוּדָאֵי תְאֵנִים Graecus Alexandrinus vertit *καλάθους σύκων*, *canistros*, sive *fiscellas ficuum*, consentientibus interpretibus ceteris omnibus. דּוּד proprie *ollam*, *lebetem*, ut Job. XLI, 12. 1 Sam. II, 14., tum vero et aliud vas concavum et profundum, ut canistrum, ut 2 Reg. X, 7. et h. l. denotat. Est vero דּוּדָאֵי pro דּוּדֵי, a Singulari דּוּדַי, ut לוּלָאוֹת a לוּלָי, vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 575. Minus feliciter in hac voce tractanda versatus est Christ. Ravius in Dissertat. *de Dudaim* (cujus epitomen dedit Petr. Zornius in *Biblioth. antiq. exeget.* p. 1039. seqq.), qui *ramos* illa significari ostendere studuit, argumentis mere etymologicis. מוּעָדִים לִפְנֵי הֵיכַל יְהוָה *Constitutos ante templum Jovae.* Debebant ex lege Exod. XXIII, 19. Deut XXVI, 2. primitiae fructuum, et in his ficuum, in calathis ab Israelitis ad templum adferri. מוּעָדִים Gaabius post Schmidium non simpliciter *positos* denotare putat, sed in hunc usum constitutos, ut prophetia inde sumeretur, quum verbum יָעַד in Hiphil *in certum usum aliquid destinare* denotet. אַחֲרֵי הַגְלוֹת נְבוּכַדְרֶאצַּר וגו' *Postquam abduxisset Nebucadnezar, rex Babelis, Jechoniam, Jojakimi filium, regem Judae,* vid. 2 Reg. XXIV, 11—16. — וְאֶת־הֶחָרָשׁ וְאֶת־הַמַּסְגֵּר *Et fabrum* s. *artificem et claustrarium*, i. e. fabrum ferrarium, a seris claustrisve faciendis. Graecus Alexandrinus: *καὶ τοὺς τεχνίτας, καὶ τοὺς δεσμώτας.* Hieronymus: *et fabrum et inclusorem.* Chaldaeus: יַת אוּמָנַיָּא וְיַת תַּרְעַיָּא *opifices et janitores.* Jarchi exponit vocibus Gallicis: *le maitre et le portier*, quasi adagialis loquendi formula esset. Legitur quoque 2 Reg. XXIV, 14. 16. et infra XXIX, 2.

2. כִּתְאֵנֵי הַבַּכֻּרוֹת *Sicut ficus* praecocium, id est, explicante Kimchio, arborum praestantium, quae praecoces fructus ferunt, quarum ficus inter primas maturescunt, ineunte aestate, aut ante, expetitae adeo, atque suaviores gustan-

guftantibus non modo propter maturitatem, fed raritatem quoque. De בִּכּוּרָה vid. not. ad Jefaj. XXVIII, 4. Mich. VII, 1., et cf. Celsii *Hierobot.* T. II. p. 375. Graecus Alexandrinus hic vertit: ὡς τὰ σῦκα τὰ πρώϊμα. Hieronymus: *ut folent ficus effe primi temporis.* „Ficuum," inquit Schmidius, „in Judaea varia funt genera, inprimis quae bis in anno ferebant (Plinii *Hift. Nat.* L. XV. Cap. 18.). Eae quae priori vice crefcebant, erant optimae, et egregie maturefcebant, quae vero pofteriori vice, minus bonae erant, et faepe ne quidem ad juftam maturitatem perveniebant ob anni tempus in hyemem vergens." מֵרֹעַ *Propter malignitatem*, i. e. immaturitatem.

3. Interrogat Deus, ut occafionem fibi faciat explicandi prophetae, quid vifio iſthaec fignificaret.

5. Ad verba כַּתְּאֵנִים הַטֹּבוֹת הָאֵלֶּה fubaudiendum eft ex pofteriori hemiftichio: תַּכִּיר לְטוֹבָה *ficut ficus iftas bonas agnofcis in bonum*, i. e. approbas. Quod in fine Verfus legitur, לְטוֹבָה, eft cum verbis כֵּן אַכִּיר conjungendum: *fic agnofcam in bonum*, i. e. eos approbo. „Sicut tu ficus illas bonas approbas, ita ego approbabo poenitentiam, quam agent aliquando iſti nunc deportati." Grotius. Alii, ut Schalom Haccohen, לְטוֹבָה connectunt cum אֲשֶׁר שִׁלַּחְתִּי hoc fenfu: *quos ex hoc loco*, Judaea, *in Chaldaeam mifi ad bonum*, i. e. in ipforum commodum, ne pereant cum iis, qui in patria relicti funt. Minus ad rem appofite.

6. וְשַׂמְתִּי עֵינִי עֲלֵיהֶם לְטוֹבָה *Ponam*, dirigam, *oculum meum ad eos in bonum*, favens eos refpiciam. Cf. de hac phrafi fupra XXI, 10. Amof. IX, 4. וּבְנִיתִים וְלֹא אֶהֱרֹס *Et aedificabo eos et non deftruam*, locabo eos hic in certa fede, quam feliciter obtenturi funt.

7. וְנָתַתִּי לָהֶם לֵב לָדַעַת אֹתִי *Et dabo iis cor ad cognofcendum me*; vide hoc plenius expreffum ab Ezechiele XI, 19. et ibi not.

8. וְכַתְּאֵנִים הָרָעוֹת *Et ficut ficus malas* fcil. נָתַתָּ *ponis*, i. e. tractas, quod e fequenti כֵּן אֶתֵּן fubaudiendum,

dum, quemadmodum tu cum malis ficubus agis, quas ut inutiles abjicis, ita ego agam cum Zedekia et ceteris Hierofolymitanis; abigam eos e terra mihi propria, Vs. 9. Verba כִּי־כֹה אָמַר יְהוָה parenthefi funt includenda. וְהַיֹּשְׁבִים בְּאֶרֶץ מִצְרָיִם *Et qui habitant in terra Aegypti.* „Quibus Schmidius intelligit Joachazum (alias Sallum), et qui forte cum ipfo a Pharaone in Aegyptum abducti, vid. fupra XXII, 11. At Kimchi eos, de quibus infra XLIV, 12. 13. Poffent vero hic defignari, quicunque durantibus fub Jojakimo et Jechonia bellicis tumultibus in Aegyptum, foederatum contra Babylonios regnum, ut probabile eft, fubinde concefferunt.“ C. B. Michaelis.

9. De formula וּנְתַתִּים לְזַוְעָה, five, ut ad marginem eft, לְזַעֲוָה, nullo fignificationis discrimine, vid. not. ad XV. 4. Hic vero לְזַוְעָה לְרָעָה nonnulli per afyndeton jungi exiftimant, hoc fenfu: reddam eos vagos et infelices quoad omnia regna, in quae disperfi fuerint. Malim, accommodate ad eam quam loco laudato dedimus interpretationem, cum Jarchio, ita capere: *reddam eos in commotionem in malum omnibus regnis*, i. e. ita cum iis agam, tales iis infligam poenas, ut omnium, qui de iis audient, animi commovebuntur, fed non laeta admiratione, fed horrore. זַוְעָה magnam animi commotionem denotat, vel ob rem maxime laetam, vel ob fumme infelicem (cf. not. fupra ad XI, 15. p. 340.), hinc additur hic לְרָעָה *in malum.* וּלְמָשָׁל *Et in parabolam,* de miferrimo homine dicetur: tam mifer eft quam Zedekias. שְׁנִינָה a שָׁנַן *acuit* vix dubium eft notare *mordax et acute dictum.* Veteres fenfum liberius exprefferunt. Graecus Alexandrinus: *εἰς μῦθος*, Hieronymus *in proverbium,* Chaldaeus לְשׁוֹעִי *ad narrationem* reddidit, et Syrus ܠܡܫܥܝܘܬܐ, quod idem. J. D. Michaelis collato Arabico سُنَّة *forma, exemplum,* mallet *in exemplum* vertere, reliquis duobus nominibus minus apte. Ceterum haec verba petita funt e Deut. XXVIII, 37.

XXII.

XXII.

Cap. XXV.

Argumentum.

Hebraeis diu multumque per prophetas admonitis, ut ad frugem meliorem redirent, sed non obtemperantibus, Jova minatur, se eorum contumaciam severe vindicaturum esse terrae suae vastatione a Babyloniae rege inducenda, et septuaginta annorum servitute (Vss. 1—11.). Illis completis Jova et in Babylonios se animadversurum esse minatur (Vss. 12—14.). Tum vatem jubet et populis reliquis omnibus suam vindictam denunciare, imagine usus poculi taetro vino pleni, quod illis potandum praebeat, quo inebriati sint perituri, ita ut totius terrae superficies caesorum cadaveribus sit operienda (Vss. 15—38.).

Qui hoc Capite continetur sermo, anno quarto Jojakimi, qui ipse esset Nebucadnezaris annus primus, habitus dicitur Versu primo. Sed eum tunc ita, ut nunc legimus, non fuisse habitum, arguit tum illud, quod quae Versu 13. leguntur de libro, in quo Jeremias sua in gentes exteras vaticinia consignarit, eo quod Versu primo notatur tempore ab ipso dici non potuerint, ut ad eum locum videbimus, tum quod quae regi Babyloniae Vss. 12. 13. 26. denunciantur poenae vatem primo Nebucadnezaris anno minatum fuisse, non sit credibile. Non enim ille tunc quidquam in Hebraeos commisit, quo animadversionem promeruisset. Imo eodem, quo hic sermo habitus dicitur, quarto Jojakimo anno, Nebucadnezar, devicto apud Cercusium

cufium rege Aegyptio, Pharaone Nechone (infra XLVI, 2.), qui Jojakimum regem conftituerat (2 Reg. XXIII, 34.), hunc illius foederatum non depulit regno, fed in eo confirmavit, ea conditione, ut in ipfius clientela effet, et tributa penderet, 2 Reg. XXIV, 1. Eo tempore illa tantummodo, quae inde a Verf. tertio hujus Capitis usque ad Verfum undecimum (hoc inclufo) leguntur, a vate pronunciata crediderim, reliqua tum demum addita, cum omnia Jeremiae vaticinia in hoc, quo nunc utimur, volumen collata effent. Eichhornius (*die bibl. Propheten* P. II. p. 116.) hanc pericopam poft expugnatam Hierofolymam confignatam effe eo confilio cenfet, ut fyntagmati vaticiniorum contra gentes Capp. XLVI. usque ad LI. Praefationis loco praemitteretur, hac potiffimum ratione ductus, quod Vfs. 15. feqq. enumerantur populi de quibus poenas fumere Jova decrevit.

Sermo, qui ad Jeremiam habitus eft ad 1.
omnem Judaeum populum anno quarto Jojakimi, Jofiae filii, Judaeae regis, qui annus eft primus Nebucadnezaris, Babyloniae regis,
quum quidem adfatus eft Jeremias vates 2.
omnem Judaeum populum, omnesque Hiero-
folymitanos in hunc modum: ab anno Jofiae, 3.
Ammonis filii, Judaeae regis, decimo tertio, ad hodiernum diem, per hos viginti tres annos, et Jova me, et ego vos alloquutus fum, et vigilanter alloquutus fum, nec au-
diviftis. Et quum mitteret Jova ad vos fuos 4.
tot fervos vates vigilanter, nec audiviftis, aut aures ad audiendum praebuiftis illis ita monentibus: defciscite a fua quisque mala con-
fue-

ſuetudine morumque pravitate, et manebitis
in terra, quam Jova vobis veſtrisque dedit
majoribus in omnem ſeculorum aeternitatem.
6. Neve alienos ſequimini Deos, ſerviendi aut
colendi cauſa, ne ego veſtris irritatus actio-
7. nibus vobis malefaciam. Sed non audiviſtis
me, inquit Jova, ut me veſtris actionibus ad
8. vobis malefaciendum me irritaretis. Quare
ſic dicit Jova, agminum Deus: quoniam vos
9. mihi dicto audientes non fuiſtis, ego cu-
rabo arceſſendas omnes aquilonares natio-
nes, inquit Jova, et Nebucadnezarem, Baby-
loniae regem, miniſtrum meum, quos in
terram iſtam, inque omnes ejus incolas, et
in omnes iſtas finitimas gentes inveham,
easque evertam, et in ſtupendam, ſibilandam,
10. perpetuam ſolitudinem redigam, efficiamque,
ut in eis non voluptatis et laetitiae, neque
ſponſi aut ſponſae ſonus, neque molarum
ſtrepitus audiatur, aut lumen ſit lucernae.
11. Atque ita omnis iſta terra in ſtupendam
redigetur ſolitudinem, ſervientque iſtae gen-
12. tes regi Babylonio annos ſeptuaginta. Deinde
completis annis ſeptuaginta, vindicabo in
Babyloniae regem, inque gentem illam, in-
quit Jova, eorum culpam, inque terram
Chaldaeam, eamque in perpetuam redigam
13. vaſtitatem, et in terram importabo quidquid
ei minatus ſum, videlicet quidquid in libro
iſto ſcriptum eſt quo vaticinatus eſt Jeremias
adver-

adverſum gentes omnes, quandoquidem ſer- 14.
vire cogent eos, ipſos inquam, gentes multas
magnosque reges; ita eis digna ſuis factis
et actionibus rependam. Sic enim dixit mihi 15.
Jova, Deus Iſraelitarum; accipe de mea
manu hoc vini excandeſcentiae poculum, et
eo potiona gentes omnes, ad quas ego te
mitto, ut bibant, et inde commoveantur, 16.
et inſaniant, ob arma, quae ego inter eos
immittam. Igitur ego accepi de Jovae manu 17.
poculum, gentesque omnes potionavi, ad
quas me Jova miſerat, videlicet Hieroſo- 18.
lymam Judaeaeque civitates, atque reges et
principes, ut in ſtupendam, ſibilandam et
deteſtandam vaſtitatem redigerentur; item 19.
Pharaonem, Aegypti regem, ejusque et ſervos
et proceres, et omnem populum; itemque 20.
omnes peregrinos, omnesque reges terrae Uz,
et omnes Palaeſtinae reges, Ascalonem, Ga-
zam, Accaronem, Aſchdodique reliquias, Idu- 21.
maeos, Moabitas, Ammonitas, omnes Tyrios 22.
Sidoniosque reges et reges orarum trans-
marinarum, Dedanem, Themam, Buzam, 23.
omnesque qui circumtonſi ſunt angulos (ca-
pitis aut barbae), omnesque Arabiae reges, 24.
omnesque reges peregrinorum, qui deſertum
incolunt, omnesque Simyraeorum et Elami- 25.
tarum reges, omnes Mediae, aquilonaresque 26.
reges, ſive finitimos, ſive alios ab aliis re-
motos, denique omnia, quaecunque ſunt in
orbe

orbe regna. Rex autem Schefchachao po-
27. tabit poft illos. Dices autem eis: fic dicit
Jova, agminum Deus, Deus Ifraelitarum:
potate, et inebriamini, et vomite, et cadite
non furrecturi, propter arma, quae ego inter
28. vos immitto. Quodfi poculum recufaverint
de manu tua fumere ad potandum, dices
eis: fic dicit Jova, agminum Deus: tamen
29. potare debetis. Nam quum ego urbi a me
denominatae malefacere incipiam, vos fcilicet
impune feretis? Non impune feretis; fiqui-
dem arma omnibus terrarum incolis edico,
30. inquit Jova, agminum Deus. Tuque has
omnes res eis vaticinare, et ita eis dicito:
Jova ex fublimi rugiet, ex fua facra fede
fonitum edet, rugiet adverfus domicilium
fuum, clamorem emittens qualis eft uvas
calcantium, in omnes terrarum habitatores.
31. Strepitus perveniet ad ultimas terras, quo-
niam lis eft Jovae cum gentibus, disceptabit
cum omnibus mortalibus, impios gladio ob-
32. jiciam, inquit Jova. Sic dicit Jova agminum
Deus: exiturum eft malum ex gente in gen-
tem, et ingens procella ab extremis exci-
33. tabitur terris. Eruntque Jovae caefi ab al-
tero terrarum fine ad alterum, neque plan-
gentur, neque colligantur, neque fepelientur,
34. fed terrae folum ftercorabunt. Ejulate, pa-
ftores! et quiritate, vos ipfos volutantes,
ductores gregis! Siquidem completi funt
dies

dies ad veſtram caedem; diſpergam vos, et
tanquam elegans ſupellex cadetis; care- 35.
buntque effugio paſtores, et ſalute ovium
ductores. Auditur clamor paſtorum, et eju- 36.
latio ductorum greges, quoniam depopulatur
Jova eorum paſcua, pereuntque pacatae 37.
ſtationes ardenti Jovae ira, qui quaſi leo 38.
luſtrum ſuum reliquit; nam eſt terra eorum
in vaſtitatem redacta ob ſaevitiam violentam,
ob irae ſuae ſaevitiam.

N O T A E.

Cap. XXV, 1. Pro עַל nominibus יִרְמְיָהוּ et כָּל־עַם praemiſſo, codices plures et libri editi habent אֶל *ad.* Utramque Praepoſitionem proprias ſuas ſignificationes haud raro inter ſe permutare conſtat. Ita 2 Sam. XV, 4. עָלַי יָבוֹא *ad me veniat.* Vid. et Geneſ. XXXVIII, 12. 2 Sam. XV, 20. בַּשָּׁנָה הָרְבִיעִית לִיהוֹיָקִים וגו׳ *Anno quarto Jojakimi, filii Joſiae, regis Judae,* quo ipſo anno victus eſt a Nebucadnezare apud Cercuſium rex Aegypti, Pharao Necho (vid. infra XLVI, 2.), qui Jojakimum regem conſtituerat, 2 Reg. XXIII, 34. בַּשָּׁנָה הָרִאשֹׁנִית לִנְבוּכַדְרֶאצַּר מֶלֶךְ בָּבֶל *Anno primo Nebucadnezaris regis Babelis,* octodecim annis ante excidium Hieroſolymae, cf. infra LII, 12. De Nebucadnezare vid. librum noſtrum: *Handbuch der bibl. Alterthumskunde* Vol. I. P. II. p. 39. 85. Ceterum poſteriorem illam temporis notationem a Graeco Alexandrino interprete omitti, jam obſervavit Hieronymus.

3. זֶה שָׁלֹשׁ וְעֶשְׂרִים שָׁנָה *Hos viginti tres annos.* Nam XXXI annis regnavit Joſias (2 Reg. XXII, 1.). Sub hoc vaticinatus eſt Jeremias XVIII vel XIX annos (nam anno ejus decimo tertio vaticinari coepit, ſupra I, 1.);

his adde tres menses Joachasi (2 Reg. XXIII, 31.), et IV annos Jojakimi, fiunt ipsi XXIII anni, per quos nullo labore et se et socios suos abstinuisse ait Jeremias, ut ad meliorem frugem populum reduceret. Formula וָאֲדַבֵּר אֲלֵיכֶם אַשְׁכֵּים וְדַבֵּר supra VII, 13. aderat, reditque infra XXXV, 14., nisi quod h. l. אַשְׁכֵּים *ἀνομαλῶς* ponitur pro הַשְׁכֵּם (quod ipsum et codices nonnulli habent), more Chaldaico, vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 319. Cf. mox Vs. 4. Sed Gaabius אַשְׁכֵּים pro prima Futuri persona capere mallet, Verbo finito conjuncto cum Infinitivo eodem modo quo supra XIV, 5. יָלְדָה וְעָזוֹב legitur, et Cohel. VIII, 9. רָאִיתִי וְנָתוֹן אֶת־לִבִּי *vidi et dando* scil. dedi *animum meum.*

5. לֵאמֹר jungendum est verbo וַיִּשְׁלַח initio Versus quarti: *misit Jova prophetas suos dicendo.* Hinc recte Graecus Alexandrinus *λέγων*, et Hieronymus: *quum diceret,* vertit. Alii, ut Dathius, referunt ad prophetas, vertuntque: *quum admonerent eos.* וּשְׁבוּ *Et habitate,* i. e. habitabitis, sive, ut habitetis, Imperativus pro Futuro positus, ut saepe, vid. Genes. XX, 7. XLV, 18. Ps. XXXVII, 27., ad quem loc. cf. not. Verba לְמִן־עוֹלָם וְעַד־עוֹלָם *inde a seculo,* i. e. longo tempore, *usque ad seculum,* non sunt cum eo quod proxime praecedit, נָתַן, sed cum וּשְׁבוּ jungenda, hoc sensu: ut sicuti a longo inde tempore in ea habitastis, ita et porro per longissimum tempus in ea habitetis.

6. וְאַל־תַּכְעִיסוּ אוֹתִי בְּמַעֲשֵׂה יְדֵיכֶם *Nec irritetis me opere manuum vestrarum,* idolis a vobis fabrefactis, ut Deut. XXXI, 29., ubi eadem formula, quae et infra XXXII, 30. recurrit. וְלֹא אָרַע לָכֶם *Tum vobis non malefaciam.* promissio, ut 1 Sam. XXVI, 21. Sensum pervertit Graecus Alexandrinus, qui *τοῦ κακῶσαι ὑμᾶς* reddidit.

7. לְמַעַן הַכְעִסֻנִי *Propterea ut me irritaretis,* ad iram me provocaretis. Quae in textu habentur literae, הכעסוני, Hillerus in *Arcano Kethibh et Keri* p. 115. et 351. non הַכְעִסֻנִי efferendas esse docet, quia, quod prae-

cedit

cedit לְמַעַן cum Praeterito conſtrui non ſolet, ſed הַכְעִסוּנִי, hac obſervata regula, Jod medianum in altera lectione quieſcens poſt Chirek aut Zere, in altera deficiens, in ſymbolo (variae lectionis) vel in Vau converti, vel transponi. C. B. Michaelis, referente filio, Johanne Davide, ad notam marginalem, יתיר ו׳ *redundat Vau* interrogans adſcripſit: *nunquid pro ſymbolo variae lectionis.* הִכְעִסוּנִי? „Recte," addit J. D. Michaelis, „ita tamen, ut non ſit ſymbolum, ſed reliquia et tanquam cicatrix hujus lectionis. Sic recte Syrus legit, vertitque: ܘܐܪܓܙܬܘܢܝ. Ita omnia erunt expedita."

9. וְלָקַחְתִּי אֶת־כָּל־מִשְׁפְּחוֹת צָפוֹן *Et omnes cognationes*, i. e. gentes, nationes (vid. not. ad I, 15.) *ſeptentrionis*, i. e. Babylonico imperio ſubjectas. Verba וְאֶל־נְבוּכַדְרֶאצַּר *et ad Nebucadnezarem* conſtruenda eſſe patet non cum eo quod proxime praecedit לָקַחְתִּי, ſed cum הִנְנִי שֹׁלֵחַ *en! mitto.* Sunt codices, qui אֶל, omiſſa copula, legunt, ut verti poſſit: *et ſumam*, i. e. adducam *ad Nebucadnezarem* omnes aquilonares gentes. In aliis codicibus pro וְאֶל eſt וְאֵת, quod correctionem ſapit. In Accuſativo reddunt Syrus et Chaldaeus. Graecus Alexandrinus Nebucadnezarem omiſit. עַבְדִּי *Servum meum* Jarchi infra XXVII, 6. recte exponit: qui faciet voluntatem meam, ut poenas ſumat de hoſtibus meis. Pro וּלְחָרְבוֹת *et in vaſtationes* Graecus Alexandrinus habet εἰς ὀνειδισμόν, quomodo חֶרְפָּה reddere ſolet.

10. Quae primo hujus Verſus hemiſtichio eadem ſupra VII, 34. XVI, 9. minatus eſt. קוֹל רֵחַיִם וְאוֹר נֵר *Vocem molae et lumen lucernae* ſcil. הַאֲבַדְתִּי *perdam*, auferam, tantam terrae urbiumque vaſtitatem inducam, ut nulla ſuperſutura ſit domus, in qua aut molae manuariae ſtrepitus audiatur, aut lux ulla ſplendeat. Chaldaeus: קָל סִיעָן דִּמְשַׁבְּחִין בִּנְהוֹר בּוֹצִין *vocem coetuum cantantium ad lumen lucernarum*, omiſſa *molae* mentione. Graecus Alexandrinus pro קוֹל רֵחַיִם habet ὀσμὴν μύρου

odorem unguenti, quasi רֵיחַ legisset. Nisi forsan commentitiam illam interpretationem sequutus fuerit, quam e codice Sanhedrin attulit Jarchi: „*Sonus molae* significat convivium foederis circumcisionis, quia molebant et contundebant aromata in infantis circumcisi sanationem; et *lux lucernae* erat signum illius convivii.“

11. וְעָבְדוּ הַגּוֹיִם הָאֵלֶּה אֶת־מֶלֶךְ בָּבֶל שִׁבְעִים שָׁנָה *Servientque populi illi regi Babelis septuaginta annos.* De ratione computandi hosce annos et Hebraei et Christiani interpretes vehementer inter se dissentiunt. Varias illorum sententias recensuit et dijudicavit Jo. a Behm in *Dissertat. de termino a quo et ad quem septuaginta annorum Babylonicae captivitatis vel servitutis ad Jerem. XXV, 12. XXIX, 10.* Regiomont. 1633., repetita in *Thesauro theolog. philolog.* novo ab Ikenio et Hasaeo edito T. I. p. 954. seqq. Behmius optionem dat lectoribus, utram duarum harum sententiarum eligere velint, num eam, quae annos servitutis incipit a primo Nebucadnezaris in Syriam adventu, anno Jojakimi quarto, finitque in anno XXI. Cyri Persici regni, quo Babylonem cepit, an vero alteram, quae initium annorum captivitatis facit spontaneam Jechoniae deditionem ejusque in Babyloniam deportationem, finem annum XXVIII. Cyri Persici regni. Alias computandi rationes protulit Des-Vignoles *Chronologie de l'histoire sainte* T. I. p. 536. seqq. T. II. p. 580. seqq. J. G. Frankius in *Novo System. Chronolog. fundamental.* p. 167. §. XCIV. de epocha captivitatis Babylonicae et LXX. annorum, quorum Jerem. XXV, 12. XXIX, 10. mentio fit, hunc in modum disserit: „Ad constituendam hanc epocham notandum est, duplex esse captivitatis, et duplex quoque LXX. annorum initium. Aliud enim initium captivitatis a propheta Jeremia, aliud ab Ezechiele statuitur. Ille enim a quarto anno Jojakimi XXV, 1., hic autem a Jechoniae captivitate computat, Ezech. I, 2. XXIV, 1., cujus priores octo anni magis servitutis, quam captivitatis vocandi sunt. Pari modo LXX. anni non ab

eodem termino numerantur. Jeremias eos a quarto anno regis Jojakimi (XXV, 1.), 3585 Periodi Jobelei, quo captivitas ſeu potius ſervitus Babylonica incepit; Zacharias autem VII, 5. ab excidio Templi, anno 3604. Per. Jobel. numerat. Hic tantummodo ad primam captivitatem, qua ſervitus ſub rege Babyloniae et VII. anni a Jeremia praedicti incipiunt, reſpicimus, cujus epochae annus eſt Per. Job. 3585; id quod etiam ad primum annum regis Cyri 3655., quo captivitas, teſte Eſra I, 1. ſoluta eſt, apprime quadrat. Illis enim ab his ſubtractis, remanent LXX. anni." C. B. Michaelis ad h. l., poſtquam obſervaſſet, initium horum LXX. annorum pleroſque, et meliores Chronologos referre vel ad Jojakimi captivitatem, de qua 2 Paral. XXXVI, 6. 7. Dan. I, 1. 2. [vid. tamen noſtra in hunc Vaticiniorum librum Prolegomena p. 8. not. 8.], vel, quae tribus poſt menſibus conſequuta eſt, Jechoniae, 2 Paral. XXXVI, 9. 10.; veriſſime ita judicat: „computus tamen illorum eſt obſcurior; in Bibliis quippe Chronologia haud in totum expreſſa, niſi quod 2 Reg. XXV, 27. Jerem. LII, 31. trigeſimus ſeptimus captivitatis annus dicitur incidiſſe in annum primum Evilmerodachi; apud profanos vero ſcriptores ſatis hanc partem confuſa ac dubia." Nobis quidem ſic ſtatuendum videtur, vatem pro longioris temporis indefinito ſpatio poſuiſſe definitum annorum numerum, ad chronologicas rationes haudquaquam exigendum, quemadmodum et V. et N. T. ſcriptores pro multitudine indeterminata ſaepe ſpeciem numeri certam uſurpare ſolent, quomodo potiſſimum *ſeptenario* numero uti ſolent; exempla collegit Glassius *Philol. S.* p. 1258. ed. Dath. Minus definite quod hic et Verſu proximo habetur, exprimitur infra XXVII, 7. *Servient* populi *ei*, regi Babyloniae, *ejusque filio et nepoti, donec ejus quoque terrae tempus veniat.*

12. Vid. de hoc Verſu Argument. hujus Capitis.

13. וְהֵבֵאתִי עַל־הָאָרֶץ הַהִיא *Et adducam ſuper hanc terram*, Babyloniam, terram Chaldaeorum, Vs. 12. Primum Verſus verbum, prouti in textu ſcribitur, eſt וְהֵבֵאוֹתִי *et addu-*

adducam efferendum. Integri Verfus fenfum Schalom Haccohen recte dicit hunc effe: inducam terrae Babylonicae quaecunque in eam praedixi, ficuti populis reliquis omnibus quaecunque in hoc Jeremiae libro fcripta funt inducam. Ceterum vere vidit Venema, haec verba a Jeremia non effe profecta. „Obfervandum eft," inquit, „pofterius membrum, *omne quod fcriptum eft in libro hoc, quo prophetavit Jeremias contra omnes gentes,* poftea fuiffe ab eo, qui hunc librum recenfuit, additum, ut indicaretur, eadem Dei verba fuiffe a Jeremia prolata in libro prophetiarum contra omnes gentes; nec enim a *Deo,* aut *Jeremia* ipfo haec verba videntur profecta, ut ex ipfis verbis facile colligitur, et Jeremiae expreffa mentione." Dathio aliter vifum eft; „nam," ait, „quod Jeremiae nomen in tertia perfona adhibetur, parum probat, quum in pluribus aliis locis Jeremias de fe in tertia perfona, numine ipfo pofito, loquatur." Sed docuit Schnurrerus, effe alia argumenta, quae a Jeremia haec verba non effe profecta, arguant. „Etenim tum, cum orationem hanc fuam Cap. XXV. haberet Jeremias, ne quidem adfuit quidquam fcriptum ipfo auctore, quod nomine ספר, *libri,* venire poffit. Eodem illo anno, quarto Jojakimi regis, juffus eft a Deo propheta Cap. XXVI, 1. feqq. omnia quae unquam inde a fufcepto munere, ab ipfo prolata effent in Ifraelem et Judam, atque etiam in exteras gentes edicta, litteris confignare, ut univerfa uno tempore ad populum recitarentur publice, ad audientium animos vehementius excitandos concutiendosque. Et quamqam dubium eft ac incertum, quonam quarti anni menfe vel oratio Cap. XXV. habita, vel ediotorum confcribendorum initium factum fit; hoc tamen vix dubium effe poteft, fcribendi finem factum effe demum paulo ante fupplicationem illam, quae decreta effet in anni quinti menfem nonum, XXVI, 6. 9. Confequitur, quarto Jojakimi anno nondum extitiffe librum, in quo defcripta effent Jeremiae contra exteras gentes oracula. Si vero extitiffe non fumferis tantum, fed legitime demon-

ftra-

ſtraveris, quis facile perſuaderi ſibi paſſus fuerit, prophetam Jovae, ſua perſona ſuoque nomine verba facienti, talem formulam tribuere potuiſſe, ut librum, qui prophetae ſit, non commemoret modo, ſed quaſi inſpiciendum exhibeat audientibus? Pronomen vero הַזֶּה, quod demonſtrantis eſt, non poteſt ſignificare niſi hunc ipſum librum univerſum, cujus pars aliqua ſit oratio haec Cap. XXV., ut hanc qui legat, in ipſo libro legendo verſari cenſendus ſit. Verba igitur: *omnia, quae perſcripta ſunt in hoc libro, promulgata a Jeremia contra gentes exteras complures* (atque etiam contra Chaldaeos), non poſſunt a Jeremia profecta eſſe, ſed deinceps adjecta ſunt, vel ab eo, qui Jeremiae oracula eodem, quo nunc utimur, ordine disponeret, vel a nonnemine alio. At, quod Dathius urget, omnes verſiones antiquae haec verba referunt. Sequitur, acceſſiſſe eadem ante confectas verſiones, ſed ipſius prophetae eſſe, nequaquam inde efficias. Eadem fere ratio eſt loci XLVI, 2., ubi verba: *quem percuſſit Nebucadnezar, rex Babyloniae, Joſiae filii, regis Judae*, certe non poſſunt eſſe enunciata a vate, cladem Aegyptiorum vaticinante, quoniam eventum antecedere deberet praedictio; ſed nec ſcripta a Jeremia eſſe videntur, ſi vel ipſe, quae ipſius nomine ſuperſunt, conſcripſiſſe dicatur: non enim erat, cur ſuae aetatis homines commonefaceret rei omnibus tunc notae ac pervulgatae."

14. כִּי עָבְדוּ־בָם *Nam pro ſervis utentur iis*, ſervire eos cogent, ſubigent eos; ita enim capiendum verbum עָבַד per ב nomini aut pronomini junctum, vid. not. ad Exod. I, 14. — גַּם־הֵמָּה גּוֹיִם רַבִּים *Etiam illi, populi multi*, quos antea ſubjugaverant. — Poſt hunc Verſum ſequuntur in Graeca Alexandrina verſione vaticinia Jeremiae adverſus gentes varias, de qua transpoſitione vid. Prolegomm. §. VI. p. 21. ſeqq. Verſu 15. hujus Capitis in codicibus Alexandrinae verſionis incipit Cap. XXXII.

15. קַח אֶת־כּוֹס הַיַּיִן הַחֵמָה הַזֹּאת מִיָּדִי *Accipe hoc poculum vini irae e manu mea.* Recte Jarchi explicat

נבואת

בבואת הפורענות *vaticinium poenarum.* Poenarum denunciatio, et ipſae poenae comparantur vino inebrianti et animum obturbanti, vid. not. ad Jeſaj. LI, 17. 22. Pſ. LX, 5. LXXV, 9. Ceterum כּוֹס הַיַּיִן הַחֵמָה Kimchi notat poſitum eſſe pro כּוֹס הַיַּיִן יַיִן הַחֵמָה *poculum vini, vini,* inquam, *irae;* nomini regenti enim ה Articuli praemitti non ſolet. Alia exempla hujus anomaliae vid. ad Ezech. VII, 7. XL, 15. XLV, 16. Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 657. 2. *a*) et p. 668. 3. וְהִשְׁקִיתָה אוֹתוֹ אֶת־כָּל־הַגּוֹיִם וגו׳ *Et potandum illud praebe omnibus populis, ad quos ego te mittam.* „Volunt hoc aliqui in ſomnio aut viſione factum eſſe, alii vero de ſolo vaticinio malorum imminentium intelligunt. Ego, ut jam pater meus ſentiebat, putem, hoc critico anno, quo ad Circeſium pugnatum eſt, legatos harum gentium omnium Hieroſolymis fuiſſe, de communi ſalute Aſiae deliberantes, hosce legatos adiiſſe prophetam, illisque, nondum de ſignificatione potus edoctis, vinum Dei nomine propinaſſe. Ita omnino ſentiendum eſt ob Verſum 28., ubi ſupponitur, accidere poſſe, ut aliqui eorum poculum recuſent. Vide ſimile quid infra XXVII, 3.“ J. D. Michaelis. Sed quis non videt, meram hanc eſſe imaginem poeticam, ſeu parabolae ſpeciem, a propinatione in orbem in conviviis deſumtam, qua propheta ſiſtitur ut ſympoſiarcha; vid. Stuckii *Antiquitt. convivall.* L. III. Cap. 13. p. 549. ſeqq. Miror, ſententiam illam de legatis exterorum regum Hieroſolymae tunc congregatis, quos poculo adierit vates, placuiſſe Eichhornio *die bibl. Propheten* P. II. p. 114.

16. וְהִתְגֹּעֲשׁוּ *ut commoveantur,* animo perturbentur, ebriorum ritu. Jarchi exponit וישתגעין *ut dementes fiant.* Vulgatus: *et turbabuntur,* pro quo in Commentario Hieronymus poſuit: *et inebriabuntur.* Syrus: ܢܬܕܘܕܘܢ *ut ſtupeant,* ebriorum ſtuporem haud dubie intellexit. Liberius Graecus Alexandrinus *καὶ ἐξεμοῦνται et vomunt* vertit. Eodem redire putat J. D. Michaelis quod habet Chaldaeus: וְיִשְׁתַּגְּשׁוּן, propterea quod eodem

verbo

verbo utitur infra Vs. 27. ad exprimendum וּקְיוּ. Sed Chaldaicum שַׁגֵּשׁ non eſt dubium ſignificare *perturbare, terrorem incutere*, et in Ithpehal *perturbari*, nec inde quod hoc verbum pro קוא *vomere* poſuit, recte colligitur, idem denotare, quum ſatis conſtet, quanta libertate ille interpres uti ſoleat. Verbum הִתְגָּעֵשׁ ſupra V, 22. *commoveri* ſignificare vidimus, et 2 Sam. XXII, 8. de terrae motu dicitur jungiturque cum רָעַשׁ. Ad מִפְּנֵי הַחֶרֶב וגו׳ *propter gladium, quod inter eos mittam*, recte notat Schmidius, hoc addi, ut conſtet, poculum vini nil aliud ſignificare, quam caedes et mala bellica.

18. Cur calicem tetro vino plenum primum Hieroſolymae praebeat, infra Vs. 29. rationem reddit. וְאֶת־מַלְכֶיהָ *et regibus ejus*, Jojakimo, Jechoniae et Zedekiae. Verbis כַּיּוֹם הַזֶּה *ſicut hoc die* Jarchi recte haec adnotavit: כאשר הם היום לאחר החורבן כתב ירמיהו ספרו *ſicut ſunt* Judaei *hodie; poſt excidium* Hieroſolymae *ſcripſit Jeremias librum ſuum.* Quod ſequutus Vatablus: „*Secundum diem hanc*, i. e. ut hodie videre eſt; ſive, ut hodie videmus, aut, ut res habet. Haec verba adjecta ſunt a Jeremia prophetiâ captivitatis impletâ, et cum in unum volumen redacti ſunt hi ſacri libri. Nam cum praedicebat captiviſatem, haec locum habere non poterant." Graecus Alexandrinus interpres haec verba non expreſſit. Schalom Haccohen formula כַּיּוֹם הַזֶּה certitudinem eventus rei praedictae indicari exiſtimat (unde vertit: *wahr und gewisslich!*), ut Geneſ. XXV, 31. מִכְרָה כַיּוֹם אֶת־בְּכֹרָתְךָ לִי *vende mihi ſicut haec dies*, i. e. pure et liquide *primogenituram tuam.* Quo loco tamen alii כַּיּוֹם rectius *ſtatim* denotare exiſtimant; vid. not. ad illum loc. Ita J. D. Michaelis et hic כַּיּוֹם הַזֶּה interpretatur: brevi, hoc ipſo, quod nunc instat, tempore. Alii: ſicut jam experiri coepimus, scilicet deſolationes Chaldaeorum. Quae tamen interpretationes duri quid habent, e noſtro quidem ſenſu.

20. De כָּל־הָעֶרֶב differuimus ad Ezech. XXX, 7., vidimusque *turmam admixtam* populo illi, de quo agitur, ſigni-

ſignificare, et hoc quidem loco, ubi Aegypti mentio praecessit, exteros in Aegypto habitantes et ſtipendia facientes. Ita Chaldaeus: וְכָל מַלְכֵי סַיְמְכְוָתָא *et omnes reges auxiliorum*, i. e. ut Jarchi exponit, quibus Pharao foedere junctus erat, et quibus innitebatur, ut ſibi auxilio eſſent. Refert tamen is hanc interpretationem non ad *miſcendi*, ſed ad *ſpondendi, fidem interponendi* ſignificatum, quem praeter illum verbum עָרַב obtinet; dicit enim, עָרֵב eſſe idem, quod Gallicum *garantie*. Quod tamen huic loco non ſatis aptum videtur. Melius Graecus Alexandrinus *πάντας τοὺς συμμίκτους* vertit, quod Hieronymus recte ad praecedentia referens de exteris in Aegypto habitantibus accepit, ipſeque *et univerſis generaliter* vertit. Et in Commentario haec ſcribit: „Cunctusque, qui non eſt quidem Aegyptius, ſed in ejus regionibus commoratur, quos LXX vertere *συμμίκτους*, id eſt, mixticios, vulgus, non Aegyptiae originis, ſed peregrinum et adventitium." Theodoretus; *Πρὸς δὲ τοὺς ἐγχωρίους καὶ τοὺς μετοίκους, συμμίκτους γὰρ ἐκείνους καλεῖ. Αἰνίττεται δὲ διὰ τούτων ὅτι καὶ οἱ πεφευγότες Ἰουδαῖοι τοῖς αὐτοῖς περιπεσοῦνται κακοῖς. Et praeter indigenas etiam advenis* (potandum dat), *illos enim permixtos vocat. His, ſubobſcure dicit etiam Judaeos, qui aufugerint, in eadem mala delapſuros.* „Egregie obſervatum," addit J. D. Michaelis, „quum עֶרֶב *turba adſcititia* de ſola memoretur Aegypto, in quam Judaei confugerunt. Ita ad phraſin illuſtrandam recte contuleris Exod. XII, 38., ubi עֶרֶב רַב, i. e. multi non ejusdem originis, ſed adſcititii populo, migraſſe cum Iſraelitis dicuntur. Hanc verſionem omnino veram exiſtimo, maxime ductus verſione Arabica, quae ex Graecis ipſum nomen עֶרֶב كُلَّ ٱلْمُخْتَلِطِينَ بِهِ *omnes illi mixtos* vertit, tum vero addit: وَجَمِيعَ مُلُوكِ ٱلْقَبَايِلِ ٱلْغَرِيبَةِ *et cunctis regibus tribuum extera-*

terarum. Eſt autem غريب *alienigena,* exterus. Videntur *exteri,* qui regno ſuberant, more Romano, auxiliares dici. Eo certe tempore jam multos habebat Aegyptus Graecos adventitios. Pharaonis Nechonis pater Pſammetichus praedones Jones et Carios, qui ad Aegyptum adpulerant, auxilio vocavit, Herodot. L. II. Cap. 152. illisque locum habitationi in Aegypto aſſignavit, Cap. 154." De terra עוּץ, Arabiae deſertae parte aquilonari, vid. Prolegg. ad Jobum §. V. p. 27. edit. ſec. וְאֵת שְׁאֵרִית אַשְׁדּוֹד *Et reliquiis Aſchdodi.* Nempe jam antea diuturno bello Aegyptiorum exhausta erat, recte monente Grotio. Herodotus L. II. Cap. 157. de Pſammeticho, Pharaonis Nechonis patre, quem quatuor et quadraginta annos regnaſſe dicit: *τῶν τὰ ἑνὸς δέοντα τριάκοντα Ἄζωτον, τῆς Συρίας μεγάλην πόλιν, προςκαθήμενος ἐπολιόρκεε, ἐς τὸ ἐξεῖλε. Αὕτη δὲ Ἄζωτος, ἁπασέων πολέων ἐπὶ πλεῖστον χρόνον πολιορκεομένη ἀντέσχε, τῶν ἡμεῖς ἴδμεν. Per quorum undetriginta magnam Syriae urbem obsidens oppugnavit, donec expugnavit. Haec eſt Azotus, quae diutiſſimam inter omnes urbes, quas novimus, ſuſtinuit obſidionem.*" Ceterum *Gatham,* unam ex primariis Philiſthaeorum civitatibus (1 Sam. VI, 17.), hic omitti notant Kimchi et Abarbenel, quod eam Davides Philiſthaeis ademtam Judaico regno adjecerit, 1 Chron. XVIII, 1. Sed illam jam ſub Salomone rurſus ſuum regem Judaeis non ſubjectum habuiſſe, apparet ex 1 Reg. II, 39. Quod vero h. l. ejus non ſit mentio, cauſa videtur haec, quod Jeremiae tempore regem habuit nullum.

22. *Tyro* et *Sidoni* plures reges tribuuntur, etſi ſingulae tantum ſingulos habuerant, vel, ut exiſtimat Abarbenel, ut includatur familia regia utriusque civitatis, vel, ut alii volunt, ut ſignificentur ſicut Judaeae ſupra Vs. 18., ita harum quoque civitatum, plures reges, ſibi invicem ſuccedentes, a Chaldaeis ſubacti. מַלְכֵי הָאִי *reges inſularum,* אִי collective accepto, ut Jeſaj. XXIII, 2. 6.

v. 6. יֹשְׁבֵי הָאִי *incolae insularum*, vertendum esse, docet res ipsa. Hieronymus intelligit Rhodum, Cyprum et Cycladas. Sed אִיִּים non tantum insulas, verum et oras terrasque quascunque habitatas notare constat, vid. J. D. Michaelis *Spicileg. Geogr. ext.* P. I. p. 132 seqq. et not. nostr. ad Genes. X, 5. Erunt igitur h. l. אִי אֲשֶׁר בְּעֵבֶר הַיָּם terrae ultra mare Palaestinam alluens sitae. Nebucadnezar num, uti refert Megasthenes apud Strabonem L. XV. Cap. 1. §. 6. (cf. Josephi L. X. Cap. 11. §. 1.), ad columnas Herculis, sive fretum Gaditanum, penetraverit, hic disquirere nihil attinet.

23. De דְּדָן et תֵּימָא, populis Arabiae, vid. not. ad Ezech. XXV, 13. Quibus et בּוּז accensendus, Nachore, Abrahami fratre oriundus, vid. Genes. XXII, 21.; cf. not. ad Job. XXXII, 2. De קְצוּצֵי פֵאָה vid. not. supra ad IX, 25.

24. De עֲרָב *Arabia* vid. not. ad Jesaj. XXI, 13., et de עֶרֶב not. supra ad Vs. 20. Nomen עֶרֶב Syrus vertit ܕܡܬܚܡܝܢ ܚܕ ܥܡ ܚܕ *qui finitimi sunt alii aliis*, ex *miscendi* significatu, quem verbum עָרַב obtinet. הַשֹּׁכְנִים Chaldaeus explicavit דְּשָׁרָן בְּמַשְׁכְּנִין *qui habitant in tentoriis.* Graecus Alexandrinus non expressis verbis וְאֵת כָּל־מַלְכֵי עֲרָב posterius tantum hemistichium reddidit: *καὶ πάντας τοὺς συμμίκτους ἐν τῇ ἐρήμῳ.* Videtur in codice hebraeo, quo usus est interpres, prius hemistichium ob *ὁμοιοτέλευτον* ערב omissum fuisse librarii negligentiâ.

25. זִמְרִי Kimchi haud diversum existimat a זִמְרָן, Abrahami e Ketura filio, Genes. XXV, 2. Quin ipsum nomen ܙܡܪܢ hic habet Syrus. Et, si Theodoreto credere possimus, ita et olim in textu haebraeo lectum est: *παρὰ τῷ Ἑβραίῳ*, inquit, *καὶ τῷ Σύρῳ Ζεμβρὰν εὑρήκαμεν. Τῆς δὲ Κετούρας οὗτος υἱός.* Sed quum recensitis populis iis, qui Hebraeis finitimi essent, hoc Versu transeat ad remotiores, videtur זִמְרִי potius populus Medis Persisque vicinus fuisse. Hieronymus: „Ex eo quod Zamri sequitur Elam, regesque Medorum arbitramur, et Zamri regio-

regionem esse Persidis; nisi forte ex eo quod praecessit Arabia et hic reges solitudinis accipiendi sunt." De עֵילָם et מָדַי vid. librum nostrum *Handbuch der bibl. Alterthumskunde* Vol. I. P. I. p. 276 seqq. 300 seqq.

26. Medis apte junguntur כָּל־מַלְכֵי הַצָּפוֹן *omnes* reliqui *reges septentrionis.* „Pro *aquilone*, qui Hebraice dicitur *Saphon,* LXX vertere ἀφηλιώτην, quem nos *subsolanum* possumus dicere." Hieronymus. Ita et Arabs: مِن مَشْرِق اَلشَّمْس *ob ortu solis.* „Nomen ἀπηλιώτου praeter hunc locum bis modo ponunt, sed pro Hebraico נֶגֶב, atque ita, ut septentrioni opponatur: ἀπὸ ἀπηλιώτου ἕως βοῤῥᾶ, Ezech. XX, 47. XXI, 4., nomen non ex Graecorum usu, sed ex etymo intelligentes de vento a sole meridiano spirante. At boream quomodo quis in subsolanum mutare possit, vix adsequor. Scripseruntne LXX: τοῦ ἀπηλιώτου καὶ τοῦ βοῤῥᾶ? legeruntque ואת כל מלכי נגב ואת כל מלכי הצפון? Elegans foret lectio, et sequentibus eximiis congrua. Facile potuit alterutrum excidere ob ὁμοιοτέλευτον. הַקְּרֹבִים וְהָרְחֹקִים *Propinquis et remotis*, noli referre ad reges septentrionis, qui omnes remoti erant, nec poterant in propinquos et longinquos dividi; sed ad universos reges ante memoratos. Eximia constructio, si ea lectio praecessit, quam modo conjectura ductus exhibui: *omnibus regibus aquilonaribus et meridionalibus, propinquis et remotis.*" J. D. Michaelis. אִישׁ אֶל־אָחִיו *Vir ad fratrem suum*, i. e. unicuique post alterum, qui unus alteri aut vicini sunt, aut a se invicem dissiti. וְאֵת כָּל־הַמַּמְלְכוֹת הָאָרֶץ *Et omnibus regnis terrae.* Nomini regenti מַמְלְכוֹת hic iterum praemissus est ה articuli ἀνομαλῶς, ut supra Vs. 15. nomini יַיִן, ubi cf. not. שֵׁשַׁךְ nomen *Babylonis* esse manifestum e loco infra LI, 41., ubi quae in priori hemistichio שֵׁשַׁךְ in posteriori בָּבֶל vocatur. Unde vero hoc nominis habeat, variae sunt, sed incertae omnes interpre-

pretum ſententiae. Hebraei fere conſentiunt, vocari ita per אַתְבַּשׁ id eſt literarum permutatione ad ſecretum aliquod indicandum, qua ת ponitur pro א, ש pro ב, et ſic deinceps. Ita jam Hieronymus, edoctus procul dubio a magiſtro ſuo Hebraeo. „Quomodo autem," inquit, „Babylon, quae Hebraece dicitur *Babel* intelligatur *Seſach*, non magnopere laborabit, qui Hebraeae linguae parvam ſaltem habuerit ſcientiam. Sicut apud nos Graecum alphabetum usque ad noviſſimam literam per ordinem legitur, hoc eſt, *Alpha*, *Betha*, et caetera usque ad Ω; rurſumque propter memoriam parvulorum ſolemus ordinem lectionis invertere, et primis extrema miſcere, ut dicamus *Alpha*, *O*, *Betha*, *Pſi*; ſic et apud Hebraeos primum eſt *Aleph*, ſecundum *Beth*, tertium *Gimel*, usque ad vigeſimam ſecundam, et extremam literam *Thau*, cui penultima eſt *Sin*. Legimus itaque *Aleph*, *Thau*, *Beth*, *Sin*; quumque venerimus ad medium, *Lamed* literae occurrit *Chaph*, et ut, ſi recte legamus legimus *Babel*, ita ordine commutato legimus *Seſach*. Vocales autem literae inter *Beth* et *Beth*, et *Lamed* juxta idioma linguae Hebraeae in hoc nomine non ponuntur. Arbitrorque a ſancto propheta prudenter fuiſſe caelatum, ne aperte eorum contra ſe inſaniam commoveret, qui obſidebant Jeruſalem, et jam jamque ejus potituri erant." Cui ſententiae, et aliis probatae J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 2357. vere monet obſtare hoc, 1) quod haec anno IV Jojakimi dicta, quo adhuc in clientela Aegyptiorum Hieroſolyma erat, periculique plus habebat fauſta Babyloniis quam adverſa vaticinari; 2) quod alia multo clariora habet de Babylonis interitu vaticinia; 3) quod hujus alliterationis ſenſum, ſi modo eo tempore jam Atbaſch in uſu erat, facile percepturi eſſent Chaldaei. Jam quum totum hoc Verſus membrum, וּמֶלֶךְ שֵׁשַׁךְ יִשְׁתֶּה אַחֲרֵיהֶם, Graecus Alexandrinus omittat, uti et monuit Hieronymus; Michaelis ſuſpicatur, ſpuria eſſe verba, et ab exſulibus Babyloniis

(i. e.

(i. e. Hebraeis in Babylonia degentibus), spem suam profitentibus, addita. „Nempe duplex," subdit, „fuisse videtur voluminis posterioris Jeremiae editio, altera in Aegypto collecta, ubi mortuus propheta, altera in Chaldaea. Aegyptiam sequuti sunt LXX, atque in hac minae istae contra Babylonem desiderantur, quas habet Asiatica, a margine forte a librariis in textum illatas." Quam suam suspicionem Michaelis firmare potuisset eo, quod et supra Vs. 12. verba עַל־מֶלֶךְ־בָּבֶל et וְעַל־אֶרֶץ כַּשְׂדִּים non sunt a Graeco Alexandrino expressa, quae enim hodie in Graeca versione illorum verborum interpretatio legitur, illata demum a Gaabio est partim ex Aquila et Theodotione, partim e Theodoreto. Nobis quidem totam hanc pericopam inde a Versu 12 post Urbem expugnatam literis confirnatam esse videri, supra in Argumento hujus Capitis diximus. Sed ad nomen שֵׁשַׁךְ ut redeamus, C. B. Michaelis conjicit formatum esse a radice שׁוּךְ, Arabice شَاكَ pro شَوِكَ *fortitudinem roburque, et acrem in bello virtutem ostendit, panopliâ indutus fuit*, ita ut geminata radice ad formam בַּלְבֵּל, שׁוּשַׁךְ, *bellatrix* Babel fuerit dicta, quasi omnes praedictas gentes incredibili robore debellatura. Filio, Joanni Davidi (l. l.), שֵׁשַׁךְ Jeremiae tempore videtur poeticum et grandisonum Babylonis nomen fuisse, nemini obscurum, scilicet *ferreis munita portis*, ab Arabico سَكَّ *latiore ferro seu laminâ obduxit* portam, cum alliteratione ad בָּבֶל a בָּלַל similiter formatum. „Certe," inquit, „deleri omnino ex Jeremia nequit, iterum recurrens LI, 41., ubi nulla captatur orationis obscuritas. Secundum Megasthenem *Nabuchodonosarus urbem moenibus et portis ornavit*, vid. Eusebii *Praeparat. Evangel.* L. IX. Cap. 41. Habet ille inter alia ex Abydeno haec, nostro loco aptissima: *τειχίσαι δ' αὖθις Ναβωχοδονόσαρον, τὸ μέχρι τῆς Μακεδονίων ἀρχῆς διαμεῖνον, ἔον χαλκόπυλον.* En ipsum nomen

שֵׁשַׁךְ

שֵׁשַׁךְ Graeae expreſſum." PETR. A BOHLEN in *Symbolis ad interpretat. S. Codic. e lingua Perſica* (Lips. 1823. 4.) p. 22. שֵׁשַׁךְ ortum eſſe putat e Perſico شه شاه *Schih-Schah*, i. e. domus principis, *He* fortius prolato, ut in برآهمن *Brachman*, باهمن παχμαν, بنبه βομβυξ, cet. Significatio illa nomini שֵׁשַׁךְ apprime conveniret. Sed vix credibile, jam aetate Jeremiae Babyloni urbi nomen Perſicum inditum fuiſſe. Cf. librum noſtrum *Handbuch der bibl. Alterthumskunde* Vol. I. P. II. p. 49. יִשְׁתֶּה אַחֲרֵיהֶם *Bibet poſt eos*, ultimo loco, quaſi faeces exhauſturus, Ps. LXXV, 9. Hinc et vaticinium contra Babylonios omnium eſt ultimum, Cap. L. LI.

27. וְאָמַרְתָּ אֲלֵיהֶם *Dices ad eos*, populos, quos inde a Verſu 18. recenſuit. וְשִׁכְרוּ *Et inebriamini* ſcil. ira Dei, cf. Nah. III, 11. et not. ad Obad. Vs. 16. Jeſaj. LI, 21. LXIII, 6. וּקְיוּ *Et vomite*, a קָיָה, قَيَأَ, i. q. קוא Levit. XVIII, 28.

28. וְהָיָה כִּי יְמָאֲנוּ לָקַחַת הַכּוֹס מִיָּדְךָ לִשְׁתּוֹת *Fietque cum ſ. etſi renuerint accipere populum e manu tua ad bibendum.* Quibus verbis alii hoc ſignificari putant: pertinaciter hoſtibus reſiſtant, ut videantur ſibi poſſe malum depellere. Alii hoc: etiamſi tuo vaticinio fidem non habeant, illudque contemnant. Nobis haec tantum ad imaginis hic adhibitae ornatum pertinere videntur. שָׁתוֹ תִשְׁתּוּ *Bibendo bibetis*, i. e. tamen omnino bibetis, velitis, nolitis. Ita et infra XLIX, 12.

29. וְאַתֶּם הִנָּקֵה תִנָּקוּ *Et vos*, reliqui populi, *immunes exſiſtendo immunes eritis?* Si Hieroſolymae urbi mihi prae ceteris charae, non peperi; quid perſuadere vobis poteritis, me a vobis poenas non eſſe repetiturum? נִקָּה, quod in genere *mundum, vacuum fieri* notare conſtat, h. l. *a poena vacuum eſſe*, impune dimitti denotat ut 1 Reg. II, 9. Cf. de hoc verbo STORRII *Obſervatt. ad analog. et ſyntax. Hebr.* p. 249. not.

30.

30. מִמָּרוֹם יִשְׁאָג *Ex alto*, i. e. coelo, *rugiet*, leonis instar irritati, quomodo Deus poenas sumturus et Joel IV, 16. sistitur. שָׁאֹג יִשְׁאַג עַל־נָוֵהוּ *Rugiendo rugiet contra habitaculum suum*, i. e. templum; cf. not. ad Ps. LXXIX, 7. Multo minus parcam vel Judaeae, vel ceteris gentibus. הֵידָד כְּדֹרְכִים יַעֲנֶה *Celeusma instar calcantium* uvas in torculari *edet*. De הֵידָד vid. J. D. Michaelis *Supplemm.* p. 502. Jarchi illud *heus! heus! exclamare* significare dicit, dum illi, qui grave aliquod opus peragunt, sublata voce clamant, ut sese excitent. יַעֲנֶה proprie: *respondebit*, quo alludi volunt quidam ad cantica amoebea calcantium in torcularibus, quibus sese mutuo ad opus strenue peragendum exhortantur. Sed denotat et simpliciter *clamare*, ut Exod. XXXII, 18. Hebraicum הֵידָד Graecus Alexandrinus interpres expressit Ἀδὲδ, ita enim legendum est pro eo, quod in libris editis fere legitur, αἶδε, vid. quae in h. l. disseruit Sponnius. Symmachus *κατάλεγμα*, *carmen lugubre*, Aquila *αἰλασμὸς*, *lamentatio*, reddidit.

31. שָׁאוֹן *Tumultus bellicus*, ut Jesaj. XIII, 4. Ps. LXXIV, 23. עַד קְצֵה הָאָרֶץ *Usque ad extremum terrae*, non subsistet in una vel altera gente, sed omnia pervadet, Vs. 32. נִשְׁפָּט הוּא לְכָל־בָּשָׂר *Disceptaturus est cum omni carne*, cum omnibus mortalibus. Niphal verbi שָׁפַט denotat *in jus venire* cum aliquo, *judicio* cum aliquo *contendere;* de Deo vero cum hominibus disceptanti cum dicitur, significat, eum cum illis litem instituere eo fine, ut eos scelerum coarguat poenasque ab iis repetat, ut Jesaj. LXVI, 16. Ezech. XXXVIII, 22. Cf. not. ad Ezech. XVII, 20. Recte Chaldaeus h. l. sensum expressit: מִתְפָּרַע הוּא לְכָל־בִּסְרָא *rependet omni carni*. הָרְשָׁעִים *Improbos* quod attinet (est enim Nominativus, quem vocant, absolutus), qui in judicio illo a Deo instituto sontes reperiuntur, נְתָנָם לַחֶרֶב *tradet eos gladio*, supplicio addicet. Cf. Zeph. III, 8.

32. וְסַעַר גָּדוֹל יֵעוֹר מִיַּרְכְּתֵי־אָרֶץ *Et procella magna excitabitur a lateribus*, i. e. extremis *terrae*, vid. not. ad Jeſaj. XIV, 13. Amos. VI, 10. Pro סַעַר גָּדוֹל ſupra VI, 22. habetur גּוֹי גָּדוֹל *populus magnus.*

33. חַלְלֵי יְהוָה *Confoſſi Jovae*, i. e. a Jova interfecti, ut Jeſaj. LXVI, 16. Genitivus efficientis, qui creber eſt poſt Participia paſſiva, aut ſimilem ſignificationem habentia. Verba וְלֹא יֵאָסְפוּ et quae ſequuntur, legimus jam ſupra VIII, 2.

34. הָרֹעִים *O paſtores!* i. e. reges et principes terrarum, ut ſupra X, 21. XXIII, 1. הִתְפַּלְּשׁוּ *Volutate vos* ſcil. בָּאֵפֶר *in cinere*, uti ſupra VI, 26. additur. אַדִּירֵי הַצֹּאן *Magnates gregis*, duces populi, ut Vs. 35. 36. Graecus Alexandrinus *κριοὶ τῶν προβάτων*, *arietes ovium* vertit, probante J. D. Michaelis. Sed quûm אַדִּירִים alias ſint *viri principes*, *duces*, uti infra XXX, 21. 2 Chron. XXIII, 20. Nehem. X, 30.; et hic praefecti gregibus, i. q. רֹעִים, ſignificari videntur. Syrus hoc Verſu ܥܫܝܢ̈ܐ *fortes*, proximo ܕܟܪ̈ܐ *arietes* reddidit. Sunt, qui *paſtoribus* reges Judaeae, *magnatibus gregis* proceres et divites populi Hebraei indicari exiſtiment. Sed ad omnium, qui Vſs. 18—26. recenſentur, terrarum reges et principes referendum eſſe, patet e Vs. 30. אֶל כָּל־יֹשְׁבֵי הָאָרֶץ, 31. עַד־קְצֵה הָאָרֶץ, 32. מִגּוֹי אֶל־גּוֹי, et 33. מִקְצֵה הָאָרֶץ וְעַד־קְצֵה הָאָרֶץ, quibus omnibus totus terrarum orbis indicatur. כִּי־מָלְאוּ יְמֵיכֶם לִטְבוֹחַ *Nam completi ſunt dies veſtrae ad mactandum*, adeſt tempus internecioni veſtrae deſtinatum; cf. quoad formulam *completi ſunt dies alicujus* Genes. XXIX, 21. Thren. IV, 18. Pro וּתְפוֹצוֹתִיכֶם, quomodo Maſorethae legendum jubent, notantes הפ׳ בחולם, ובחירק הת׳ in pluribus codicibus legitur וּתְפוּצוֹתֵיכֶם *et diſperſiones veſtrae*, ſcil. brevi fient, ut Jarchi ſubaudit, ſive, ſunt decretae. Ita Aquila, Symmachus et Theodotion (Graecus Alexandrinus vocem non expreſſit): *καὶ*

οἱ

οἱ σκορπισμοὶ ὑμῶν. Hieronymus: *dissipationes vestrae.* Chaldaeus: וְתִתְבַּדְּרוּן *et dispergemini.* Syrus: ܘܬܬܒܪܘܢ *et frangemini.* Codices et libros editos, qui nomen plurale exhibent, recenset De-Rossi in *Scholiis critt.* ad h. l., ubi pluribus de hac voce differit, atque eam quam veteres exprimunt scripturam probat. Sed melius quadrare h. l. verbum, jam sensit C. B. Michaelis, qui ad hanc vocem haec notat: „*Et dispersiones vestrae* fient, pro *dispergemini.* Quid? si esset verbum denominativum (qualia sunt מִתְיַהֲדִים Esth. VIII, 17., אַפְאֵיהֶם Deut. XXXII, 26.), *faciam vos dispersiones*, seu *dispersos?* Certe puncta suffixi favent, alias anomaliam habitura, cui in Scriptura similis non datur.“ Rectius Everh. Scheidius in Coroll. II. ad *Specim. Observatt. ad loca quaedam V. T.* scribit: „תְּפוֹצוֹתִי Jerem. XXV, 34. neque nomen est plurale, ut plurimum volunt, neque verbum anomalum, ut contendunt alii; sed est verbum analogice formatum ex Specie *Tiphked*, ת servile et characteristicum habente, a themate פוץ, in quo eadem est notio propria *distringendi et dirumpendi*, quo in cognato פָּצַץ. Totus locus est ita reddendus: *et diffringam vos, ut cadatis, ad instar vasis desiderabilis.*“ Gesenius quoque (*Lehrgeb.* p. 254.) תְּפוֹצוֹתִי agnoscit esse formae תִּקְטֵל, ut תִּרְגַּל *ambulare assuefecit*, Hos. XI, 4., (ubi not. cf.), praefixo ת; ut Syrorum ܬܰܠܡܶܕ *docuit*; a ܠܡܶܕ *didicit.* Nollem tamen cum Scheidio verbum תְּפוֹץ *diffringendi* significatu capere; nam minus concinne ita וּנְפַלְתֶּם *et cadetis* subjicitur; sed *dispergam vos*, qui communi caedi evadetis, reddere mallem. וּנְפַלְתֶּם כִּכְלִי חֶמְדָּה *Et cadetis sicut vas desiderii*, desiderabile. Chaldaeus: דַּהֲוֵיתוּן רְגִיגִין כְּמָנֵי חֶמְדָּא *qui eratis delicati sicut vasa desiderabilia.* Hieronymus: „Et cadent sicut vasa pretiosa, ut confracta non valeant instaurari; et quanto ante fuere pretiosiora, tanto majus eorum in confractione fit damnum.“ Jarchi: „Si dicere velitis, multum aestimati sumus; respondeo: sunt

 vasa

vafa pretiofa vitrea, quae cadunt et franguntur, pereuntque.“ Excellentia, inquit, veftra, non praeftabit vos falvos. Comparat eos vafi pretiofo potius, quam teftaceo, ut notet diverfitatem inter duos ftatus, q. d. in ignominiam veftram convertam quicquid vobis gloriae contuli. Non eft, cur cum Venema et J. D. Michaelis ante חֶמְדָּה excidiffe לֹא exiftimemus, ut fit: *ficut vas fpretum et illaudabile.* In alia omnia abit Graecus Alexandrinus, qui vertit: *καὶ πεσεῖσθε ὥσπερ οἱ κριοὶ οἱ ἐκλεκτοί, et cadetis ficut arietes electi,* quafi pro כִּכְלִי legiffent כְּאֵלֵי, vel כְּכָרֵי, quod pofterius tamen potius *agnos* denotat. Probat poft Doederlinium ad Grotium, J. D. MICHAELIS. „Lectio,“ inquit, „verifimilis, et convenientior verbo praecedenti הֵפִיץ. *Dispergi* enim non eft vaforum, fed gregis arietumque. Nec bene, ubi comparatio in arietibus coeperat, in vafis definit. Sequentia etiam de arietibus agunt, non de vafis. Nec veri diffimile, aliquando poſterioris libri Jeremiae, cujus duplex editio fuit, Aegyptia, et Chaldaeo-Palaeftinenfis, veram lectionem in folis LXX. remanfiffe, quia foli LXX Aegyptiam editionem fequuti funt.“ Sed אַדִּירֵי הַצֹּאן non effe *arietes,* ut vult Michaelis, vidimus fupra. Nec *cadere ut arietes defiderii* concinna eft phrafis. Comparationes diverfas vero inter fe mifcere Hebraeis familiare effe conftat.

35. וְאָבַד מָנוֹס מִן־הָרֹעִים *Peribit refugium a paftoribus,* regibus (cf. Vs. 34.) nullus quo ab hoftibus tuti fint locus fupererit; cf. not. ad Am. II, 14. Senfum hujus Verfus recte expreffit Chaldaeus: וְיֵיבַד בֵּית עֲרוֹקֵי מִן מַלְכַּיָּא וְשֵׁיזָבָא מִתַּקִּיפֵי עַמָּא *et peribit locus refugii a regibus, et effugium a fortibus populi.*

36. וִילְלַת pro וִילְלַת (quomodo et in pluribus codicibus legitur) *et ejulatus.* Similis contractio vocalis literae Jod fub praefixum eft Pf. XLV, 10. in בִּיקְּרוֹתֶיךָ pro בְּיִקְּרוֹתֶיךָ, more Aramaico, vid. not. ad laudat. Pfalmor. loc. p. 1030. edit. fec. כִּי־שֹׁדֵד יְהוָה אֶת־מַרְעִיתָם

Nam

Nam devastat Jova pascuum eorum, terram suam; vel: gregem pascuum suum, ut supra X, 21.

37. וְנָדַמּוּ נְאוֹת הַשָּׁלוֹם *Et succidentur*, devastabuntur *mansiones* s. *pascua pacis*, desolabuntur pascua, ubi pacifice et sine incursione bestiarum greges antea pascebantur, i. e. civitates et provinciae, in quibus erat summa pax et securitas. De nomine נָאוֹת vid. not. ad Ps. XXIII, 2. Chaldaeus: וְיִצְדוּן מְדוֹרֵי שְׁלָמְהוֹן *et vastabuntur habitationes eorum pacificae.* Graecus Alexandrinus: καὶ παύσεται τὰ καλὰ (ita enim pro κατάλοιπα legendum est, vid. Spohnius ad loc.) τῆς εἰρήνης. Hieronymus: „Quando autem habuerimus pacem, et non intellexerimus vel *bona*, vel *speciosa pacis;* tunc *conquiescent*, sive *conticescent bona pacis.*" נְאוֹת interpres ille retulit ad radicem נָאָה *pulcher*, *decorus fuit;* et נָדַמּוּ ad דָּמָה sive דָּמַם *siluit.* Quod et J. D. Michaelis adscivit: non amplius balatu gregum resonabunt pascua; sed lugubri silentio vastitatem omnimodam fatebuntur.

38. עָזַב כַּכְּפִיר סֻכּוֹ *Reliquit* Jova *sicut leo lustrum suum*, deseruit ex indignatione et ira templum sibi sacratum, ubi hucusque instar leonis defensor sui populi extiterat. Ita Deut. XXXIII, 12. de Benjamine: *Dilectus Jovae habitabit secure apud eum* (Jovam), *qui proteget eum, et in ejus tractu habitabit Jova;* cf. not. ad eum loc. De סֹךְ, quod proprie *tabernaculum* significat, deinde de *lustro leonis* dicitur, vid. not. ad Ps. X, 9. p. 274. edit. sec. Hieronymus: „Dominus, de quo supra (Vs. 30.) dixerat: *De excelso rugiet, et de habitaculo sancto suo dabit vocem suam*, ipse relinquet tabernaculum suum, de quo scriptum est (Ps. LXXVI, 2.): *factus est in Salem locus ejus, et habitatio ejus in Sion*, ipse relinquet sedem suam, et implebit quod per eundem prophetam loquutus est (supra XII, 7.): *dimisi domum meam, dereliqui haereditatem meam.* Reliquit autem quasi leo cubile suum, ut omnes bestiae vastandi terram ejus habeant

beant poteſtatem. Leone enim cuſtode et praeſide nullus ad eandem audet accedere.“ Chaldaeus: גְּלָא מַלְכָּא מִבִּרְנִיתֵיהּ *migravit rex ex arce ſua.* Incertum, intelligatne *rege* Jovam, templum, palatium ſuum, relinquentem, an vero Judaeae regem, qui e palatio ab hoſtibus abactus ſit. Pro מִפְּנֵי חֲרוֹן הַיּוֹנָה „ſunt codices, neque ii perpauci, qui lectionem exhibent מִפְּנֵי חֶרֶב הַיּוֹנָה *propter gladium opprimentis*, nec defuerunt, qui eadem uterentur, interpretes. Et ſua quidem facilitate ſeſe commendat iſta lectio, habetque praeterea ſuffragantes Alexandrinum Chaldaeumque interpretes; ſed vana tamen eſt, utpote ex locis Jeremiae ſimilibus, XLVI, 17. et L, 16. huc illata. Nec pluris facienda eſt lectio חֲרוֹן יְהוָה *propter iram Jovae*, quam ex Syriaca verſione captavit Dathius, in promtu enim eſt hanc ortam eſſe ex imitatione formulae proximae Vs. 37., מִפְּנֵי חֲרוֹן אַף יְהוָה? Edita autem lectio, מִפְּנֵי חֲרוֹן הַיּוֹנָה videtur rectiſſime defendi poſſe. הַיּוֹנָה, *quae opprimit*, eſt epitheton, poſitum absque nomine ſuo ſubſtantivo חֶרֶב, quod ex frequentiore uſu formulae חֶרֶב הַיּוֹנָה ſponte poterat ſuccurrere audientibus legentibusque. Ejusmodi adjectivum loco ſubſtantivi poſitum deprehendiſſe ſibi viſus eſt Michaelis in *Nott. ad Lowthi Praelectt.* p. 634. edit. Lips. in illo Cant. Cant. IV, 2. שִׁנַּיִךְ כְּעֵדֶר הַקְּצוּבוֹת *dentes tui* ſunt *ſicut* dentes *gregis* ovium potu *prohibitarum*. Certe in Arabica poëſi haud quidquam frequentius eſt, quam quod de re quadam dici poteſt, ponere pro re ipſa; veluti cum *albus* dicitur de *gladio*, *fusca* pro haſta.“ Schnurrerus. In verbis illis interpretandis jam veteres invicem disceſſerunt. Graecus Alexandrinus: ἀπὸ προσώπου μαχαίρας τῆς μεγάλης. Videtur pro הַיּוֹנָה legiſſe יְהוָה, quod explicandi cauſa ita expreſſit. Ita Syrus: ܡܢ ܩܕܡ ܪܘܓܙܗ ܕܡܪܝܐ *propter iram Domini.* Hieronymus: *a facie irae columbae.* „Non mirabitur,“ inquit in Commentario, „columbam Domini intelligi Nabuchodonoſor, qui

qui fupra [Vs. 9.] eum vocari *fervum Domini* legerit."
Nempe volunt Judaei, Affyriorum et Babyloniae vexilla *columbae* fignum habuiffe, quod Semiramidi, cum nata effet, columbae cibum attullerint. Vid. Buxtorfii *Lexic. Chald. Talmud.* p. 960. et cf. Diodorum Siculum L, II. Cap. 4. Chaldaeus: מִן קֳדָם חֶרֶב סָנְאָה דְהִיא כַּחֲמַר מְרַוֵּיָא *propter gladium inimici, quod eft ficut vinum inebrians.* Male retulit הַיּוֹנָה ad יַיִן *vinum.*

XXIII.

XXIII.

Cap. XXVI.

ARGUMENTUM.

Vates divino juſſu populares ut ad meliorem frugem redeant hortatur, recuſantibus poenas denuncians (Vs. 1—6.); propterea comprehenſus a ſacerdotibus et prophetis accuſatur, (Vs. 7—15.), ſed publico judicio abſolvitur, et auctoritate Achikami a regis violentia defenditur (Vs. 16—24.).

Quae Vſs. 4—6. continentur eſſe ineunte Jojakimi regno à vate prolata, uti inſcriptio docet, non eſt cur dubitemus. Neque tamen integram, quam tunc habuit vates, concionem nos hic legere, ſed ſummam tantum ejus, quae ſupra Cap. VII. VIII. IX. plena habetur, obſervatum eſt in Argumento illius pericopae ſupra p. 241. Sed reliqua hujus Capitis aliquanto poſt tempore addita eſſe, docet res ipſa, potiſſimum quod Vſs. 20—24. narratur, ubi cf. not.

XXVI, 1. Initio regni Jojakimi, Joſiae filii,
Judae regis, hic ſermo habitus eſt a Jova:
2. Sic dicit Jova: adſta in atrio aedis Jovae,
et eloquere in omnes Judaeae civitates, quae
in aedem Jovae adoratum veniunt, omnia
verba, quae ego tibi ad eos eloquenda
3. mando, ne verbo quidem ſubtracto; ſi
forte audiant, et a ſua quisque mala conſuetudine
deſciscant, ut ego malum revocem,

cem, quo eos adficere ob eorum mores
pravos cogito. Dices igitur eis: ſic dicit 4.
Jova: niſi me audiveritis, legi, quam vobis
propoſui, obſequendo, et meorum vatum 5.
dicta audiendo, quos ego ad vos, quamvis
non audiatis, mitto, et quidem vigilanter
mitto; reddam aedem iſtam ut Siluntem, 6.
urbemque iſtam efficiam omnibus terrarum
gentibus exſecrandam. Audiebant autem 7.
ſacerdotes et vates, omnisque populus, Je-
remiam ea verba in aede Jovae pronunci-
antem. Igitur ſimul ac peroravit Jeremias 8.
omnia, quae omni populo dici Jova juſſerat,
comprehenderunt eum ſacerdotes et vates,
omnisque populus, mortem ei minantes,
qui Jovae nomine vaticinans dixiſſet, eam 9.
aedem futuram eſſe ut Siluntem, urbem-
que ab habitatoribus deſertum iri; et con-
gregavit ſe omnis populus ad Jeremiam in
aede Jovae. Quae quum audiviſſent Judae 10.
principes, ex regia ascenderunt in aedem
Jovae, atque ubi conſederunt in porta nova
aedis Jovae, dicebant ſacerdotes et vates 11.
principibus cunctoque populo, hominem il-
lum capitale commiſiſſe crimen, qui in ur-
bem illam vaticinatus eſſet, quae illi ſuis
auribus audiviſſent. Tum Jeremias princi- 12.
pes omnes cunctumque populum alloquitur:
Jova me miſit, inquit, ad vaticinandum in
hanc aedem atque urbem, quaecunque vos
au-

13. audiviſtis. Quapropter corrigite veſtros mo-
res veſtrumque agendi modum, et Jovae,
Dei veſtri dictis obedite, et is malo tem-
14. perabit quod in vos ſtatuit. Equidem ſum
in veſtra manu; facite mihi, ut vobis vide-
15. bitur et libebit. Verumtamen ſcitote, fore,
ſi me interfeceritis, ut vos et haec urbs et
incolae luant innocentis ſanguinem. Nam
vere miſit me ad vos Jova, ut vobis audi-
16. entibus haec omnia dicerem. Hic principes
omnisque populus ita ad ſacerdotes et vates:
non eſt hic homo in capitali crimine, ſiqui-
dem nos Jovae, Dei noſtri nomine adfatus
17. eſt. Tum ſurrexerunt homines ex regionis
ſenioribus, qui ad omnem populi concio-
18. nem ſic verba fecerunt: Michaeas Mora-
ſchtita vaticinatus eſt Ezechiae, Judaeae re-
gis, tempore. Is omni Judaeo populo dixit:
ſic dicit Jova, agminum Deus: Zion ager
arabitur, et Hieroſolyma in rudera redige-
tur, atque templi mons in ſylveſtria faſtigia.
19. Num eum ideo occidit Ezechias, Judaeae
rex, aut ullus Judaeorum? nonne Jovam
veritus precibus compellavit, atque ita Jova
temperavit malo, quod illis minatus erat?
et nos tantum facinus in nos admittamus?
20. Fuit item vir quidam Jovae nomine vatici-
nans, Urias Semejae filius, Cariathiearimen-
ſis, qui eadem plane in hanc urbem et ter-
ram vaticinatus eſt, quae in Jeremiae verbis
haben-

habentur. Ejus orationem ubi audivit rex 21.
Jojakimus, et omnes ejus milites atque pro-
ceres, conatus eſt eum necare: quo audito,
veritus Urias aufugit, et in Aegyptum ſe
contulit. Sed miſit rex Jojakimus homines 22.
in Aegyptum, videlicet Elnathanem, Ach-
boris filium, et alios cum eo, qui eductum 23.
ex Aegypto Uriam ad Jojakimum regem per-
duxerunt, isque eum ferro necavit, et ejus
corpus in ſepulchra plebejorum projecit.
Achicamus tantum, Schaphanis filius, Jere- 24.
miae fuit praeſidio, nec permiſit eum in
populi poteſtatem ad necandum.

N O T A E.

Cap. XXVI, 1. „Haec prophetia ſuperior eſt priore [Cap. XXV.], licet ſub eodem rege ſit facta. Illa enim facta eſt in *anno quarto* Jojakimi, filii Joſiae regis Judae, haec autem in principio ejusdem regis.“ Hieronymus. Jarchi quoque obſervat, hanc pericopam praecedere priorem quatuor annis.

2. עֲמֹד בַּחֲצַר בֵּית־יְהוָֹה *Sta in atrio domus Jovae,* ut ſupra XIX, 14., cf. infra XXXVI, 10. וְדִבַּרְתָּ עַל־כָּל־ עָרֵי יְהוּדָה *Et loquere ad univerſitatem urbium Judaeae,* i. e. ad cives omnium Judaeae urbium. „*Civitates* LXX non transtulerunt, ne indecorum forte videretur, in atrio domus Domini loqui ad urbes, quae coram non erant; ſed quando ad populum et ad cives loquitur, ipſis civitatibus loquitur.“ Hieronymus. אַל־תִּגְרַע דָּבָר *Ne ſubtrahas verbum.* „*Noli,* inquit, *ſubtrahere verbum,* licet triſte ſit, licet adverſum te audientium rabies concitetur,

citetur, tamen dicito quod tibi imperatum eſt, non formidans perſequutiones eorum, qui adverſum te concitandi ſunt, ſed Domini jubentis imperium." Hieronymus.

3. אוּלַי יִשְׁמְעוּ *Si forte audiant.* „Verbum ambignum *forſitan* majeſtati Domini non poteſt convenire; ſed noſtro loquitur affectu; ut liberum hominum ſervetur arbitrium, ne ex praeſcientia ejus quaſi neceſſitate vel facere quid, vel non facere cogatur." Hieronymus. וְנִחַמְתִּי אֶל־הָרָעָה *Poeniteatque me mali* (אֶל pro עַל, uti ſupra XVIII, 8.) quod decrevi rel. Graecus Alexandrinus: *καὶ παύσομαι ἀπὸ τῶν κακῶν, et deſiſtam a malis.* Chaldaeus: וַאֲתִיב מִן בִּישְׁתָא *et revertar a male.*

5. וְהַשְׁכֵּם וְשָׁלֹחַ *Et quidem matutinando et mittendo,* vid. de hac phraſi ſupra V, 8. p. 198., et cf. VIII, 13. XXV, 3. 4.

6. וְנָתַתִּי אֶת־הַבַּיִת הַזֶּה כְּשִׁלֹה *Reddamque hanc aedem ſicut Siluntem,* vid. ſupra VII, 12. 14. הַזֹּאתָה pro הַזֹּאת, cum ה paragogico, quae forma alias non occurrit.

7. הַנְּבִיאִים Graecus Alexandrinus, eumque ſequuti Arabs et Syrus, et hic, et Vſs. 8. 11. 16. *ψευδοπροφῆται* reddiderunt. Chaldaeus: סַפְרַיָּא *ſcribae,* i. e. literarum periti.

10. וַיַּעֲלוּ מִבֵּית הַמֶּלֶךְ בֵּית יְהוָה *Et ascenderunt e domo regis ad aedem Jovae,* graviorem tumultum metuentes, ni quantocius intervenirent. Ceterum recte notat Hieronymus: „Notandumque, quod ire ad domum Domini ſemper *aſcenſus* ſit." Cf. not. ſupra ad XXII, 1. בְּפֶתַח שַׁעַר־יְהוָה הֶחָדָשׁ *In oſtio portae* aedis *Jovae novae,* ita dicta forſan quod nove facta, vel quod reparata eſſet. Nomen בֵּית inter שַׁעַר et יְהוָה additum habent codices plures a Kennicotto et de-Roſſio, exprimuntque veteres omnes, praeter Graecum Alexandrinum, qui *ἐν προθύροις πύλης* poſuit.

11. מִשְׁפַּט מָוֶת לָאִישׁ הַזֶּה *Iudicium mortis* eſt *huic viro,* mortis reus eſt, (ut Deut. XIX, 6. XXI, 22.) „crimine nempe ſeditionis, quia qui male ominatur patriae, plebem

plebem saepe commovet, et occasiones dat aut seditionibus, aut desperatis consiliis. Confer Actor. VI, 13." Grotius. בַּאֲשֶׁר שְׁמַעְתֶּם בְּאָזְנֵיכֶם *Sicut audivistis auribus vestris;* ipsi quidem judices non audiverunt vatem haec dicentem (Vs. 10.), populus tamen (Vs. 7.), quem sacerdotes et prophetae simul alloquuti fuerant.

14. „Loquitur Jeremias prudenter pariter, et humiliter atque constanter. Prudenter, quod a Domino missum esse se diceret, ut contra civitatem et templum loqueretur, daretque consilium, quod si ejus vellent audire consilium, et agere poenitentiam, Dominus quoque suam sententiam commutaret (Vs. 13.); humiliter autem, quod ait (hoc Versu): *ecce in manibus vestris sum, facite mihi, ut bonum et rectum est in oculis vestris;* porro constanter: *in veritate misit me Dominus ad vos, ut loquerer in auribus vestris omnia verba haec* (Vs. 15.)." Hieronymus.

16. אֵין־לָאִישׁ הַזֶּה מִשְׁפַּט־מָוֶת *Non est huic viro judicium mortis,* non est mortis reus vid. ad Vs. 11. „Perierat propheta, quantum fuit in sacerdotibus et prophetis, si accusatores ipsi habuissent judicii potestatem. Ex quo intelligimus, crudeliores fuisse in prophetam per invidiam sanctitatis, qui religioni videbantur dediti, quam qui necessitatibus publicis praeerant." Hieronymus.

17. וַיָּקֻמוּ אֲנָשִׁים מִזִּקְנֵי הָאָרֶץ *Surrexeruntque viri e senioribus terrae.* „Principes civitatis et populus intelligunt judicii veritatem. Senes autem, quorum proprie erat, nosse vetera, replicant historiam, et prophetiam Michaeae de Morasthi, qui prophetavit sub Ezechia, comparant prophetiae Jeremiae, pro qua ei mortis discrimen intenditur, ostenduntque, illum dixisse graviora, et tamen a justo rege Ezechia nihil esse perpessum; sed conversos ad poenitentiam, Domini in bonam partem vertisse sententiam." Hieronymus.

18. מִיכָה הַמּוֹרַשְׁתִּי *Micha Morafclithaeus*, idem cujus vaticinia hodie fuperfunt. In textu h. l. habetur מִיכָיָה pro מִיכָיָהוּ, vid. not. ad Mich. I, 1. הָיָה נִבָּא *Fuit prophetans*, Participium Niphal, pro quo Vs. 20. Participium Hithpael, הָיָה מִתְנַבֵּא, fenfu eodem. Quod hic afferunt feniores Michae vaticinium צִיּוֹן שָׂדֶה תֵחָרֵשׁ וגו׳ *Zion* ut *ager arabitur* rel. legitur Mich. III, 12., ad quem loc. vid. not.

19. וַיְחַל אֶת־פְּנֵי יְהוָה *Supplicavit faciem Jovae*, deprecatus eft Jovam, ut fibi et populo ignofceret, Exod. XXXII, 11. — וַאֲנַחְנוּ עֹשִׂים רָעָה גְדוֹלָה עַל־נַפְשׁוֹתֵינוּ „*Itaque nos facimus malum grande contra animas noftras*, non quod facere debeant, fed quia fi fecerint, nequaquam noceant accufato, fed animabus fuis, quas mutatione fententiae potuerint liberare.“ Hieronymus. Chaldaeus: וַאֲנַחְנָא גָרְמִין לְאַיְתָאָה בִּישְׁתָּא רַבְּתָא עַל נַפְשָׁתָנָא *et nos in caufa fumus, ut adducamus malum magnum nobis ipfis.* Alii per interrogationem: ergone nos nobismet ipfis grande malum concitemus innocentis prophetae nece?

20. Eorum, quae inde ab hoc Verfu de Uria propheta a Jojakimo rege necato leguntur, quaenam fit ad reliquam hiftoriam ratio, haud una eft interpretum fententia. Alii hominum, qui Jeremiam defenderent, verba effe ftatuunt, quafi contrario Jojakimi exemplo quid nunc evitandum fit fignificantium. Alii exiftimant, ab adverfantibus prolata haec effe, ut exemplo, ex Hiskiae tempore petito, opponerent aliud recentius Jojakimi, qui Uriam non paffus fit impunem elabi. Ita Jarchi e Commentario vetere cui ספרי *Siphre* nomen: „Is qui iftud (quod praeceffit) dixit, non dixit hoc (quod fequitur); nam hucusque verba juftorum (habentur, qui Jeremiam liberare volebant); fed furrexerunt improbi, qui ibidem fuerunt, et dixerunt: *etiam vir fuit vaticinans* rel. Sicut igitur Urias interfectus fuit, ita et Jeremias interficia-

ficiatur.“ Staeudlin quoque in *den Neuen Beyträgen* p. 386. judicat, haec non posse non profecta esse ab adversario quodam, qui ipse praesens judicio interfuerit; perhiberi enim Vs. 20., jam olim fuisse prophetam alium, qui eadem contra urbem sit vaticinatus. Verum ut taceamus, non esse credibile, verba adversariorum ita adferri, ut lectores ne verbulo quidem moneantur, loqui jam alios, quam qui antea loquuti erant (ut supra Vs. 10. 11.), illi sententiae hoc potissimum obstat, quod, ut vere observat Schnurrerus, quae cum Uria propheta gesta fuit res, et ipsa quidem regnante Jojakimo accidit, sed exitus certe rei in primordia regni (Vs. 1.) cecidisse nequaquam potest. „Nam et discessus hominis in Aegyptum, ubi forte nonnihil temporis delitesceret antequam comprehenderetur, et retracti ex fuga Hierosolymam profectio non poterat non efficere, ut supplicium Uriae haud minimo intervallo abesset ab aditu Jojakimi ad regiam potestatem. Consequitur, tum, quum reus ageretur Jeremias, commemorari nondum potuisse supplicium Uriae, quod necdum evenisset. Inserta vero est historia omnis reliquae narrationi postea demum, cum ea, qua nunc utimur, libri editio perficeretur vel a Jeremia ipso, vel ab alio nonnemine. Et consilium edentis vix dubium videri possit: eo vero spectabat, ut intelligerent lectores, in magno vitae periculo versatum fuisse prophetam, quod summa rerum tunc esset penes regem, qui brevi post in simili causa profugum adeo ex Aegypto retraxerit ad supplicium; et Achikami maxime auctoritate nunc effectum fuisse, ut impunis dimitteretur Jeremias.“ Haec Schnurrerus; et ante ipsum jam Grotius ad Vs. 20. notavit: „Absoluto sermone Senatorum additur hic historia illorum temporum, unde intelligi potest, quanto in periculo Jeremias fuerat sub rege improbo.“ Abendana quoque in suis ad Salomonis Ben-Melech *Michlal Iophi* Additamentis statuit, esse quae sequuntur verba nec defendentium nec accusantium Jeremiam, sed *historicae narratio-*

rationis, q. d.: erat vero singularis Dei providentia in tuendo per Achikamum Jeremia (Vs. 24.), quia, nisi Achikami ceterorumque principum patrocinia habuisset, eadem procul dubio fata, quae Urias eadem in causa eodemque sub rege Jojakimo, expertus fuisset. קִרְיַת הַיְּעָרִים *Urbs silvarum*, patria Uriae, in tribus Judae ditione sita, memoratur Jos. IX, 17. Judic. XVIII, 12.

22. Elnathan Achboris filius, qui hic in Aegyptum missus narratur ad retrahendum Uriam, comparet infra XXXVI, 12. 25. inter regios consiliarios. Molestum est repetitum illud in fine Versus: וַאֲנָשִׁים אִתּוֹ אֶל־מִצְרָיִם *et misit viros cum eo in Aegyptum.* Cui incommodo facile mederi posse conjecit Gaabius, si verbis בֶּן־עַכְבּוֹר Versus 22. claudatur, et verba quae sequuntur Versum 23. inchoent, ita tamen ut pro אִתּוֹ legatur אָתוּ, unde haec sententia prodit: *venerunt viri* illo in Aegyptum, eduxeruntque Uriam. Sed tunc scribendum est וְהָאֲנָשִׁים, cum Articulo: *et illi viri.* Puto potius negligentius scripsisse quicunque haec addiderit.

23. וַיּוֹצִיאוּ אֶת־אוּרִיָּהוּ מִמִּצְרַיִם *Et eduxerunt Uriam ex Aegypto.* „Quaeritur, quomodo Jojakim, rex Juda, parvi imperii et debilitati, et jam jamque perituri, mittendi in Aegyptum habuerit potestatem, et inde Uriam educendi. Quod facile solvitur, si consideremus, eum a rege Aegypti Nechao principem constitutum esse.“ Hieronymus. Vid. 2 Reg. XXIII, 34. וַיַּשְׁלֵךְ אֶת־נִבְלָתוֹ אֶל־קִבְרֵי בְּנֵי הָעָם *Projecitque* sine ritu et ceremoniis sepulturae *cadaver ejus ad sepulchra filiorum populi*, plebejorum, 2 Reg. XXIII, 6. 2 Chron. XXXV, 5. 7. 12. 13. Unde colligi potest, honoratum virum fuisse Uriam, cui ejusmodi sepultura ignominiae fuerit.

24. „De Achikamo, Schaphanis filio cf. XXXIX, 14., ubi in manus filii hujus Achikami Jeremias a Babyloniis traditur, incolumitatis causa, quod noverant, patrem patro-

patronum prophetae fuiſſe, et 2 Reg. XXII, 12. 14.', ubi hic idem Achikamus a Joſia ad Hilkiam ſacerdotem mittitur, librum Moſis reportans, nec non 2 Reg. XXV, 22., ubi Achikami filius, Gedalia, reliquiis populi in Palaeſtina praeficitur, ut quem in fide manſurum putabat victor. Videtur in hac familia religioſa viguiſſe educatio, cujus aliud exemplum ſuppetit XXXVI, 10." J. D. MICHAELIS.

CORRIGENDA.

Pag. 8. Lin. 16. pro 16 lege 6

— ead. not. 8. Lin. penult. pro ſideribus lege ſceleribus.

— 136. Lin. 10. pro continuum lege continuam

— 140. — 13. — paverſitatem — perverſitatem

— 158. — 22. — לַפ — לֵב

— 163. — 29. — qui — quae

— 172. — ult. — ܐܦܩܒ — ܐܦܩܐ

— 478. — 16. — offerebuntur — offerebantur

— 518. — 4. — *deſcendi* — *deſcendere*

— 547. — 17. post referendum pone esse, veriſimile

— 577. — 17. pro לְהוֹיָקִים lege לִיהוֹיָקִים